C. Passaglia

240

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

Dono

del Comm.re Prof.re

Carlo Passaglia

1887.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

A IV. 293.

JOBUS
PROVERBIA SALOMONIS
ECCLESIASTES
CANTICUM CANTICORUM

EX

RECENSIONE

TEXTUS HEBRAEI

ET

VERSIONUM ANTIQUARUM

LATINE VERSI

NOTISQUE PHILOLOGICIS

ET CRITICIS

ILLUSTRATI

A

JOANNE AUGUSTO DATHIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGUAE HEBR. ORD.
IN ACAD. LIPSIENSI

BIBLIOTECA NAZIONALE

HALAE

SUMTIBUS ORPHANOTROPHEI

MDCCLXXXIX

[illegible]

Digitized by Google

PRAEFATIO

Summo cum lætitiæ ſenſu (quis enim non lætatur labore peracto difficili quidem eoque diuturno et moleſto?) trado lectori-

 bus

bus ultimum verſionis meæ librorum Veteris Teſtamenti volumen, præſertim quum habeam, cur ſperem, fore ut æqui judices illud eodem certe plauſu excipiant, quo ſuperiora volumina ſunt dignati. Equidem mihi conſcius ſum, me in opere perficiendo conſilii, quod antea uno tenore ſecutus eram, tenacem fuiſſe. Id autem, (liceat mihi de hoc cenſores meos denuo admonere,) non fuerat hoc, ut Viris doctis, linguarum peritis et apparatu librorum philologico inſtructis novam offerrem librorum ſacrorum verſionem, qua eos facile carere poſſe probe novi. Sed his, qui illo apparatu biblico vel deſtituti ſunt, vel multa legendi, conferendi, examinandi, neque voluntatem neque tempus haberent, prodeſſe, maxime vero ſacrarum literarum ſtudio-

ſtudioſis viam oſtendere volui, quam ad ſcripturæ ſacræ interpretationem doctam et eruditam ingrederentur. Hoc meo voto me ex ſententia Virorum quorundam doctiſſimorum, qui recte de his judicare poterant, non excidiſſe, vehementer gaudeo. Equidem non ignoro, quantum hicce labor ab ea perfectione, quam habere debebat, abſit. Sed idem ego ſcio, æquos ejus judices mihi ſuffragari, difficultates hujusmodi inſtituti tantas eſſe, ut nemo facile applauſum omnium ſperare poſſit. Quantus enim eſt diſſenſus hominum in judicio de eo quod difficile ſit, aut minus difficile, in delectu obſervationum, in recenſione et dijudicatione ſententiarum de locis difficilioribus. In quibus omnibus media via incedere ſtudui, ita ut ea tantum afferrem, quæ

ex meo ſenſu ad textus hebræi illuſtrationem neceſſaria eſſent, aut verſionis meæ rationem redderent. Hanc viam ut in hoc quoque volumine tenerem, omnem dedi operam. Plures quidem notæ Jobi verſioni fuerunt ſubjiciendæ quam ulli alii libro, aliis nimirum libris difficiliori: cujus verſio ſine explicatione et probatione parum profuiſſet lectoribus, quos ea commode uti poſſe cupiebam. Multum me adjuverunt, quod gratus profiteor, non ſolum in Jobo vertendo et explicando, ſed etiam in reliquis libris, qui hoc volumine continentur, Virorum Celeberrimorum noſtræ ætatis doctrina atque eruditio, *Michaelis*, *Dœderleinii*, *Hufnagelii*, *Moldenhaueri*, *Herderi*, aliorumque, qui libros hos ſacri codicis difficillimos partim verſionibus ſuis, partim obſer-

vatio-

vationibus illuſtrarunt, multisque locis obſcuris novam lucem attulerunt. Sed in delectu illo ex multis obſervationibus ſive conjecturis faciendo, ego ab omni partium ſtudio alienus, meo judicio tantum obſecutus ſum, additis tamen plerumque rationibus, quæ meum aſſenſum ab aliorum explicationibus retinerent. Quam ſentiendi et judicandi libertatem uti in prioribus verſionis meæ partibus uni et item alteri cenſori non diſplicuiſſe memini: ita in hac eam paſſim deprehendent, nec, uti ſpero, improbabunt. Cæterum ſi hocce labore meo aliquid contulero ad præjudicatas quasdam opiniones in librorum ſacrorum interpretatione removendas, ad linguarum orientalium neceſſitatem et utilitatem demonſtrandam et omnino ad partes omnes

legi

legitimæ interpretationis commendandas, conſilio meo votisque me non excidiſſe vehementer gaudebo. Scripſi in Acad. Lipſ. Menſ. April. A. R. S. MDCCLXXXIX.

JOBUS

J O B U S

CAPUT I

Duo capita priora prologum quaſi conſtituunt poematis longe præſtantiſſimi. Fingitur Jobum, virum intemeratæ virtutis et religionis infucatæ, in judicio ſolenni a Deo habito accuſatum eſſe a delatore communi: pietatem ejus et virtutem minime ſinceram eſſe, ſui ipſius tantum cauſa eum probum eſſe et a vitiis abſtinere, cum videret præmia virtutis ſuæ longe maxima; quodſi divitiis ſuis privaretur, dubium non eſſe, quin quoque remitteret in illo virtutis ſuæ ſtudio. 1 — 12. Permittit Deus, ut accuſator Jobo bona ſua omnia eripiat. Verum hic uno die omnibus divitiis et liberis ſuis privatus, tamen conſtans manet in religione ſua, atque in voluntate divina, a qua iſta omnia ſibi eveniſſe novit, acquieſcit. 12 — 22.

1. Vir fuit in regione Uſitide *a*) nomine Jobus; homo integer, probus, religioſus et a maleficiis abhorrens. 2. Nati ei erant ſeptem filii, filiæque tres. 3. Se-

a) hebr. בְּאֶרֶץ־עוּץ. In magno illo diſſenſu et ſententiarum varietate de terra Uz, in qua Jobus vixiſſe perhibetur, mihi maxime probabilis videtur, quæ Idumaeæ partem

Digitized by Google

3. Septem millia ovium habebat, tria millia camelorum, quingenta paria boum, quingentas aſinas et copioſiſſimam familiam *b*), ita ut omnium orientalium

partem Arabiæ deſertæ conterminam ſtatuit. Jeremias quidem in Threnis Cap. 4, 21. terram Uz Idumaeæ tribuit. Amici Jobi omnes erant Edomitæ, Jobus ipſe *filiis Orientis* annumeratur verſ. 3. quo nomine *κατ᾽ ἐξοχὴν* Arabiæ petrææ incolæ indicantur Geneſ. 25, 6. tandemque totius libri argumentum omnesque ejus partes huic ſententiæ favent. Non eſt inſtituti mei, ut hoc pluribus ediſſeram; atque eo facilius hoc labore ſuperſedere poſſum, cum hæc quæſtio docte et ſolide diſceptata ſit ab *Herdero* in libro de genio poeſeos hebr. P. I. p. 125. et *Eichhornio* in Introduct. in V. T. P. III. p. 486. edit. 2dæ. Sic quoque ſentit *Dœderleinius* in Scholiis ad libros poeticos Vet. Teſt. — *Michaelis* vero aliam hujus nominis regionem ſtatuit, in limite Arabiæ deſertæ et Cœleſyriæ prope Damaſcum, atque in ſpecie vallem illam fertiliſſimam Damaſci, quæ Gutha hodie vocatur, ſedem Jobi fuiſſe exiſtimat. Quam ſententiam pluribus ornavit et defendit recentiſſimus ſuper Jobi carmine ſcriptor *Ilgen* in libro, cui titulum fecit, de Jobi, antiquiſſimi carminis hebraici, natura atque virtutibus, p. 89 ſeqq.

b) hebr. עֲבֻדָּה non *agricolatio*, uti nonnulli verterunt, hæc enim dicitur עֲבוֹדָה, ſed quam latini dicunt *familiam*. Sic quidem intellexerunt *οἱ ό*, qui habent: *ὑπηρεσία*, Aquila: *δουλεία*, Symmachus: *οἰκετία* et Vulgatus: *familia*. Syrus idem vocabulum hebraicum adhibuit. Chaldæus tantum habet: פולחנא *agricolatio*.

lium facile eſſet locupletiſſimus. 4. Conſueverant autem filii ejus quisque domi ſuæ diem ſuum natalem convivio celebrare, ad quod tres ſuas ſorores invitabant. 5. Peractis convivii diebus, Jobus ſuos arceſſebat, ut eos explaret. Poſtridie enim mane ſacrificia immolabat tot quot erant ipſi numero; cogitans fieri poſſe, ut filii ſui Deum peccatis offendiſſent. Atque ita ſemper facere ſolebat. 6. Aliquando vero cum angeli coram Deo conveniſſent, inter eos quoque delator c) comparuit. 7. Hunc

c) hebr. שָׂטָן *Satanas*. Sed hoc loco non de malo genio, qui vulgo diabolus dicitur, cogitandum eſſe, facile intelligitur, ſi ad conſilium auctoris in prologo poematis attendatur. Lectores veram cauſam calamitatis Jobo illatæ docere vult. Fingit Deum in cælo cum miniſtris et amicis ſuis conventum habuiſſe, in quo de rebus in terrarum orbe peractis deliberatum eſſet. Inter hos autem miniſtros cæleſtes eſſe etiam aliquem, qui mores hominum obſervet, requirit tota fictio, cum ejusmodi morum inſpector aut cenſor in quavis familia aut republica a ſapiente patre familias aut principe conſtituatur. Hinc mirum non eſt eum inter reliquos Dei miniſtros comparere, quippe qui cum reliquis eodem jure fruebatur, neque Deo indignum videri debet colloquium, quod cum eo inſtituit: neque malum genium prodit ſuſpicio, quam præ ſe fert de ſimulata Jobi probitate. Muneris eſt hujusmodi morum inſpectoris, ſuſpicioſum eſſe ad

Jova allocutus interrogavit, unde veniret? Reſpondit: terram peragravi et luſtravi. 8. Tum Jova, attendiſtine, inquit, ad cultorem meum, Jobum? cui nullus in terra ſimilis exiſtit. Homo integer, probus, religioſus, a malo abhorrens. 9. Reſpondit delator Jovæ: Num fruſtra Jobus Deum reveretur? 10. Nonne ipſum, domum ejus, et omnia quæ habet, undique quaſi obſepiſti? negotia ejus omnia fortunas, greges ejus per totam terram ſe diffundunt. 11. At enim vero extende manum tuam, perde quæ habet, *non verax habear*, ni te cito citius abdicarit. 12. Ad hæc Jova delatori reſpondit: En! trado tibi omnia quæ habet, verum ipſi manum ne inferas. Sic diſceſſit delator e conſpectu Dei. — 13. Accidit vero, cum liberi Jobi in ædibus fratris natu maximi epularentur, 14. ut nuncius veniret, qui ſic ad eum referret: boves arabant et aſinæ prope eos paſcebant, 15. irruerunt Sabæi, eosque ſervis occiſis abegerunt. Solus ego evaſi, ut hæc tibi annunciarem. 16. Ad-

recte diiudicandos vere pios et hypocritas. Tandem neque ipſa mala Jobo illata probant malum genium eſſe, qui hæc intulerit. Nihil enim agit, niſi Deo volente et jubente; atque propterea tam parum reprehendendus eſt et accuſandus, quam quivis alius miniſter, qui mandata principis ſui exequitur. cf. Cap. 2, 3. Sic ſentiunt de hac quæſtione, a multis male tractata, auctores ſupra laudati ad notam *a*).

16. Adhuc illo loquente alius venit, qui dixit: ful-
gur cælitus delapſum combuſſit greges cum ſervis
et abſumſit. Ego ſolus evaſi, ut hæc tibi annuncia-
rem. 17. Vix loqui deſiit, cum alius ſuperveniret,
qui ſic nunciabat: Chaldæi tripartito agmine impe-
tum fecerunt in camelos, eosque abſtulerunt ſervis
gladio interfectis. Ego ſolus evaſi, ut hæc tibi re-
nunciarem. 18. Illo adhuc loquente ſupervenit alius,
qui dixit: cum liberi tui convivarentur in ædibus
fratris natu maximi, 19. ventus ingens ex deſerto
ortus irruit in quatuor domus angulos, quæ collapſa
omnes occidit; ego ſolus evaſi, ut hac de re te fa-
cerem certiorem. — 20. Ad hæc Jobus veſtem ſci-
dit, caput totondit, humi procidit, Deumque venera-
tus, 21. nudus, inquit, ex utero materno egreſſus
ſum, nudus quoque eo revertar. Jova dederat, Jo-
va abſtulit, laudetur nomen Jovæ. 22. In his omni-
bus Jobus nihil quidquam peccavit, nec ullam Deo
culpam imputavit *d*).

d) In textu eſt: וְלֹא נָתַן תִּפְלָה לֵאלֹהִים ubi תפלה a תפל arab. *exſpuit*, hinc *non bene olens*, in ſenſu morali ſignificat *deteſtabile aliquid*, ut Jer. 23, 13. et infra Cap. 24, 12. ubi conſtruitur cum שׂוּם *ponere in aliquem aliquid*, h. e. imputare, pro quo h. l. נתן, cf. Cap. 36, 3. ubi eadem conſtructio in ſententia contraria.

CAPUT II

Altera pars prologi — In alio conventu judiciali a Deo habito Jobus a delatore communi denuo accuſatur pietatis tantum hypocritica: amorem vitæ præſtare homini rebus aliis omnibus; hanc quovis pretio hominem redimere non dubitare: igitur Jobum quoque vitæ ſuæ periculum æquo animo non eſſe laturum — Verum hanc quoque criminationem refellit conſtantia Jobi in pietate ſua, quanquam tetro morbo infectus in ſummum vitæ periculum veniſſet.

1. Die quodam, cum angeli conveniſſent, ut coram Deo comparerent, venit etiam inter eos delator, ut ſe Jovæ ſiſteret. 2. Tum hic eum interrogavit, undenam veniret? Reſpondit ille: a pervaganda et luſtranda terra. 3. Et Jova: num animum advertiſti, inquit, ad Jobum cultorem meum, cui nemo in terra ſimilis eſt, vir integer, probus, religioſus, a malo abhorrens. Adhucdum integritatem ſuam retinet, quanquam me inſtigaſti, ut eum immerito perderem. 4. Reſpondit accuſator: pellem pro pelle *a*). Quidquid homo habet, dat pro vita ſua. 5. Verum extende manum tuam, affige ipſum et corpus ejus, ni te ſtatim abdicaverit. 6. Sit, inquit Jova, in poteſtate tua, parce tamen ejus vitæ. 7. Igitur accuſator a Jova diſceſſit et affecit Jobum malis

a) Dictio eſt proverbialis: facile caret aliquis, nec dolet, dummodo non ludatur de corio ſuo. *Dœderlein.*

malis ulceribus a planta pedis ad verticem usque *b*). 8. Sic eum, teſta ſeſe ſcalpentem et in cinere ſedentem, 9. adiit uxor, et dixit: adhucdum retinebis integritatem tuam? Lauda modo Deum, et morere *c*). 10. Ille vero reſpondit: Loqueris ut

b) Morbum Jobo inflictum lepræ ſpeciem eſſe teterrimam, quam medici Elephantiaſin vocant, omnia ſymptomata ab ipſo Jobo paſſim commemorata plane docent. Quod pluribus probavit *Michaelis*, tum in notis ad verſionem germ. bibl. tum ad *Lowthum* p. 679. et in Jure Moſaico P. IV. p. 232. ſqq. tum noviſſime in Introduct. in libros Vet. Teſt. P. I. Sect. I. p. 56 ſeqq. Neque diſſentiunt recentiores Jobi interpretes.

c) Sic *Ilgenius* hunc locum explicat l. l. p. 137. ut mulier reſpiceret ad Jobi verba 1, 21. *laudetur nomen Jovæ*, et alter horum imperativorum ſit loco futuri, ut ſæpe e. c. Geneſ. 42, 18. cf. *Glaſſius* Philol. S. p. 286. hoc ſenſu: *lauda modo Deum et morieris*. Sic continent hæc verba acrem et acerbam reprehenſionem ad Sarcaſmum proxime accedentem. Plerumque quidem verbum בָּרֵךְ explicatur per *valere jubere*, ſ. *abnegare*, ut 1, 5. 11. 2, 5. Sed tunc Vau in וָמֻת vertendum eſt per *aut* in ſenſu excluſivo, quæ ſignificatio vix poterit claro exemplo doceri. — Chaldæus uxorem Jobi vocat *Dinam*, ex opinione Judæorum quorundam, Jobum vixiſſe tempore Jacobi patriarchæ, ejusque filiam in matrimonium duxiſſe. — LXX interpretes exiſtimarunt haud dubie,

bre-

ſolent mulieres impiæ *d*). Num bona tantum a Deo accipiemus, nonne etiam mala? In his omnibus Jobus ne verbo quidem peccavit. — 11. Cum vero tres Jobi amici audiiſſent, quanta eſſet calamitate affectus, convenerunt una ex ſuis regionibus Eliphaſus Themanita, Bildadus Suchita et Zopharus Naamathita ad condolendum eum et conſolandum. 12. Atque e longinquo eum conſpicati non agnoverunt, qui eſſet. Tunc ſublata voce plorarunt, et veſtibus ſciſſis et pulvere in capita verſus cælum conſperſo, 13. humi apud eum conſederunt per ſeptem dies totidemque noctes. Nullus auſus eſt eum alloqui, videbant enim dolores ejus ingentes.

CAPUT III.

Incipit pars poetica libri, quæ continet diſputationes Jobi et amicorum ejus ſuper providentia divina, ſive permiſſione boni et mali in hoc mundo, usque ad Cap. XXXVIII. Aptiſſime conferuntur hi ſermones cum conſeſſibus *ſic dictis ſapientum Arabum, qui hac philoſophandi ratione maxime delectantur, ut homines ſapientes conveniſſe in loco aliquo fingant et ſuper quæſtionibus difficilioribus ſermones inter ſe miſcuiſſe ſtilo ſublimiori et poetico con-*

breviorem eſſe hunc ſermonem, quam in quo mulier irata acquieſceret. Ideo multo plura ei tribuunt jurgia et criminationes, quas in maritum ſuum effuderit.

d) נָבָל *ſtultus* ſæpe dicitur de homine profano et impio, e. c. Pſ. 14, 2.

conceptos; cujus generis exemplum luculentum extat in Hariri conſeſſibus, Schultenſii aliorumque ſtudio et opera ex parte publicatis. — Sic ſuperſedere poſſumus quaeſtione a quibusdam viris doctis operoſe agitata, num Jobi liber ſit e genere dramatico? quam ex inſtituto tractavit Lowth de Poeſi S. Hebr. Prælect. XXXIII. p. 702. edit. Goetting. prim. Cum in ipſa gente, in qua ſcena totius hiſtoriæ figitur, extent poemata huic in tota ſua conſtitutione ſimillima, profecto parum accurate confertur cum alius gentis poemate, cui tamen tantum aliqua ex parte ſimilis eſt. — Prima igitur ſectio carminis inducit Jobum diem ſuum natalem execrantem.

1\. 2. Tandem Jobus ſermonem exorſus diem ſuum natalem in hunc modum execratus eſt:

3\. Pereat dies, quo natus ſum,
Et nox, quæ marem conceptum eſſe dixit.
4\. Dies ille ſit tenebricoſus,
Non curet eum Deus deſuper,
Nec affulgeat ei lumen.
5\. Vindicent a) ſibi eum tenebræ et caligo,

 Incu-

a) Ex duplici ſignificatione verbi גאל *vindicavit* et *polluit*, duplex eſt explicatio vocis יִגְאָלֻהוּ. Secundum hanc verti quoque poteſt: *foedent eum caligo.* Sic Chaldæus: יְטַנְּפוּן *inquinent eum*, et Aquila: μολύναι αὐτήν, *polluat eam.* Illam vero exprimunt οἱ ό, ἐκλάβοι δὲ αὐτήν, *excipiat autem eam*, et Theodotio: ἀγχιστευσάτω αὐτήν. Vulgatus ambigue: *obſcurent eum.* Syrus et qui eum ſequitur Arabs: *teget eum*, fortaſſe ex arab. جَلَّ *tectus eſt.*

Incubet ipſi denſa nubes,
Terrificent eum triſtiſſima quæque diei fata *b*).
6. Noctem illam auferat caligo,
Ne uniatur diebus anni,
Nec in menſium numero veniat.
7. Sit nox illa ſterilis,
Nec audiantur in ea læti clamores.
8. Execrentur eam, qui diei imprecantur,
Qui poſſunt crocodilum excire *c*).
9. Tenebreſcant ſtellæ ejus, crepuſculi
Lucem expectet, nec veniat,
Non videat auroræ lumina.
10. Quia non occluſit aditus uteri,

Nec

b) hebr. כִּמְרִירֵי יוֹם. *Codurcus*, *Grotius* et alii derivant ſ. comparant hanc vocem cum כְּמָרִים ſacrificulis iſtis, qui Hoſ. 10, 5. Zeph. 1, 4. memorantur, et de genethliacis explicant diem natalem vel *candido* vel *atro* lapillo ſignantibus. Quod nimis quæſitum videtur, et forma nominis quoque repugnat. Facillime derivatur a מרר *amarus* fuit; hinc ſubſtantivum cum Jod paragogico מרירי *amaritudo* Deut. 32, 24. Caph vero h. l. non eſt Caph ſimilitudinis, ſed veritatis ſ. redundans, uti ſæpe. cf. *Glaſſius* p. 434. et 443.

c) In utroque membro ad ſuperſtitionem quandam alluditur, cujus tamen in aliis locis mentio non fit. Fuerunt haud dubie, qui jactarent ſe poſſe Crocodilum excitare, ut prodiret et homines invaderet.

Nec occultavit calamitatem oculis meis. — —

11. Cur non ab utero mortuus ſum?
Cur non ventre egreſſus exſpiravi?

12. Quare genua me exceperunt?
Ad quid ubera ſuxi?

13. Sic enim cubarem tranquillus,
Dormirem ad quietem compoſitus *d*).

14. Cum regibus et terræ potentibus,
Qui ſibi in ſolitudine *ſepulcra* exſtruunt.

15. Sive cum principibus divitibus,
Qui ædes ſuas argento copioſe inſtruunt *e*).

16. Sive ut latens abortus plane non extitiſſem,
Uti parvuli, qui lucem nunquam viderunt. —

17. Ibi

d) Pro אָז יָנוּחַ לִי videri poſſet legendum אָנוּחַ uti quoque vertunt *οἱ ό, ἀνεπαυσάμην* et Vulgatus: *requieſcerem.* Attamen eadem phraſis extat Jeſ. 23, 12. Hinc יָנוּחַ ſubſtantivum eſſe poteſt *quies*, quæ alias מָנוֹחַ dicitur. Tanquam ſubſtantivum verterunt Chaldæus, Syrus et Arabs. *Schultenſius* particulam אָז *tunc*, putat eſſe arabicum ſubſtantivum نُز *dolor*; hinc vertit: *dolor mihi requieſcet.*

e) Hic quoque verſus, uti præcedens, de ſepulcris ſplendide exſtructis et ornatis poteſt intelligi, quæ ſæpe *domus* mortuorum dicuntur, e. c. Jeſ. 14, 18. 19. ubi בֵּית ſynonymum eſt *τοῦ* קֶבֶר.

17. Ibi enim ceſſant vexatorum commotiones *f)*,
Ibi viribus fatigati quieſcunt.
18. Pariter quieſcunt vinculis conſtricti,
Non audiunt amplius exactorum minas.
19. Infimi et ſummi pares ibi ſunt,
Servus manumiſſus eſt a domino ſuo. —
20. Cur lucem *Deus g)* concedit miſero?
Et vitam triſtibus?
21. Qui mortem deſiderant, nec vident,
Qui eam effoderent ex locis infimis *h)*.
22. Qui lætantur de tumulo *i)*,

Qui

f) Parallelismus membrorum requirit ut רֹגֶז *paſſive* accipiatur de afflictione et commotione, quam aliquis patitur, ut vſ. 26. et רְשָׁעִים opponuntur τοῖς יְגִיעֵי כֹחַ Igitur illi h. l. non ſunt *impii*, ſed, ex ſignificatione primaria verbi רשע *continuo motu agitari*, (qua infra occurrit 34, 29. et 1 Sam. 14, 47. in Hiphil יַרְשִׁיעַ *terrorem injecit*,) *miſere vexari et agitari*. Sic *Schultenſius*.

g) Omittit Jobus nomen *Dei* ſæpe reverentiæ cauſa, ſi de duritie ejus nimia aut ſeveritate queritur.

h) Duplicem admittunt hæc verba explicationem. Illam quam in verſione poſui, atque etiam hanc: *qui eam quærunt cupidius quam theſauros abſconditos*, pro duplici ſignificatione τοῦ חפר et מטמון.

i) *Hubigantius* conjectavit pro גִּיל h. l. legendum eſſe גַּל *tumulus*, quam lectionem tum membrorum paralle-

liſmus,

Qui vehementer gaudent, quod ſepulcrum inveniunt.

23. Viro, cujus via occultata eſt,
Cui Deus omnes obſtruxit exitus.

24. Panem

liſsimus, tum ipſius ſententiæ elegantia perquam probabilem reddunt. Nec tamen propterea prorſus neceſſaria eſt, uti idem ille criticus Gallus judicavit, atque amore hujus ſuæ conjecturæ haud dubie permotus, negavit poſſe noſtrum locum ex Hoſ. 9, 1. illuſtrari, ubi eadem phraſis שְׂמַח אֱלֵי גִיל ſenſu minime dubio legitur. Placet hæc conjectura, uti *Dœderleinio* et *Hufnagelio* placuit, atque hic præterea apte obſervat (in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi p. 9.) τοῦ גִיל h. l. eandem eſſe ſcriptionem quæ τοῦ חִין pro חֵן Job. 41, 4. In opere autem Kennicottiano, ex quo Vir S. R. tunc quidem multum præſidii ſperabat pro hac conjectura, unus tantum codex citatur, in quo ſine Jod ſcriptum extet גל, nempe octogeſimus, nec tamen contemnendus ex judicio tum *Kennicotti*, tum *Brunſii* in Diſſertat. gen. p. 369. edit. Brunſ. — Si conjecturæ veri ſpeciem conciliat, quod pluribus in mentem venerit, addere etiam poſſumus *Reiskium*, qui in ſuis *in Jobum conjecturis* jam 1749. ſcriptis idem divinarat; ſed minus probabiliter verbum שמח cum سمح *properare* et מצא cum مضى *ire* contulit. Nam utrumque ex ſignificatione in lingua hebraica uſitata elegantiorem ſententiam offert, qaam ex ſignificatione horum verborum in lingua arabica.

24. Panem meum antevertunt gemitus,
Ad inſtar aquæ ſeſe effundunt ploratus.
25. Quæ timeo, eveniunt,
Ad quæ horreo, contingunt.
26. Nulla ſecuritas, tranquillitas nulla,
Nulla quies mihi eſt, vehementer exagitor.

CAPUT IV

Ad illas Jobi querelas primus ei reſpondet Eliphaſus in hoc et ſequenti capite. Primo impatientiam ejus corripit, deinde pietatem ejus in dubium vocat. Tecte quidem et oblique, dum contendit Deum de probis non hujusmodi poenas ſumere, quæ eos prorſus perdant, peccatorem tantum ſine ſpe perire. Aſſumtionem hujus argumenti ipſi Jobo relinquit. Dummodo pietas ejus infucata fuerit, ſpem ei eſſe poſſe certam poſt hanc caſtigationem divinam recuperandæ priſtinæ felicitatis. — Igitur non adeo humana eſt et modeſta oratio, uti Michaeli aliisque videtur, nec mirum eſt Jobum ea offendi.

1. Ad hæc Eliphaſus Themanita hunc in modum reſpondet:
2. Licetne verbum ad te proferre?
Succumbis *a*) — et quis verba cohibeat?

3. En!

a) תִּלְאֶה nonnulli interpretes de animi ægritudine explicant, qua Eliphaſi admonitionem Jobus ſit laturus. Quanquam non negem verba hunc ſenſum habere poſſe, tamen quoniam verſ. 5. id ipſum verbum τῷ בהל in altero

3. En multos inſtituiſti,
Manusque remiſſas confirmaſti.
4. Lapſos erexerunt ſermones tui,
Et genua incurvata corroboraſti.
5. Jam cum ad te *malum* pertingit, animum deſpondes,
Cum te invadit, perturbaris *b*).
6. An non religio ſpem tuam alit,
Et vitæ tuæ integritas fiduciam *c*)?
7. Recordare, quæſo, ecquis innocens perierit?
Aut quando probi deleti ſunt?
8. Contra vero vidi, qui ſcelera machinabantur,
Qui crimina ferebant, eorum etiam poenam metere.
9. Ab halitu Dei perierunt,
A ſpirante ejus ira ſunt confecti.

10. Rugi-

altero membro reſpondet, malim de impatientia ſ. deſperatione explicare, quam Jobus, hac tanta calamitate ſibi immiſſa, præ ſe ferebat.

b) Aſſumtio eſt valde ironica, uti in illo *Terentii:* facile omnes cum valemus recta conſilia ægrotis damus.

c) Sic verto verba textus ambiguæ ſane explicationis. Litera Vau ante ותם redundare videtur, ſed exprimunt eam verſiones antiquæ omnes. Igitur in altero membro transpoſitionem verborum eſſe puto et Vau repetere quæſtionem. Ex recentioribus interpretibus conſentientes habeo *Dœderleinium* et *Moldenhauerum*, qui germanice eleganter ſic vertit: *Flöſst Frömmigkeit dir kein Vertrauen, und Unſchuld keine Hoffnung ein?*

10. Rugitus leonis ejusque fremitus *obmutuit*,
Et dentes leonum excuſſi ſunt.

11. Periit leo prædæ inopia,
Eiusque catuli ſunt diſperſi. — —

12. Furtim ad me oraculum pervenit,
Percepit auris mea pauxillum de eo.

13. In cogitationibus ex viſionibus nocturnis,
Dum alto ſopore mortales opprimebantur,

14. Timor me corripuit et tremor,
Et omnia oſſa mea terrefecit.

15. Spiritus enim mihi obverſabatur
Horripilante pilo carnis meæ.

16. Subſtitit, ſed non agnovi formam ejus.
Imago quædam ſeſe exhibuit oculis meis,
Auram et vocem audivi *d*):

17. Num

d) Sequitur oraculum usque ad finem capitis. Mihi quidem videtur continere comparationem ſummæ Dei ſanctitatis et perfectionis cum angelis omnium creaturarum perfectiſſimis, et hinc argumentationem, quam dicunt, a majori ad minus: Si creaturæ perfectiſſimæ, angeli, miniſtri Dei, in comparatione ad ſummam Dei perfectionem, ſanctitatem et juſtitiam, imperfectæ ſunt et infirmæ: quanto magis homines, longe imperfectioris naturæ quam angeli. — In hunc ſenſum hoc ipſum oraculum infra quoque citatur ab Eliphaſo Cap. 15, 15. 16. et a Bildado Cap. 25, 5. Verba ipſa admittunt quoque hanc explicationem, nec tamen, quod in omni com-

17. Num homo apud Deum *e)* juſtus eſt?
Num purus coram creatore ullus?

18. En! in ſervis ſuis deprehendit infirmitatem *f)*,
Et

comparatione fieri ſolet, nimis ſunt urgenda. *Infirmitas* et *lapſus* dicuntur tantum in comparatione ad perfectiſſimam Dei naturam, a qua omnis infirmitas et lapſus longiſſime abſunt. *Michaelis* quidem et *Schnurrerus* (in Animadverſſ. ad quædam loca Jobi, Tubingæ 1781.) explicant hoc oraculum de *gubernatione mundi* angelis a Deo minime conceſſa aut commiſſa, quos Deus huic tanto negotio prorſus impares judicet; ſed invito contextu, uti mihi quidem videtur; nam de illa in antecedentibus ſermo non fuit. Eliphaſus verſ. 7 ſeqq. dixerat: Deum punire tantum impios, favere probis. Verba quoque צדק et טהר in verſ. 17. melius explicantur de ſanctitate et probitate vitæ, quam de ſapientia aut juſtitia in gubernatione hujus univerſi oſtendenda. Loci parallelli, in quibus manifeſte ad hoc oraculum alluditur, maxime videntur explicationem a me allatam probare.

e) Præpoſitio מִן ante מֵאֱלוֹהַּ h. l. idem valet quod לִפְנֵי aut עִם ut Cap. 9, 2. et Cap. 25, 5. pro מִן et בְּעֵינֵי.

f) אמן h. l. in ſignificatione ſua primaria, *firmo et ſtabili greſſu fuit*, videtur accipiendum. Reſpondet in altero membro τῷ תָּהֳלָה quod ἅπαξ λεγόμενον ſive cum *Schultenſio* conferas cum arab. نهل *lapſus eſt*, ſive ex ſententia *Schnurreri* l. c. cum وهل *errorem commiſit, lapſus eſt*, eundem ſenſum offert.

Et in angelis ſuis obſervat lapſus:
19. Quanto magis g) habitatores domorum lutearum,
Qui in pulvere fundati ſunt h),
Qui inſtar tineæ conficiuntur.
20. Brevi i) conteruntur,
Nemine curante prorſus pereunt.
21. Nonne migrant vel præſtantiſſimi eorum k)?
Moriuntur imprudentes.

CAPUT V

1. Clama modo, non erit qui tibi reſpondeat.
Ad quem ſanctorum te convertes?
2. Impium perimit ira,
Et malum occidit indignatio a).

3. Vidi

g) אַף pro אַף כִּי uti plene legitur in locis parallelis 15, 16. 25, 6.

h) Corpus noſtrum, in quo anima noſtra habitat, comparat cum domo lutea et fragili, fundata in terræ pulvere, quæ opponitur cæleſtibus habitationibus angelorum. Eadem comparatione utitur Paulus 2 Cor. 5, 1.

i) hebr. *a mane ad veſperam.* Comparatur vitæ humanæ brevitas cum uno die, ut Pſ. 90, 6. Similis loquendi modus eſt Jeſ. 38, 13. 14. *a die ad noctem me abſolvis.*

k) יֶתֶר h. l. ex ſignificatione primaria, *præſtantia, excellentia*, ut Eſ. 38, 10. Prov. 17, 7. Abſtractum pro concreto.

a) *Ira* poteſt de impatientia hominum intelligi, quam con-

3. Vidi ego impium fortunatum,
Sed præſagiebam *b*) interitum ejus inſtantem.
4. Liberi ejus erant infeliciſſimi,
Opprimebantur in judicio nemine defendente.
5. Meſſem ejus abſumebant prædones,
Nihil veriti ejus potentiam,
Et latrones invadebant ejus opes — *c*).

B 2 6. Non

concipiunt propter immiſſam a Deo calamitatem, quam non meruiſſe facile ſibi perſuadent; et *indignatio* de invidia, qua fortunam ſecundam hominum impiorum conſiderant. — Poteſt vero utrumque de ira divina explicari, qua ſevere in impios animadvertit. Prior ſenſus nexum oſtendit ſatis facilem cum priori verſu. Poſterior cum utroque. Igitur hunc præferendum putem.

b) hebr. *Maledixi habitationi ejus ſubito.* Verbum activum de annunciatione ſ. prædictione explicandum. vid. *Glaſſius* p. 216.

c) Verſus eſt difficillimus ob vocabula rariora, in cujus explicatione interpretes quoque admodum variant. Paucis tantum pro inſtituti mei ratione verſionem meam illuſtrabo. Secutus ſum in plerisque *Schultenſium*, qui copioſe et magno eruditionis apparatu de ſingulis egit. Prius membrum vulgo vertitur: *meſſem ejus comedent* רָעֵב *famelicus*, ſub quo *vel* is intelligitur, quem impius oppreſſit et ad famem redegit, *vel* pauper et egenus, cui nihil dedit. Sed ſic non bene reſpondet τοῖς צַמִּים

in

6. Non ex terra ipſa prodeunt mala,
Neque ex ea ſuccreſcunt moleſtiæ.

7. Homo

in altero membro. Igitur hoc mutatum volunt in צְמֵאִים *ſitientes*, cui lectioni favent quoque interpretes antiqui, Aquila, Symmachus, Syrus, Arabs et Vulgatus. Nec tamen prorſus certum mihi videtur eos ſic legiſſe, neque lectio facilior difficiliori præferenda. *Kennicottus* quidem in nullo codice hanc ſcriptionem obſervavit. Propterea non contemnenda videtur explicatio vocis rarioris, quæ præter h. l. ſemel tantum Cap. 18, 9. occurrit, ex verbo arabico صَمَّ *ſurdus fuit*, hinc صِمّ eſt *homo durus*, qui aures obturat, hinc *prædones* et *latrones* dicti ſunt. Hæc notio non ſolum h. l. ſed etiam alteri apta eſt. Huic ſignificationi etiam reſpondet τὸ רָעֵב ex ſignificatione primaria verbi رغب *cavo ventre fuit*, non minus atque illud *latronem* notans, ab inexplebili ſua cupiditate, ſicuti Græci κοιλογάστορα in ſpecie *lupum* vocant a voracitate ſua. — Jam de altero membro prioris hemiſtichii וְאֶל מִצִּנִּים יִקָּחֵהוּ In quo אֶל מִן *usque ex* Arabiſmus eſt, *usque adeo*. — צִנִּים proprie ſunt *ſpinæ*, de quo dubitari non poteſt propter alia loca, in quibus hanc ſignificationem obtinet: ſed improprie h. l. dicuntur pro *potentia*, qua *improbus* ille ſeſe *intactum* et *illæſum* præſtiterat adverſus impetus aliorum. Solent enim arbores *ſepiri ſpinis*, ne lædantur. Arabes quoque *ſpinam* dicunt pro *armis* et *robore* omni, quod *tangere* formides; de quo complura habet

7. Homo ad eas ſubeundas naſcitur,
Uti aves in altum ſe efferunt volando — *d*).

8. Verum ego Deum quærerem,
Eique proponerem cauſam meam. *

habet *Schultenſius* l. l. Jam ſenſus patet: prædones non deterrebit potentia, qua ille impius ſe defendere poteſt. Aculeus ſimul ineſt in Jobum, et accuſator idem emblema de Jobo adhibuerat Cap. 1, 10. In verſione verba propria ſecundum hanc explicationem poſui, quoniam hæc metaphora a lingua latina alienior videbatur.

d) Senſus et nexus utriusque verſus paullo obſcurior. Attamen id mihi certum videtur, עָמָל in utroque verſu uno eodemque ſenſu eſſe accipiendum, quod in nonnullorum explicationibus negligitur. Equidem hunc ſenſum ſubeſſe putem: moleſtiæ hujus vitæ non ex fato quodam inevitabili, aut tantum ex cauſis naturalibus, ſed a providentia divina veniunt, atque homo his ſuſtinendis et tolerandis a Deo deſtinatus eſt, uti *aves ad volandum*. Has enim univerſe בְּנֵי רֶשֶׁף *filii elationis* dictas eſſe putem periphraſtice, non in ſpecie *aves rapaces*, propter infinitivum adjunctum עוּף *volare*, quod non ſolum *avibus rapacibus*, ſed univerſo generi proprium eſt. — Sic nexus eſt ſatis facilis cum ſequenti loco, in quo laudatur providentia divina, quæ omnia ſapientiſſime dirigat et ordinet, et patientia commendatur.

* Sic verba accipio tanquam conſilium, quod Eliphaſus

9. Is eſt, qui magna præſtat et imperveſtigabilia,
Qui mira efficit eaque innumerabilia.

10. Qui pluviam effundit in terram,
Et aquam immittit locis deſertis.

11. Qui humiles extollit *e*),
Et moerentes exaltat ſervatos.

12. Evertit callidorum conſilia,
Ut non efficere poſſint ſapienter excogitata.

13. Capit ſapientes in ſua ipſorum aſtutia,
Verſutorum conſilia præcipitantur;

14. Ita ut interdiu tenebris occurrant,

Et

Jobo det, ut loco querelarum divinam gratiam imploret eique cauſam ſuam committat. Alii putant ea tranſitum facere ad ſequentem locum de divina providentia et gubernatione totius univerſi: *De Deo diſſeram, de eo verba faciam.* Utroque modo verba textus poſſunt explicari.

e) Sententiam hujus verſus propter infinitivum לָשׂוּם *Michaelis* et *Hufnagel* nectunt antecedenti, ut effectus pluviæ dimiſſæ indicetur. Quod paullo coactius videtur. Fortaſſe facilius cum ſequenti verſu jungi poſſet. Malim tamen explicare hanc conſtructionem per ellipſin verbi ſubſtantivi היה cum quo alias ejusmodi infinitivus conſtrui ſolet. v. c. Geneſ. 15, 12. Num. 8, 11. Ezech. 30, 16. Omiſſo autem verbo ſubſtantivo infinitivus cum ל ſimpliciter ponitur, per verbum finitum explicandus. vid. *Schrœderi* Inſtitutt. Grammat. hebr. p. 392.

Et in meridie tanquam noctu palpent.
15. Ut eripiat deſolatum *f*) eorum faucibus
Et manibus validis pauperem.
16. Sic ſpes eſt tenui,
Impietas contra os ſuum habebit occluſum. —
17. En beatum hominem, quem Deus caſtigat.
Noli igitur repudiare omnipotentis diſciplinam.
18. Vulnera quidem infligit, ſed obligat quoque ea.
Percutit quidem, ſed ſanat idem.
19. Ex ſex malis te eripiet,
Et in ſeptimo calamitas ad te non pertinget.
20. In fame te defendet a morte,
Et in bello a gladio.
21. A lingua calumniatrice latebis,
Securus eris a pernicie adventante.
22. Vaſtationem et famem ridebis,

 Nec

f) Verba textus מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם *a gladio ex ore eorum*, *Lud. de Dieu*, cui *Schultenſius* aſſentitur, per ellipſin relativi אשר explicat, et metaphorice dictum putat pro calumniis aut minis impiorum, ut ſimiles formulæ paſſim in Pſalmis obviæ ſunt. Quod quamquam non prorſus repudiandum videtur, tamen præplacet *Michaelis* conjectura (quam etiam *Dœderleinius*, *Hufnagelius* et *Moldenhauerus* ſuo aſſenſu comprobarunt) aliis punctis ſubjectis legi poſſe מְחֹרָב *victum* ſ. *debellatum*, vid. Biblioth. Orient. P. VII. p. 220. Sic reſpondet אֶבְיוֹן in altero membro.

Nec timebis a feris animalibus.
23. Cum lapidibus agrorum foedus tibi intercedet,
Et cum feris agreſtibus pacem coles.
24. Certus eris de tentorii tui ſecuritate,
Atque in ſede tua eligenda non errabis *g*).
25. Poſteros habebis multos,
Nepotes ad inſtar herbarum agreſtium.
26. Vultu corrugato abibis in ſepulcrum,
Uti aufertur ſuo tempore ſeges. —
27. Hæc ſunt quæ inveſtigavimus. Vera videntur.
Tu vero audi et ad uſus tuos converte.

CAPUT VI

Reſpondet Jobus Eliphaſo in hoc et ſequenti capite. Primo excuſat querelas ſuas impatientiores magnitudine et gravitate calamitatis ſuæ. Deinde rejicit ſolatium quod ille attulerat priſtinæ felicitatis recuperandæ, tanquam prorſus ineptum, cum nulla ſpes ſuperſit ejus conſequendi; mortem tantum ſibi ſperandam eſſe; quæ

g) Imagines poeticæ hujus et præcedentis verſus ſumtæ ſunt a more orientalium peregrinandi et proficiſcendi. Sæpe ſub cælo peregrinatori pernoctandum eſt, et nihil habet in quo caput reponat, quam lapidem. Quis neſcit exemplum Jacobi? Geneſ. 28, 11. Hujusmodi lapis eleganter dicitur *ſecuritatem* præſtare, uti omnino *hoſpitium* in Oriente ſanctum eſt et inviolabile. — Multum quoque intereſt peregrinantis aut vitam nomadicam agentis, noſſe loca, in quibus tuto tentoria ſua figere poſſit.

quæ ut mox veniat præoptat. Porro queritur de amicorum ſuorum in ſe iniquitate. Si quoque duriores fuerint ſermones ſui, poſſe tamen eos malorum ſuorum gravitate excuſari; commiſerationem eorum, non reprehenſionem ſe mereri. — Pergit deinde Capite VII. ad alias querelas de miſera vitæ humanæ conditione, a qua mox tranſit ad ſuam, quam tanquam triſtiſſimam deſcribit. Deum alloquitur, et poſtulat ut aut morte malorum ſuorum finem faciat, aut mitius ſecum agat. —. Mira arte poeta affectum varium hominis vehementius commoti et fere deſperantis pinxit.

1. Ad hæc Jobus ſic reſpondit:
2. Utinam ponderetur impatientia mea,
Meaque calamitas in trutina una attollatur.
3. Profecto arena maris hæc eſſet gravior,
Propterea verba mea paullo ſunt fervidiora.
4. Sagittæ enim omnipotentis mihi infixæ ſunt,
Quarum venenum jam bibit meus ſpiritus.
Terrores Dei me impugnant.
5. Num rudit onager ad herbam?
Num mugit bos appoſita farragine *a*)?
6. Num comeduntur inſipida ſine ſale?
Num eſt in albo ovi ſapor?
7. Abhorret animus *ab his*,

a) Non ſolent animalia hoc facere, niſi pabulum eis appoſitum eorum naturæ eſt contrarium. Sic Jobus quoque dicit, ſe abhorrere ab illa amicorum ſuorum conſolatione, quia non eſſet rebus et ſtatui ſuo apta et conveniens.

Sunt mihi inſtar cibi putridi. — —

8. Utinam veniret quod opto,
Utinam ſpem meam Deus impleret!

9. Ut ei placeret me conterere,
Ut protenſa manu *vitæ meæ filum* abſcinderet.

10. Id vero ſolatium mihi eſſet,
Exultarem in dolore, ſi non parceret,
Nam juſſa numinis non neglexi.

11. Quæ vires mihi ſunt, ut ſperare poſſim?
Quæ vita ſupereſt, ut eam prolongari optem?

12. Num vires lapidum mihi ſunt?
Num caro mea ænea?

13. Num ſi me ipſe juvare non poſſum,
Sapientia quoque deſtitutus ſum *b*)?

14. Afflicto

b) *Michaelis* et *Schnurrerus* (in Animadverſionibus ad quædam loca Jobi p. 7.) ellipſin h. l. ſtatuunt, ſed diverſa ratione. Ille quidem ex verſ. 11. אֲיַחֵל *an ſperare poſſum?* Hic vero ex eiusdem verſus poſteriori membro אַאֲרִיךְ mavult repetere: *protrahamne vitam, cum nihil auxilii ſuperſit.* At neutrum videtur neceſſarium, et nimis quæſita relatio verſ. 12. et 13. ad verſ. 11. Integra eſt ſententia. Negat Jobus, ſe virtute aut religione deſtitui, quanquam auxilio omni ſit privatus. — De voce תּוּשִׁיָּה dubito, an ſatis accurate *Michaelis* vertat hoc loco et infra 12, 16. 30, 22. per *ſolatium* et Cap. 5, 12. per *auxilium.* Et Prov. 2, 7. per *proſperam*

14. Afflicto exhibenda eſt ab amico humanitas,
Alloquin hic reverentiam Dei exuit *c*).
15. Fratres mei perfidi ſunt uti rivus *d*),
Uti torrentes defluunt,
16. Qui a glacie turbidi ſunt,
In quos nives defluunt.
17. At æſtu ſolis percuſſi diſparent,
Eo incaleſcente extinguuntur.

18. Do

ram valetudinem. Origo vocis ſatis clare indicat notionem ejus primariam *ſolidi* et *firmi*, quod in ſubſtantivo de firmo animi propoſito ſ. ſapientia dicitur, quæ notio in Proverbiis Salomonis maxime locum habet. In noſtro quidem loco *religio* ſ. *virtus*, ut ſumma ſapientia, intelligenda videtur. Sic quoque *Dœderleinius*, et *Moldenhauerus*: *Und iſt nun keine Hülfe mehr für mich? muſs denn die Tugend auch von mir gewichen ſeyn?*

c) Aſſentior h. l. *Schnurrero*, qui loco ad præced. notam laudato verſum paullo difficiliorem explicat per ellipſin verbi יהיה ad prius hemiſtichium. De alia verborum diſtinctione, quam *Michaelis* h. l. ſtatuit, legatur ipſe in Bibl. Orient. P. II. p. 222.

d) Elegans eſt locus inde ab hoc verſu usque ad viceſimum. Imago ſumta eſt a rivis et fluminibus, cuius generis in Arabia complura reperiuntur, quæ hieme et vere ſat aquæ habent ex nivibus in montibus liquefactis, in longiore vero decurſu æſtate exareſcunt. Cum his comparat Jobus amicos ſuos, a quibus jam deſeratur, cum eorum auxilio maxime indigeat.

Digitized by Google

18. Deflectunt *illuc* catervæ in via ſua,
Aſcendunt in vaſtum deſertum et dispereunt.
19. Proſpectant eos catervæ Themaenſes,
Peregrinantes Sabæi eos expectant.
20. Pudefiunt, quod confiſi ſunt.
Veniunt ad eos et pudore ſuffunduntur. —
21. Similiter et vos in nihilum *e*) abitis,

Vide-

e) In altero membro huius verſus varia lectio in ipſis Codd. iudaicis. Orientales habent לא. Sic quoque Chaldæus legit. Quæ lectio aptiſſimum ad præcedentem ſimilitudinem ſenſum offert, dummodo לא vertatur per *nihilum: Nihil quaſi eſtis*, h. e. nullius eſtis utilitatis, ſicut illa flumina, quibuscum eos comparaverat. *Occidentales* autem ſic dicti Codd. Judæorum habent לו *nunc enim illi*, ſc. flumini, de quo verſ. 15. *ſimiles eſtis.* Diverſam ab utraque lectionem exhibent *οἱ ό, ἀτὰρ δὲ καὶ ὑμεῖς ἐπέβητέ μοι ἀνελεημόνως. Sed vos quoque immiſericordes in me ſurgitis.* Legiſſe videntur לי Similiter Syrus, ita tamen, ut alteram lectionem לא quoque exprimat: *vos quoque contra me eſtis, cum nondum viſa perturbatione timetis.* לי habet quoque Cod. Caſſelanus, ſed ex correctione, vid. *Michaelis* in Bibl. Orient. P. III. p. 218. Mihi quidem lectio Oriental. Codd. præferenda videtur. Nam לא haud raro *nihil* ſignificare, planum eſſe arbitror ex locis a *Schultenſio* citatis, Cap. 8, 9. Ezech. 17, 17. 21, 18. 32. Hæc notio vero bene reſpondet comparationi cum fluminibus, quæ evaneſcunt aut in nihilum abeunt. Altera lectio לו quoad ſenſum non differt.

At

Videtis terrorem et timetis.

22. Num vos rogavi, ut mihi munera offerretis,
Aut de facultatibus veſtris aliis pro me donaretis?

23. Ut me ab hoſte liberaretis?
Ut me a violento vindicaretis?

24. Docete me, ſilebo;
Et in quo erraverim, demonſtrate.

25. In quo nimis acres ſint ſermones *mei* veri?
In quo recte poſſint a vobis reprehendi?

26. Num verba tantum carpere vultis?
In ventum abeunt dicta deſperantis *f*).

27. Aſt ſuper pupillo ſortem jacitis,
Atque amico foveam foditis *g*).

28. Placeat vobis ad me reſpicere,
In conſpectu veſtro non cauſa cadam *h*).

29. De-

At *Michaelis* eam nimis tenuiter et ſine ullo reſpectu ad præcedentem ſimilitudinem, cum tamen manifeſtam hæc verba illius applicationem contineant, vertit: *cum jam mihi adſitis, da ihr jetzt bey mir ſeyd.* Gravius et melius *Moldenhauer: das, das ſeyd ihr mir itzt* —

f) h. e. non minus urgendi ſ. reprehendendi ſunt ſermones hominis deſperati. Sic ſe Jobus vocat, quod ſpem nullam reſtitutionis ſuæ habebat.

g) Dictiones proverbiales, quarum altera, vis quæ inermi et iam ſatis afflicto infertur, altera, perfidia in alios indicatur.

h) כזב h. l. vim habet judicialem ut Cap. 34, 6.

29. Denuo inſtate, modo abſit iniquitas.
Denuo inſtate, *inquam*, adhuc juſta eſt mea cauſa.
30. Quænam fuit in lingua mea iniquitas?
An palatum meum tam parum prava diſcernat?

CAPUT VII

1. Nonne ſtatio eſt admodum moleſta a) homini in hac terra?
Vita ejus ſimilis eſt diebus mercenarii.
2. Ut ſervus umbram anhelat,
Ut mercenarius mercedem expectat:
3. Sic mihi tributi ſunt menſes miſeri,
Noctesque ærumnoſæ annumeratæ.
4. Si decumbo, dico, quando ſurgam?
Nimis mihi nox protracta videtur.
Exſatior jactationibus usque ad diluculum.
5. Caro mea obtecta eſt putredine b) et terræ ſordibus,
Cutis

a) Aptius videbatur et perſonæ Jobi convenientius, צָבָא vertere *ſtationem* ſ. *conditionem moleſtam*, quam *militiam*. Sic infra 10, 17. 14, 14. et Eſ. 40, 2. Sic quoque Moſes vocat functiones Levitarum ſane moleſtas, Num. 4, 3. 30. 35.

b) hebr. רִמָּה *vermis*. Origo vocis eſt in arabico רמם *carioſum eſſe*, *putreſcere*, ex quo etiam notio *vermis* venit. Illam ſignificationem præfero, quoniam non certo conſtat, num in ulceribus Jobi *vermes* adeo nati ſint.

Cutis mea ſciſſa et exulcerata *c*).
6. Dies mei citius abſolvuntur quam trama,
Conſumuntur ſine ſpe *d*).
7. Memento halitum eſſe meam vitam,
Neque oculos meos rurſus bona eſſe viſuros.
8. Non me ſpectabunt porro alii;
Cum me quæſiveris, non ero *e*).
9. Conſumitur nubes et diſpellitur;
Sic qui ad inferos abiit, non redit.
10. Non redit ad domum ſuam,
Nec locus ſuus eum amplius agnoſcit. —
11. Igitur ego quoque os meum non continebo,

Loquar

c) In textu recepto legitur יִמָּאֵס. Quod cum ex ſignificatione vulgati verbi מאס *aſpernatus eſt* explicari non poſſit, multi deducunt a מסס et legi volunt יִמַּס. Quam lectionem exhibet quoque Cod. Regiomont. poſterior, ſed ex correctione. *Kennicottus* vero in nullo codice literam א omiſſam eſſe obſervavit. *Schultenſius* confert Arab. ماس *exulceratus eſt*, quod æque ac illud מסס aptum.

d) Eadem comparatio, quæ Cap. 6, 9. adfuit; vitæ nempe humanæ cum textura, ejusque finis cum abſciſſione fili textorii ſ. tramæ, cf. Eſ. 38, 12. — Poſterius membrum poteſt etiam ſic explicari, ut allegoria continuetur: *conſumuntur exſpirante trama.* תקוה enim etiam *filum* notat. Joſ. 2, 18. 21.

e) Eadem anthropopathia, quæ infra verſ. 21. et formulæ ſimiles 8, 22. Pſ. 37, 10. 36.

Loquar in illo animi mei dolore,
Effundam illum mentis meæ moerorem.
12. Num mare ego ſum? num crocodilus,
Quod cuſtodiam mihi opponis *f*)?
13. Quando ſperabam ſtratum meum me eſſe conſolaturum,
Aut ſublevaturum querelas cubile meum:
14. Terres me ſomniis,
Perturbas me viſionibus.
15. Ut malim ſuffocari *g*)
Et mori, quam in hoc corpore *h*) vivere.

16. Sed

f) Feroces et indomitæ naturæ homines comparantur cum mari æſtuante, aut monſtris marinis, quæ non niſi maximis impedimentis oppoſitis coerceri aut domari poſſunt. Quæ cuſtodiæ ſ. repagula h. l. ſunt *poenæ divinæ*, quibus durius ſe affligi Jobus conqueritur, quam commeruiſſet.

g) Aſſentior pleriſque interpretibus, qui חנק in propria ſua ſignificatione *ſuffocavit* accipiunt. *Michaelis* quidem paullo confidentius, uti videtur *αὐτοχειρίας* votum verbis Jobi ineſſe judicat, et interpretes notat, qui hoc non intellexerint. Miror Virum Illuſtrem, qui morbum Jobi, Elephantiaſin puto, ex antiquis medicis recte illuſtravit, non obſervaſſe, Aretæum *ἀγχόνην* et *δυσπνοίαν* inter morbi ſymptomata quoque commemorare. vid. *Dœderlein* ad h. l.

h) hebr. מֵעַצְמוֹתָי. Quanquam *oſſa* pro toto corpore dicta

16. Sed abſit! Non vivam in perpetuum.
Deſiſte a me, inanis eſt vita mea.
17. Quid eſt homo, quod eum ſuſtentes,
Ejusque curam geras *i*):
18. Si ſingulis diebus eum affligis,
Si ſingulis momentis eum probas?
19. Quam diu non avertis a me faciem tuam?
Nec ullum mihi ad reſpirandum tempus concedis *k*)?

20. Pec-

dicta videntur, quod plerique ſtatuunt; tamen non repugnem, ſi quis proprie *oſſa* morbo iſto tetro emaciata aut deturpata malit intelligere. *Reiskius* ingenioſe conjectavit legendum eſſe מֵעַצְּבוֹתַי *præ doloribus meis;* quam conjecturam præferrem lectioni receptæ, ſi Codd. auctoritate defendi poſſet. Jobus ipſe Cap. 9, 28. hoc vocabulum de morbi ſui doloribus adhibuit. Placuit ea quoque, aut pro facilitate ſua, *Reiskio* non inſpecto, in mentem venit *Moldenhauero.*

i) Quanquam plerique interpretes aliter hunc verſum intelligunt, tamen hæc ſententia gravior mihi videtur et diſputandi ardori, cui jam Jobus indulget, convenientior, ſi dixerit: indignum Deo eſſe, curam gerere hominis in primis annis vitæ ejus, educando eum tam ſtudioſe; deinde vero eum affligere, quaſi illud hunc ipſum in finem ab eo factum eſſet. Similis locus eſt Cap. 10, 8 ſeqq. Verba hunc ſenſum admittere, non opus eſt, ut probem.

k) hebr. *non permittis ut deglutiam ſalivam meam.* Dictio

C eſt

20. Peccaverim, quid tibi feci? o hominum obſervator,
Quare me tibi elegiſti tanquam lapidem offenſionis,
Ita ut mihi ipſe oneri ſim?

21. Quare non remittis mihi peccata mea?
Cur non aboles iniquitatem?
Mox in pulvere recumbam.
Mane ſi me quæſiveris, non ero.

CAPUT VIII

Bildadus, alter Jobi amicus, qui in hoc capite loquitur, primo reprehendit ejus vehementiam atque audaciam, qua contra Deum locutus ſit. Liberos ejus fuiſſe ſine dubio impios, propterea jure meritoque a Deo eſſe ſublatos; hanc enim eſſe rationem, qua Deus in gubernatione hujus univerſi utatur, ut ſi quoque impii ad tempus felices ſint et floreant, tamen mox eos a Deo puniantur; contra vero pios a Deo defendi et bonis cumulari. Quod ex antiquo carmine probat: verſ. 11—20. Tandem concludit, Jobum etiam priſtinæ felicitatis reſtitutionem ſperare poſſe, ſi pietas ejus integra fuerit et infucata.

1. Tum Bildadus Schuchita exorſus hunc in modum dixit:

2. Quousque iſta loqueris,
Et inſtar turbinis vehementis dicta tua prorumpent?

3. Num Deus jus pervertet?
Num omnipotens juſtitiam corrumpet?

4. Si

eſt proverbialis, quam *Schultenſius* ex uſu linguæ arabicæ illuſtravit, cui aliam ſimilem ſubſtitui.

4. Si filii tui peccarunt,
Suſtulit eos propter *a)* peccata ſua.
5. Quodſi vero tu mature Deum quæſiveris,
Et gratiam omnipotentis imploraveris:
6. Si purus et rectus fueris,
Mox gratia ſua ad te converſus, reſtituet domum
tuam juſtam.
7. Ut initium tenue quidem videatur,
Poſtremum vero multum amplificetur. —
8. Conſule, quæſo, priſcum ævum,
Diligenter attende ad experientiam majorum.
9. Heſterni enim ſumus et nihil ſcimus,
Umbra eſt vita noſtra ſuper terra.
10. Illi te docebunt tibique dicent,
Hunc in modum ex experientia verba facientes:
11. Num effert ſe papyrus *b)* absque uligine?
Num creſcit ulva *c)* ſine aqua?

 12. Ad-

a) Non argutandum putem in בְּיַד. Simpliciter eſt *propter* et יד redundat, uti centies, e. c. Eſ. 64, 6. Sed *Michaeli* gravior ſententia videtur, nam vertit: *Er ſchaffte ſie weg, und ihre Sünde ward ſelbſt der Büttel.*

b) גֹּמֶא *papyrus*, frutex Aegypto peculiaris, in Nilo nempe maxime ſuccreſcens, de quo *Celſius* egit in Hierobot. P. II. p. 137.

c) De אָחוּ vid. idem *Celſius* P. I. p. 340. *Juncus* eſt, vel *ulva*, herba ad paſcendum non incepta; quod apparet ex

12. Adhuc in virore ſuo, quamvis non evellatur,
Tamen prius quam alia gramina exareſcit.
13. Similis ratio eſt omnium qui Dei obliviſcuntur,
Spes hypocritæ perit.
14. Fiducia ejus præciditur *d*),
Confidentia ejus eſt domus araneæ,
15. *Quæ* domui ſuæ innititur inſtabili,
Firmiter eam tenet, nec tamen obtinet. —
16. Viret ad ſplendorem ſolis *e*),
Per hortum emittit ramos.
17. Implexos habet tumulo radices,
Exiſtit inter lapides.
18. Et tamen ita aufertur e loco ſuo,
Ut nunquam ibi extitiſſe videatur.
19. Ecce! hæc eſt felicitatis illius natura,
Succreſcunt deinde alii *in ejus locum.* — *f*)
20. Scito igitur Deum non repudiare virum integrum,
Nec

ex Geneſ. 41, 2. 18. in ora tamen cujusque fluminis proveniens.

d) יָקוֹט non derivandum putem a קוט *faſtidire*, propter ſequens membrum, cui hæc ſententia parum apta; ſed a قصّ vel قطّ quod utrumque eſt *ſecuit, præſecuit. Golius* p. 1429.

e) Nova eſt comparatio hypocritæ cum frutice aut planta non diu perennante, quæ cito creſcit et late ſe diffundit, ſed cito etiam exareſcit et tollitur.

f) Non deterrentur alii illorum exemplis.

Nec juvare improbos.
21. Efficiet, ut pleno ore gaudeas,
Et labiis tuis exclames.
22. Adverſarii vero tui pudore opprimentur,
Et tabernaculum impiorum e medio tolletur.

CAPUT IX

In hoc et ſequenti capite reſpondet Jobus, ſic ut ſeſe purget ab accuſatione, quaſi vel ignoret vel neget ſummam Dei ſapientiam et potentiam, cui nemo reſiſtere poſſit, et abſolutum ejus imperium, quo facere poſſit quidquid illi libuerit; propterea nullo modo poſſe aut debere hominem cum Deo contendere, neque juſtum aut ſanctum ſeſe putare. — Sed magnitudinem dolorum ſuorum cogere ipſum ad querelas effundendas. In his autem querelis dolore abripitur, ut minus reverenter de Deo loquatur et nimiæ ſeveritatis in homines etiam probos eum accuſet. Sic vero magna arte poeta, uti in præcedenti Jobi ſermone, expreſſit affectum hominis parum ſibi conſtantis in ſenſu doloris ſui. Modo reverenter loquitur de Deo et præ ſe fert patientiam; modo ſenſu doloris abreptus impatientius loquitur, et mala ſua graviora dicit, quam quæ commeruerit.

1. Tum Jobus ſic reſpondet:
2. Profecto bene novi ita eſſe.
Quis enim mortalium juſtus ſit coram Deo?
3. Si velit eum in jus vocare,
Non poterit ei vel ad milleſimam partem reſpondere.
4. Sapiens eſt et potens,
Quis ſe ei ſalvus oppoſuit?

5. Transfert montes ex improviſo,
Halitu ſuo eos evertit.
6. Commovet terram e ſede ſua,
Ut columnæ ejus contremiſcant.
7. Eo jubente ſol non oritur,
Et ſtellæ non lucent.
8. Cælum inclinat ſolus,
Et incedit per alta maris.
9. Fecit Arcturum, Orionem,
Plejades et penetralia auſtri.
10. Qui magna præſtat, quæ perveſtigari non poſſunt,
Et mira efficit innumerabilia.
11. En! me aggreditur *a*), nec eum video;
Invadit me, nec eum animadverto.
12. Rapit *b*). Quis eum retrahit?
Quis dicat ei: quid agis?
13. Deus eſt, nihil iram ejus poteſt avertere,
Sub eo humiliantur vel ferociſſimi. —
14. Quomodo igitur ei reſpondere audeam *c*),
Si vel lectiſſimis verbis utar?

15. Si

a) Sic עָבַר et חלף de invaſione ſ. infeſtatione adhibetur Eſ. 8, 8.

b) חתף ſemel adhuc per ט Prov. 23, 28. خطف *raptim incedere*, de inceſſu rapido hominis et animalis dicitur, hinc etiam de violenta invaſione.

c) Jam transfert Jobus ad ſe, quæ in genere de majeſtate Dei dixerat.

15. Si quoque juſtam cauſam haberem, non reſponderem,
Sed gratiam potius judicis mei implorarem.
16. Si clamarem et ille reſponderet,
Non crederem eum ad vocem meam attendiſſe.
17. Ille, qui ex turbine me contrivit,
Et ſine cauſa multa mihi inflixit vulnera.
18. Non reſpirandi tempus mihi concedit,
Sed novis ſubinde amaritudinibus me cumulat.
19. Si viribus potentioris dirimenda lis ſit, en illum *cc*)!

cc) Recte obſervat *Schnurrerus*, interpretes pleroſque ſumere אַמִּיץ הִנֵּה dictum eſſe pro הִנֵּה אַמִּיץ quod tamen ſit contra linguæ uſum, ex quo particula הנה alii vocabulo ejusdem commatis non ſoleat poſtponi. *Hubigantius* jam ſcribarum errorem ſuſpicatus mutandum judicavit הִנֵּה in הוא quam lectionem quoque Syrus interpres exhibet ܚܣܝܢ ܗܘ. Neque magis οἱ ό et Vulgatus illud *ecce* expreſſerunt: ὅτι μὲν γὰρ ἰσχύει κράτει. *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt.* At objicit *Schnurrerus* non apparere, quomodo fieri potuerit, ut planiſſima lectio הוא tranſiret in aliam minus obviam atque ſubobſcuram. Acute vero conjectavit literam Vau ſequentis vocis ואם jungi poſſe præcedenti הנה ut lectio ſit הִנֵּהוּ quæ forma vocis obvia quoque eſt Jer. 18, 3. Adeo facilis eſt et plana hæc emendatio, vt vix dubitem, quin cuique artis criticæ perito probetur.

Si juro, quis diem ei dicat *d*)?

20. Si juſtus eſſem, tamen me ipſe damnarem;

Si probus, me ipſe arguerem *e*).

21. Sum probus, ſed non experior *f*),

Tædet

d) Ex lectione textus recepta eſt מִי יוֹעִידֵנִי *quis mihi diem dicet?* Quæ non commodam admittit explicationem. Sic eſſent hæc verba Dei et ſupplendum יֹאמַר *dicet ille.* Sed nimis ſubita videtur hæc perſonarum loquentium mutatio. Atenimvero duplex adhuc extat horum verborum lectio, quarum quæque commodum ſenſum offert. Altera eſt verſionum antiquarum, nempe græcæ et ſyriacæ, quarum auctores non affixum primæ, ſed tertiæ perſonæ legiſſe videntur. *οἱ ό* habent: *τίς οὖν κρίματι αὐτοῦ ἀντιστήσεται, quis judicio ejus reſiſtet?* et Syrus: ܡܢܘ ܢܐܪܥܝܘܗܝ *quis occurrat ei?* Ex *Heathio* refert *Michaelis* in Bibl. Or. P. VII. p. 229. extare hanc lectionem in Cod. Huntingtoniano. Quod miror non obſervatum eſſe a *Kennicotto*. Qui vero aliam lectionem in quinque Codd. obviam citat, nempe יוֹדִיעֵנִי *quis me inſtruet*, ſc. dicendis. Priorem lectionem in verſione expreſſi.

e) Loquitur Jobus de ſumma Dei ſanctitate, ex cuius judicio nemo, ſi quoque nullius peccati ſibi conſcius eſſet, ſanctus eſſet, et omnis labis expers. Sed fatetur id ipſum grave ſibi videri, quod hac ratione pius æque ac impius reus apud Deum ſit aut habeatur.

f) Ex malis a Deo mihi immiſſis longe aliter de me ipſe judicare cogor.

Tædet me vitæ meæ *g*).

22. Singulare hoc eſt *h*), propterea ſic ſtatuo,
Probum et improbum conficit.

23. Quanquam flagello interficit ſtultos *i*),
Ridet quoque infortunia innocentum.

24. Terra traditur impiorum violentiæ,
Facies judicum obvelatur *k*).
Si hæc non ſunt iræ ejus effectus, cujus alias?

25. Dies mei velociores fuerunt curſore,
Aufugerunt, non viderunt bonum.

26. Citius tranſierunt navibus arundineis,
Uti aquila volat ad eſcam.

g) Secundum diſtinctionem accentuum נַפְשִׁי ad prius membrum referendum eſt; ſed melius haud dubie cum poſteriori jungitur. Id quoque *οἱ ό* et Syrus et verba hebraica ſibi in utroque membro reſpondentia probant.

h) *Schultenſius* probavit, Arabes אחת dicere pro *re gravi, iniqua* et *moleſta*. Sic quoque Ezech. 7, 5. *Schnurrerus* quidem h. l. vertit *perinde eſt*. Sed hoc germaniſmum ſapere videtur, *es iſt eins* ſ. *einerley;* atque haud ſcio, an in alio loco אחת hoc ſenſu obvium ſit.

i) Pro פִּתְאֹם *ſubito* aliis punctis ſubjectis פְּתָאִם *ſtulti* legendum eſſe docet oppoſitio ad נְקִיִּם *innocentes*. In ſenſu autem deteriori פְּתָאִם *ſtulti*, ſæpe dicuntur impii et irreligioſi in Proverbiis Sal.

k) Hoc *vel* de judicibus injuſtis, *vel* de triſtitia magiſtratus juſti ob regnantem improbitatem, poteſt explicari.

27. Si dixero: oblivifcar querimoniæ meæ,
Omittam triſtitiam, memet colligam;
28. Terrent me tot dolores mei,
Novi enim me per te non innocentem eſſe.
29. Sim igitur improbus,
Quid enim incaſſum laborem *l*)?
30. Si quoque aqua nivea me lavero,
Et manus meas puriſſime mundavero;
31. Tunc tu me in foveam intingis,
Ut ipſa veſtimenta mea memet abhorreant.
32. Etenim non homo eſt, ſicuti ego, cui reſpondere poſſim,
Quocum ego una in jus venirem.
33. Non eſt inter nos arbiter,
Ab utroque noſtrum timendus.
34. Auferat a me virgam ſuam,
Nec terrore ſuo me perturbet *m*):

35. Tunc

l) Impatientius et vehementius h. l. dicit, quod verſ. 20. et 21. modeſtius et reverentius dixerat. Senſus: Nolo me ullo modo excuſare aut defendere. Fruſtra eſſem in eo. Multo minus audeo cum Deo contendere.

m) Sic declarat tandem, verba ſunt *Schultenſii*, quod per totum caput inſinuarat, ſe in optima cauſſa ſuccumbere, eo quod infinitæ majeſtati et potentiæ reſiſtere non poſſet. Si Deus de ea aliquid remittere vellet, ſe haud difficulter innocentiam ſuam coram ſummo tribunali evicturum eſſe. Quod in ſequenti verſu clare et perquam audacter dicit.

35. Tunc ego loquar, nec eum timebo,
Nihil enim mihi conſcius ſum *n*).

CAPUT X

1. Vitæ pertæſus ſum.
Permittam me querelis meis,
Loquar de animi mei dolore.
2. Sic Deum alloquor: noli me condemnare,
Indica mihi cur mecum contendas.
3. Placetne tibi, opprimere et repudiare opus manuum tuarum,
Et conſilio impiorum favere?
4. Num corporeos habes oculos,
Aut humano more vides *a*)?
5. Num dies tui diebus mortalium ſimiles,

Aut

n) hebr. כִּי לֹא כֵן אָנֹכִי עִמָּדִי. Facilem ſenſum habent verba hæc in affectu loquentis abruptius dicta, ſi arcte junguntur cum præcedentibus: *non timebo eum, quoniam non ſic ſum penes me, ut illum timere poſſim aut debeam.* Scilicet non tantum negat *ſe improbum eſſe*, ſed etiam conſcientiam ſuam tam certo de probitate et virtute ſua teſtari, ut non vereatur, ſeſe explorationi divinæ committere. Infra Cap. 23, 10 ſeqq. audacius adhuc eandem ſententiam profert.

a) Affectus humani, ira et indignatio, produnt ſe maxime oculis. Deus vero indulgens et miſerans eſt, non illis affectibus ut homo ſubjectus.

Aut anni tui, qualis eſt vita hominis?
6. Ut inquiras in meam iniquitatem
Et in peccata mea animadvertas *b*)?
7. Quamvis *c*) ſcias me non eſſe impium,
Nec ſit qui e manu tua eripere poſſit. —
8. Manus tuæ me finxerunt et formarunt *d*)
Uniter *e*) circumquaque, et *nunc* me perdes?
9. Memento, quod tu me uti lutum finxeris,

Et

b) Jobus cauſam cupiditatis humanæ ſe ipſum ulciſcendi deducit a brevitate vitæ humanæ, aut ejus fragilitate. Puniunt et ulciſcuntur homines injuriam ſibi illatam ſuæ ſecuritatis cauſa. Deus contra non habet quem timeat, nullo modo poteſt lædi, nemo poteſt ei nocere: igitur non eſt, quod peccata puniat, aut ſeſe eis offenſum putet. — Objectio eſt, qua etiamnum Deiſtæ non raro utuntur contra juſtitiam Dei vindicativam. *Michaelis.*

c) עַל h. l. eſt *quamvis*, *non obſtante*, ut 16, 17. 34, 6. Eſ. 53, 9. Senſus: num tantum potentiam tuam irreſiſtibilem in me experiri aut oſtendere cupis?

d) עשה h. l. de arte et ſtudio, quo aliquid factum eſt, dicitur, uti alias, e. c. Amos 9, 14. עָשׂוּ גַנּוֹת.

e) Lectio textus recepta: יַחַד סָבִיב defendi poteſt, ſi cum antecedenti עָשׂוּנִי junguntur: *fecerunt me uniter* (ut *Lucretii* vocabulo utar) h. e. unitiſſime juncti et coagmentati. Sic Pſ. 122, 3. De diſſenſu antiquorum interpretum in horum verborum lectione et conjectura dubia vid. *Michaelis* in Bibl. Or. P. VII. p. 232.

Et in terræ pulverem iterum ſis converſurus.
10. Nonne ſic uti lac me effudiſti,
Et ut caſeum me coagulaſti?
11. Cute et carne me induiſti,
Oſſibus et nervis compegiſti.
12. Vitam et benignitatem mihi tribuiſti,
Et cura tua ſervavit meum ſpiritum. —
13. Hæc vero apud te recondita habebas *f*),
Jam experior iſta tibi fuiſſe conſilia.
14. Si peccavi et tu velis me obſervare,
Neque me ab iniquitate me abſolvere:
15. Si improbus fui, væ mihi!
Si probus, nec tamen audeo caput attollere,
Satur ignominiæ et ſpectator *g*) miſeriæ meæ.

16. Quodſi

f) Summam hæc Jobi verba indignationem ſpirant: *iſta recondidiſti in animo tuo*, ſc. afflictiones, quibus jam me torques: q. d. quanquam omnia illa inde a primo vitæ meæ ortu beneficia in me contuliſti, tamen jam decreveras me aliquando tam ſevere punire. — Nimis vehementia viſa fuerunt hæc verba nonnullis interpretibus, propterea lenius et mitius ea voluerunt explicare. Sed meminiſſe debebant, hanc lenitatem ab affectu Jobi, quo loquitur et ſecundum verſ. 1. etiam loqui decreverat, alienam eſſe.

g) Pro רְאֵה legendum eſt רֹאֶה. *Schultenſius* quidem adjectivum eſſe dicit רְאָה in ſtatu conſtructo, cujus ta-

men

16. Quodſi me efferrem, venaris me ut leonem,
Et idemtidem vulnera mihi altius infligis.
17. Novos contra me teſtes *h*) producis,
Multiplicas indignationem adverſus me,
Novi ſubinde exercitus mihi inſtant. —
18. Cur ex utero me eduxiſti?
Exſpiraſſem nulli viſus oculo.
19. Eſſem tanquam non fuiſſem,
Ex utero ad ſepulcrum deductus.
20. Nonne pauxillum dierum meorum mox ceſſabit?
Utinam a me remittat, ut me paulliſper recipiam.
21. Antequam abeam, nec revertar *i*),
In terram tenebrarum et umbræ.
22. In terram vertiginis caliginoſæ,
Quales ſunt umbrarum tenebræ ſine ordine,
Cujus ſplendor caligini par eſt.

CAPUT

men formæ alia exempla deſunt: Reſpondet præcedenti שְׁבִיעַ.

h) *Teſtes* vocat mala et morbum immiſſum, qui perſuadebant amicis Jobi et aliis, eum peccatorem eſſe inſignem, quem propterea Deus puniat. In ultimo membro alio tropo ea *exercitus diverſos* vocat, qui ipſum aggrediantur.

i) Definit in eleganti deſcriptione mortis, ſ. regni inferorum, ad quod mox ſit abiturus.

CAPUT XI

Tertius Jobi cenſor, qui in hoc capite loquitur, longe eſt ſeverior et inhumanior, quam duo priores. Claris verbis Jobum vocat hominem ventoſum, loquacem, atque impium, quem Deus propter peccata ſua occulta puniat. Hortatur eum, ut ex contemplatione ſummæ Dei perfectionis ſua peccata agnoſcat, pœnitentiam agat et gratiam ejus imploret, tunc ſpem eſſe ut priſtina fortuna ei redeat, qua alias, uti omnes peccatores, ſit deſtitutus.

1. Reſpondit Zopharus Naamathita in hunc modum:
2. Num iſta verborum multitudo non reſponſum feret?
Num homo loquax erit juſtus?
3. Jactantias tuas alii ſilentio ferent,
Et illudes nemine confundente?
4. Dicis: vera loquor,
Et mundus ego ſum in oculis tuis *a*).
5. At enim vero utinam Deus loqueretur,
Et aperiret labia ſua adverſus te,
6. Et tibi ob oculos poneret ſecretam ſapientiam;
Nam duplo major eſt perfectiſſima cognitione *b*).

Tunc

a) ſc. Deus! Sed nomen Dei ſæpe in hoc libro omittitur.

b) Verba textus כִּפְלַיִם לְתוּשִׁיָּה ſunt perquam difficilia. Ego quidem תושיה eodem ſenſu accipio, quo bis adfuit Cap. 5, 12. et 6, 13. de perfecta aut ſolida cognitione ſ. ſapientia. Quam ſi homo quoque, dicit Zophar, de gubernatione divina (quæ ſub ſapientia occulta

Tunc ſane intelligeres, Deum remittere tibi adhuc
de poena iniquitatis tuæ *c*).

7. Num Dei conſilia intima perveſtigabis?
Num plene et perfecte naturam omnipotentis
percipies?

8. Cæli altitudinem æquant, quid ages?
Orco profundiora, quid intelliges?

9. Menſura eorum terram in longitudine
Et mare in latitudine ſuperat.

10. Si invadit, vinculis conſtringit,
In cœtum producit, quis eum refutabit *d*)?

11. Novit enim ſocios nequitiæ,

Videt

culta intelligitur) conſequi poſſet, tamen longe plura aut majora ſupereſſe, quæ illam cognitionem humanam ſuperarent. Sic videtur incomprehenſibilis Dei natura deſcribi, de qua etiam ſequens locus agit. Alii aliter. Nihil definio.

c) Ex alia verbi נשה ſignificatione verti etiam poteſt: *Deus exigit jam a te pœnam iniquitatis tuæ.* Illud præferendum videtur propter ſeverum Zophari de Jobi pietate judicium. Sic quoque Vulgatus: *intelligeres, quod minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.*

d) *Michaelis* recte obſervat, hæc explicanda eſſe ex antiqua forma judiciorum, in quibus totus populus de reo ſententiam dicebat. Comprehenſus ab accuſatore vinctus ducebatur in cœtum, ut populus judicaret. — חלף hoc ſenſu adfuit Cap. 9, 11. הֵשִׁיב de refutatione, quæ fit allatis argumentis, occurrit Cap. 13, 22.

Videt ſcelera, quanquam ad ea attendere non videatur.

12. Igitur homo inflatus ſapere diſcat,
Et ferus reddatur humanior. — *e*)

13. Tu vero ſi animum induxeris
Ut ad eum preceris,

14. Remove, ſi qua infectus es, iniquitatem,
Nec reperiatur in tentorio tuo ſcelus.

15. Tunc abſque macula *f*) faciem poteris attollere,
Firmus eris, nec timebis.

16. Tunc oblivifceris miſeriæ,
Ut aquarum præterlapſarum ejus recordabere.

17. Aevum felicius, ipſa meridie clarius, tibi lucebit.

Sis

e) Verba textus ſunt: וְעַיִר פֶּרֶא אָדָם יִוָּלֵד *et pullus feri aſini naſcatur*. פֶּרֶא *onager* propter indomitam ſuam naturam metaphorice dicitur pro homine obſtinato, contumaci, e. c. Geneſ. 16, 11. de Iſmaele. In verſione autem hunc tropum nimis alienum a linguis occidentalibus propriis verbis putavi explicandum. — Quoad nexum obſervo non videri hæc verba *conſequens* eſſe ex præcedentibus, ſed *concluſionem* ad ſuperiorem convictionem, in qua tranſitus ſimul fit ad ſequentem exhortationem.

f) Invidioſa eſt alluſio ad morbum Jobi, qui ſe inprimis quoque in facie oſtendere ſolet, q. d. non te pudebit amplius faciei tuæ maculatæ etc. cf. *Michaelis*.

Sis tenebris oppreſſus, mox in clara luce verſaberis.
18. Securus eris, quod ſpes adeſt,
Sis pudore confuſus, mox ſecure cubabis.
19. Procumbes nemine deterrente,
Quin multi gratiam tuam appetent.
20. Oculi vero impiorum deſiderio conficiuntur,
Effugium eis periit,
Spe ſua cum ſummo animi mœrore excidunt.

CAPUT XII

Reſpondet Jobus Zophari in hoc et duobus ſequentibus capitibus. Primo invehitur in eum ejusque ſocios propter iniquum eorum de ſe judicium. Deinde refutat ſententiam eorum, bonis bene et malis male eſſe in hac vita. Falſam eſſe hanc opinionem contendit, atque aſſerit Deum pro arbitrio ſuo felicitatem hujus vitæ inter bonos et malos diſpertiri. Provocat ad res in natura obvias, ex quibus intelligi poſſit, animalia infirmiora ſæpe a potentioribus opprimi. Sic quoque a rebus proſperis hominis non poſſe concludi ad merita ejus aut vitæ integritatem. — Varius eſt in hoc quoque ſermone affectus Jobi modo lamentantis et conquerentis, modo ſperantis. Miratur maxime et indignatur, Deum cum creatura adeo imbecilli atque caduca, qualis homo ſit, tam ſevere agere poſſe. Ad quam miſeram vitæ humanæ conditionem ſubinde redit, eamque graviter admodum et ad vivum depingit.

1. Ad hæc Jobus ſic exorſus eſt:
2. Sane vero vos eſtis viri,

Et

Et vobiscum morietur *a*) ſapientia.
3. Mihi quoque intellectus eſt ſicuti vobis,
Non vobis ſuccumbam.
Et quis talia ignorat *b*)?
4. Ludibrio ſum aliis *c*), qui Deum invoco ut me exaudiat,
Ludibrio eſt probus et integer.

 5. Ca-

a) Quanquam lectio recepta חָמוּת ſenſum minime ineptum offert, tamen dignum eſt, quod obſervetur, *Aquilam* et *Symmachum* aliis ſubjectis punctis legiſſe חָמוּת. Ille vertit: καὶ σὺν ὑμῖν τελειώματα σοφίας. Hic: ἡ σὺν ὑμῖν ἡ τελειότης τῆς σοφίας. Num vero hæc lectio ſtilo Jobi dignior ſit altera vulgari, uti *Hubigantius* judicat, de eo cum nemine contendam.

b) Scilicet, quæ iſti cenſores dixerant, omnia eſſe in vulgus nota.

c) Conqueritur de injuria ſibi ab amicis ſuis illata. Suſpicionem eorum de virtute ſua et innocentia habet pro ludibrio et deriſione. Sed par pari refert, dum in ſequentibus eos ſuperbiæ et immiſericordiæ erga afflictos accuſat. — Difficultas eſt in affixo τοῦ לְרֵעֵהוּ quod videtur eſſe debere primæ perſonæ. Sed poteſt explicari, ſi שְׂחֹק habetur pro objecto irriſionis, ſuppleto אשׁר *Sum qui ludibrio eſt amicō ſuo.* Similiter in affixo ſequentis וַיַּעֲנֵהוּ — *Schulteuſius* verba קרא et ענה accipit in ſenſu judiciali: *vocans Deum, eidemque reſpondere paratus.*

5. Calamitati *d)* manet contemtus,
Proſperitati tranquillitas,
Percuſſis *e)* iis qui pede vacillant.
6. Tranquilla ſunt tentoria vaſtatorum,
Secura domicilia eis qui Deum irritant,
Quibus potentia ſua pro Deo eſt. — *f)*
7. At enim vero interroga beſtias, et te dócebunt,
Aut aves, et tibi exponent *g)*.

8. Aut

d) לַפִּיד non eſt h. l. *lampas* ſive *fax*, ſed eſt a פִּיד *calamitas*, *infortunium grave*, quod præter h. l. extat 30, 24. 31, 29. Prov. 24, 22.

e) נָכוֹן nonnulli derivant a כון et referunt ad כון *paratus eſt*, ſc. contemtus. Sed facilior eſt haud dubie derivatio a נכה *percuſſit: percuſſio eſt pede vacillantibus*, et ſenſus minime obſcurus: miſer omnibus injuriis eſt expoſitus.

f) hebr. *ei qui adducit Deum in manu ſua.* Periphraſis eſt hominis impii, qui potentia ſua abutitur ad opprimendos alios. Illuſtrari poteſt ex Geneſ. 31, 29. Hab. 1, 11.

g) *Michaelis* recte videtur nexum ſ. argumentationem verborum Jobi oſtendiſſe in nota ad verſ. germ. Nimirum id quod quæri debet ex animalibus, ſive cognoſci ex eorum natura et conſtitutione, eſt id quod in præcedenti verſu dictum eſt, feliciores eſſe impios piis. Nam in omnibus reliquis creaturis præter homines poſſumus hoc obſervare, potentiam prævalere impotentiæ. Animalia rapacia pro viribus ſuis rapiunt et dilacerant

8. Aut terræ virgulta *h*), et tibi monſtrabunt,
Immo piſces maris tibi enarrabunt.
9. Quis in his omnibus non agnoſcat,
Manum Jovæ iſta feciſſe?
10. In cujus poteſtate eſt anima omnium viventium
Et ſpiritus hominum ſingulorum.
11. Nonne auris verba explorare debet,
Uti cibos palatum guſtat?
12. In ſenibus ſapientia eſt,
Et longitudo dierum dat intelligentiam *i*).

D 3 13. Apud

lacerant alia, quæ eis reſiſtere non poſſunt, ut leones, lupi, aves rapaces. Similiter piſces majores vorare ſolent minores, de quibus elegans locus eſt apud Habac. 1, 14. 15. Jus naturæ igitur inter animalia videtur eſſe jus validiorum. — In regno vegetabili idem licet obſervare. Lolium aut herbæ noxiæ felicius ſuccreſcunt et augeſcunt, qaam bonæ et utiles. Ex his colligit Jobus verſ. 19. Deum videri idem conſtituiſſe inter homines.

h) Quanquam שִׂיחַ ſubſtantivum eſt generia maſculini, tamen conſtrui poteſt cum verbo fœm. generis תּוֹרֶךָּ quoniam junctum eſt τῷ ארץ et cum eo unam quaſi vocem conſtituit. — Nonnullis interpretibus שִׂיחַ eſt imperativus a verbo שִׂיחַ ut ita ſententia reſpondeat τῷ שְׁאַל in verſu præcedenti.

i) Difficile eſt nexum horum verſuum oſtendere cum anteceden-

13. Apud ipſum potentia eſt, et ſapientia,
Conſilium ei eſt, et intelligentia.
14. En! deſtruit, nec reſtauratur,

In

tecedentibus et ſequentibus. *Reiskius* quidem (in Conjecturis ſuis ad Jobum) eos non ſuo loco ſtare judicavit, ſed ponendos eſſe poſt verſum ſecundum. Idem placuit quoque *Moldenbauero*. Num ex ſuo ingenio, an quod *Reiskii* conjecturam approbabat, neſcio. Nam *Reiskii* libellus eodem fere tempore, quo *Moldenbaueri* verſio, prodiit. Quidquid ſit, diffiteri non poſſum, mihi quoque conjecturam perplacere. Favet ei non ſolum nexus horum verſuum minime obſcurus, ſi poſt verſ. 2. leguntur. Sed etiam Cap. 34, 2. 3. ubi Eliphaſus hæc ipſa verba retorquet ad Jobum. Atenimvero codicum auctoritate deſtitutus non auſus ſum hos verſus ex ſuo loco, quem ex recepta lectione tenent, transferre in alium. — *Michaelis*, quem *Hufnagel* h. l. ſequitur, putat Jobum citare inde a verſ. 13. usque ad finem capitis antiquum carmen, in quo omnia, quæ in mundo eveniunt bona et mala, divinæ providentiæ tribuantur, idque commendare ex duplici ratione. Primo quoniam haud dubie ab omnibus approbetur, qui illud audirent, uti palatum cibos guſtaret; deinde quoniam propter experientiam longævæ vitæ majorum jam per ſe auctoritatem haberet. — Vereor ne nimis quæſita videatur hæc connexio. — Alii dicunt ſententias eſſe proverbiales et ſenſum eorum explicant. At hic minime eſt obſcurus. De connexione verſuum inter ſe quæritur.

In vincula conjicit virum, nec dimittitur.
15. Aquam cohibet et exareſcit,
Emittit eam et terram ſubvertit.
16. Cum ipſo virtus eſt, et ratio,
Ejus eſt errans et in errorem ſeducens *k*).
17. Ducit conſiliarios in errorem *l*),
Et judices reddit inſanos.
18. Solvit regibus cingulum,
Et conſtringit lumbos eorum balteo *m*).

D 4 19. Mi-

k) Utrumque Deus creavit. Sermo eſt de permiſſione mali, de qua Hebræi ita loquuntur, ut Deum ipſum auctorem ejus dicere videantur, mitius explicandi. conf. *Glaſſius* p. 234. et 242.

l) Diſſentiunt interpretes antiquiores et recentiores in explicanda voce שׁוֹלָל quod h. l. legitur. Symmachus vertit: *εἰς ἀβουλίαν*, et Vulgatus *in ſtultum finem*. Syrus: בְּתַעְיָא *ducit conſiliarios in ſtultitiam*. Qui omnes videntur שׁוֹלָל a שָׁלָה *erravit* derivaſſe. Sed ex vulgari ſignificatione explicant *οἱ ὁ, ἄγων βουλευτὰς αἰχμαλώτους*. Aquila: *ἐπάγων συμβούλους λάφυρα*, et Chaldæus, *in catenis*. Non apta eſt oppoſitio ad ſequens membrum, ſi ex ſignificatione verbi שָׁלַל vertitur; nec tamen forma vocis permittit ut a שָׁלָה *erravit* dirivetur. Præterea præpoſitio ב aut ל ſupplenda eſt. Si ad parallelismum membrorum non attendatur, nulla eſt in verbis difficultas.

m) Phraſes explicandæ ſunt ex ritu orientali in ſolenni regum

19. Miniſtros facit aberrare,
Et magnates deprimit.
20. Privat viros diſertos eloquentia,
Atque aufert intellectum ſenibus.
21. Effundit ignominiam in ingenuos *n*),
Et laxat cingulum heroibus *o*).
22. Revelat profunda ex tenebris,
Et in lucem educit caliginem.
23. Gentes amplificat et perdit,
Expandit gentes, easque iterum e locis ſuis removet *p*).
24. Aufert terræ principibus intellectum,
Eosque

regum inauguratione, quæ fieri ſolet veſtis ſplendidæ inductione et conſtrictione ejus balteo ſ. cingulo. Senſus igitur non difficilis. Alio tropo: reges in throno ſuo collocat eosque iterum throno dejicit.

n) hebr. אֲפִיקִים *οἱ ὁ ταπεινοὺς*, Vulg. *qui oppreſſi fuerunt.* Sine dubio a פוק *titubare*, *vacillare* derivarunt. Male. Chald. *reges*, Syr. et Ar. *potentes.* Ab Arab. افق et فاق *excelluit*, *præſtantior et ſuperior fuit dignitate*, hinc h. l. viri virtute et nobilitate inſignes.

o) *Cingulum* ſignum dignitatis, fortaſſe etiam virtutis bellicæ. Sine tropo: *privat eos virtute.* cf. quoad phraſin Eſ. 5, 27. Jer. 38, 4.

p) Ex oppoſitione יַנְחֵם h. l. in ſenſu deteriori dicitur. Sic quoque 2 Reg. 18, 11. de abductione populi in exilium. Arab. انحى ſignificat *removere loco ſuo*, *abducere*, e medio auferre. *Golius* p. 2328.

Eosque errare ſinit per ſolitudines invias,
25. Ut palpent tenebras luce deſtituti,
Et errent ſicuti ebrii *q*).

CAPUT XIII

1. Hæc equidem omnia et oculis vidi,
Et auribus audivi atque percepi.
2. Quod vos intelligitis, et ego intelligo,
Non ſum vobis inferior.
3. Enimvero ad omnipotentem ſermonem inſtruere
Et cum Deo diſputare cupio.
4. Nam vos concinnatores mendacii eſtis *a*),
Vos omnes medici eſtis inepti.
5. Utinam tacuiſſetis,
Hoc enim vobis fuiſſet ſapientiæ.
6. Audite quæſo demonſtrationem meam,
Atque ad ſermonum meorum contentionem attendite.
7. Num pro Deo iniqua loquemini *b*)?

q) Phraſes tropicæ de incertitudine conſilii. Alias quoque obviæ Eſ. 19, 14. 28, 7. Pſ. 107, 24.

a) Eadem phraſis extat Pſ. 119, 69.

b) Reprehendit Jobus cenſores ſuos, quod Dei juſtam cauſam malis artibus defenderent, dum nempe in ipſum eſſent iniqui atque cauſas non veras attuliſſent, ſed fictas, propter quas Deus Jobum puniret. Quod eis ut magnum crimen imputat. Dei cauſa ſemper juſta eſt, nec

Num dolo eum defendetis?
8. Num perſonarum reſpectum habebitis,
Si Dei cauſam agere velitis?
9. Num *hoc* bene vobis cedet, ſi vos explorabit?
Num ipſum ut hominem poteritis illudere?
10. Profecto vos redarguet,
Si quantumvis ſpecioſe perſonarum reſpectum habetis.
11. Num majeſtas ejus vos non terreat?
Num timor ejus vos non percellat?
12. Sententiæ veſtræ memorabiles *c*) cineri ſunt ſimillimæ.
Illa argumentorum veſtrorum præſidia *d*) admodum ſunt infirma.

13. Silete,

eget iniquo defenſore; atque Deus pro juſtitia ſua hujusmodi defenſionem approbare non poteſt.

c) זִכְרוֹן alias *monumentum* ſignificat, quo memoria ad poſteros propagatur, ſed eſt quoque *commemoratio rerum memorabilium*, ut Exod. 17, 14. Poſterior hæc ſignificatio alteri membro aptior videtur. Sic intellexiſſet Jobus carmina illa antiqua majorum a cenſoribus ſuis laudata Cap. 8, 8.

d) hebr. גַּבֵּיכֶם *dorſa veſtra redigentur in dorſa luti. Dorſum* metaphorice ſignificat *robur, præſidium, propugnaculum*, quod *Schultenſius* ex uſu linguæ Arab. etiam probavit, ut Cap. 15, 26. *dorſum clipei*. Sic optime reſpondet priori membro.

13. Silete, ego loquar,
Quæcunque tandem mihi eveniant *e*).
14. Quare ſaluti meæ proſpiciam,
Aut vitam ſervare ſtudeam *f*)?

15. En!

e) hebr. וְיַעֲבֹר עָלַי מָה formulam eſſe ellipticam pro וְדָבָר עָלַי מָה יַעֲבֹר obſervat *S.hnurrerus* in Animadverſſ. ad Jobi loca quædam. Sed in allegatione loci 2 Sam. 13, 22. 23. haud dubie error typographicus eſt. — עבר vero de malo irruente ſupra jam adfuit Cap. 9, 11.

f) Ad literam verba hebraica longe aliter ſonant: *Quare enim auferam carnem meam dentibus et animam meam ponam in manu mea?* Phraſes tropicas eſſe et dictiones proverbiales facile intelligitur, ſed de ſenſu quæritur. Poſterior quidem in aliis quoque locis occurrit: e. c. Jud. 12, 3. 1 Sam. 28, 21. Pſ. 119, 109. in quibus haud dubie de animo imperterrito adverſus præſentiſſima pericula dicitur. Prior vero alias non obvia hunc ſenſum admittere non videtur, quoniam ſine dubio ſumta eſt ab animalibus, quæ prædam dentibus prehenſam auferunt ad eam in tuto loco reponendam. Igitur ſenſus horum verborum eſt: quare pro ſecuritate mea aut vitæ meæ conſervatione curam geram? Eodem ſenſu etiam poſterior ſententia poteſt explicari. Nihil enim obſtat, quo minus dictio proverbialis in duplici ſenſu uſurpetur. Nimirum rem caram, cum amittendi periculum eſt, in manu ponimus, ad eam eo facilius ſervandam. Hunc ſenſum probat etiam ſequens verſus,

in

15. En! me occidit, nihil ſpero *g*).
Modo vitæ meæ rationem coram eo defendere liceat.

16. Quin id ipſum ſaluti mihi erit,
Non eſt hypocrita, qui in conſpectum ejus venire cupit.

17. Audite me!
Attendite ad demonſtrationem meam.

18. Inſtruxi jam omnia cauſæ meæ argumenta,
Certo ſcio me juſtum eſſe.

19. Quis eſt, qui in judicio me convincat?
Tunc tacebo et moriar.

20. Dum-

in quo Jobus cauſſam indicat, quare vitæ ſuæ conſervandæ curam non habeat. Quoniam nempe certo ſçiat, ſe ex morbo, quo affectus erat, non eſſe convaliturum, ſed mortem ſibi inſtare. — In verſione pro verbis tropicis nimis remotis ab uſu linguæ latinæ propria adhibui. Sic quoque *Dæderleinius* et *Schnurrerus* h. l. explicant. Aliter *Schultenſius*, *Michaelis*, *Hufnagelius*, *Moldenhauerus* ex uſu formulæ poſterioris in locis citatis.

g) Lectionem textualem לא præferendam eſſe marginali לו contextus docet, quanquam hæc auctoritate verſionum antiquarum (excepta græca) et duodecim Codd. a *Kennicotto* citatorum defendi poſſet. Quippe illa affectui loquentis longe eſt accommodatior. Atque fortaſſe illa ipſa audacia, qua jam Jobus de ſe et ad Deum loquitur, mutandæ lectionis occaſionem dedit.

20. Dummodo duo mihi ne facias,
Non fugiam conſpectum tuum.
21. Manum tuam a me remove,
Nec terror tuus me percellat.
22. Tunc me appella et ego reſpondebo,
Aut ego loquar et tu reſponde *h*).
23. Quantum eſt iniquitatum et peccatorum meorum?
Oſtende mihi delicta, quæ commiſerim.
24. Quare faciem tuam abſcondis
Et me pro inimico habes?
25. Num folium excuſſum agitabis?
Aut ſtipulam aridam perſequeris?
26. Nam acerbiſſima in me judicia decreviſti,
Et imputas mihi peccata juventutis meæ.
27. Ponis in cippo *i*) pedes meos, cuſtodis omnes exitus,
Et plantis pedum notas infligis.
28. Cum jam putredine conſumar *k*),
Veluti pannus, quem tinea corrodit.

CAPUT

h) Verba omnia in *ſenſu judiciali* ſunt accipienda. Optionem Deo relinquit, utrum perſonam actoris aut defenſoris ſuſtinere velit. cf. verſ. 18.

i) סַר præter h. l. infra 33, 11. Verbum arab. سدّ eſt *obſtruxit.* Subſt. *cippus*, in quo pedes conſtringuntur. *Aquila* recte: *ἐν ξυλοπέδῃ.*

k) hebr. וְהוּא *et ille*, ſc. Jobus. De ſe in tertia perſona loquitur, emphatice ut verſ. 16.

Digitized by Google

CAPUT XIV

1. Homo muliere natus,
Ad breve tempus vivens miſeria exſatiatus,
2. Sicuti flos exortus carpitur,
Fugit ut umbra, nec durat:
3. Et cum tali tam ſevere agis *a*),
Meque in judicium tuum adducis?
4. Quis dabit mundum?
A fœditate nullus eſt immunis *b*).
5. Si determinata eſt ejus ætas,
Si numerus menſium ejus a te eſt definitus,
Si terminum ei ſtatuiſti, quem non præteribit:
6. Reſpice ab eo ut quieſcat,
Ut delectetur uti mercenarius die ſuo. — *c*)
7. Spes eſt arbori, ſi abſcindatur, ut iterum germinet,
Nec ſurculi ejus deficiunt.
8. Si quoque in terra radix ejus ſenuerit,

Et

a) אַף pro רְאָה ut 6, 27. Phraſes hebr. *ſuper tali aperuiſti oculos tuos*, dicitur de accurata obſervatione conjuncta cum poenis ſi peccetur, ut Jer. 32, 19. Huic opponitur verſ. 6. שְׁעֵה מֵעָלָיו *reſpicere ab aliquo.*

b) Sic diſtinguenda eſſe verba, acute vidit *Dœderleinius*, cum ex vulgari diſtinctione מִטָּמֵא jungatur τῷ טָהוֹר Parallеliſmus membrorum probat hanc conjunctionem. Sic enim trina verba in ſingulis membris ſibi reſpondent. Aſſentiuntur *Moldenhauerus* et *Hufnagelius.*

c) Ex brevi hominis vita urget liberationem a calamitate.

Et truncus humi mortuus videatur,
9. Tamen ex aquarum humore repullulat,
Ramosque protrudit ad inſtar plantatæ.
10. Homo autem morte debilitatus et extinctus ubi
eſt *d*)?

11. Dif-

d) Interpretes, qui Jobo notitiam vitæ melioris poſt mortem et reſurrectionis ex ſepulcro tribuunt, valde laborant in conciliaada hac pericopa usque ad finem capitis cum illa ſua hypotheſi. Verba enim ejus tam clare docent, Jobum admodum imperfectam vitæ futuræ cognitionem habuiſſe, ut non niſi perquam coacte in contrarium ſenſum detorqueri poſſint. Vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. et in Bibliotheca Or. P. VII. p. 235. Ego quidem aſſentior illis, qui ſine ulla textus recepti mutatione verba explicant, uti ſonant. Sed tunc nihil aliud dicunt, quam Jobum nullam ſpem habuiſſe vitæ melioris poſt mortem, aut reſurrectionis ex ſepulcro. Atque hunc ipſum metum jam in antecedentibus locis Cap. 3, 17. ſeqq. 7, 7. 10, 20. 21. præ ſe tulerat et in ſequentium aliquot prodit e. c. 17, 13 ſqq. Fortaſſe viri illi docti, qui tam anxie hanc ſententiam defendunt, nunquam in hanc opinionem veniſſent, niſi ex antiqua traditione Cap. 19, 24. de hac ipſa ſpe Jobi reſurrectionis ex ſepulcro explicandam eſſe accepiſſent. Atenimvero neque hoc fieri poſſe aut debere, ad illum locum probabitur, et rectius haud dubie ſentiunt, qui omnino negant, pios ſub veteri oeconomia tam claram et diſtinctam vitæ futuræ notitiam et reditus ex ſepul-

cro

11. Diffluit aqua ex ſtagnis,
Fluvius exareſcit et mutatur in ſiccum:
12. Sic homo cubat, nec reſurget.

Donec

cro habuiſſe, quam in nova œconomia chriſtiani credunt a Jeſu Chriſto hac de re melius et certius edocti, uti Paulus aſſerit 2 Tim. 1, 10. cf. *Dœderleinius* in Scholiis ad h. l. Porro ex ipſo conſilio poematis Jobus hanc ſpem habere neque poterat, neque debebat. Ex calamitatibus immiſſis virtutem Jobi et in Deum pietatem plane perfectam eſſe, ab omni ſpe lucri, cujus eum delator accuſarat, remotam, debebat intelligi. Jam ſi hoc ſolatium, ſpes nempe melioris vitæ poſt mortem, ei reſtabat, illa ſuſpicio remota non erat. Sed conſtans manebat Jobus in cultu Dei ſine ſpe reſtitutionis. De eo tantum conquerebatur, innocentiam ſuam a cenſoribus ſuis in dubium vocari, quam tamen in judicio divino certe probare confidebat. Tandem neque hoc argumentum pro hac ſententia contemnendum eſt, quod amici Jobi cum eo ſuper cauſa calamitatis immiſſæ litigantes, ejusque deſiderium ſeſe expurgandi coram Deo judice reprehendentes, nihil dicunt de ſpe melioris vitæ poſt mortem, quam Jobus præ ſe tuliſſet. Graviſſimum argumentum hoc fuiſſet, quo eum conſolari potuiſſent. Sed nullus eo utitur, nullus hanc ſpem ei eripere, ſi vanam eam judicaſſent, ſuſcipit. Vid. *Eichhornius* in Biblioth. univerſ. literat. biblicæ, (Allgemeine Bibliothek der bibliſchen Literatur) Vol. I. Faſc. III. p. 367. ſeqq. ubi data opera inductione omnium locorum, qui huc pertinent, hoc probatur.

Donec cælum non ſit *e*), non expergeſiet,
Nec excitabitur e ſomno ſuo. —
13. Utinam me apud inferos abderes,
Meque occultares donec ira tua ſedetur,
Et terminum mihi poneres, quo elapſo mei ſis recordaturus!
14. At homo mortuus num reviviſcet?
Per omnes dies vitæ hujus miſeræ *f*) ſperarem,
Donec veniret illa mea mutatio.
15. *Quando* *g*) vocares et ego tibi reſponderem,
Quando opus manuum tuarum deſiderares,
16. *Quando*, licet jam greſſus meos numeres,
Non amplius in peccata mea animadverteres,

17. *Quan-*

e) Pro lectione textus recepta עַד בִּלְתִּי verſiones antiquæ omnes præter Chaldæum legerunt בְּלוֹת a בלח *vetuſtate conſumi*. Lectio non contemnenda eſt, quæ et convenit Pſ. 102, 27. nec tamen neceſſaria videtur, cum et illud עד בלתי ſæpe obvium ſit, nec ſenſus quoad rem ipſam diverſus eſt a recepta lectione.

f) De צבא cf. Cap. 7, 1.

g) Addo hoc perſpicuitatis cauſa. In textu manifeſte ſingula membra trium ſequentium verſuum referuntur ad ultimum huius verſus, et explicant quid futurum eſſet, aut quid optaret Jobus, ſi ejusmodi mutationem ſperare poſſet. Sed eam ſibi non ſperandam eſſe dicit in verſu 18. usque ad finem.

17. *Quando* obſignata in faſciculo haberes delicta mea
Et oblineres *h*) iniquitatem meam. —
18. Sed mons labefactatus cadit,
Rupes e loco ſuo aufertur.
19. Lapides aqua excavat,
Ejusque effuſiones terram inundant:
Sic tu ſpem hominis perdis.
20. Tam dure eum continuo tractas, ut tandem ſuccumbat.
Mutas ejus ſtatum et ſic eum expellis.
21. Liberi ejus ſive ſint honorati, hoc neſcit;
Sive contemti, non novit *i*).
22. De ſe tantum dolet,
Et vicem ſuam luget.

CAPUT XV

Incipit quaſi alter congreſſus Jobum inter et amicos ſuos. Qui primum inceperat Eliphas, in hoc quoque primus diſputationem orditur. Accuſat Jobum, quod omnem virtutem et religionem tollat et evertat, quoniam dixerat præmia virtutis et poenas peccatorum

h) Ex ſignificatione Chald. et Arab. טפל *allinere*, *oblinere*, quod tropice de remiſſione peccatorum dicitur.

i) Nulla amplius inferorum cum hominibus hujus vitæ eſt conjunctio, nec ulla ad eos rerum ſibi in mundo cariſſimarum, ut ſunt liberi parentibus ſuis, pervenit notitia. Sortem ſuam tantum luget mortuus ſine ſpe reſtitutionis. — Magnum πάθος eſt in duobus ultimis verſibus.

torum in hac vita a Deo non ex merito diſtribui. E contrario aſſerit et defendit, impio nihil niſi mala et pœnas impietatis timendas eſſe; quod ex antiquo carmine majorum probat.

1. Ad hæc Eliphas Themanita ſic reſpondit.
2. Decetne ſapientem reſpondere verba ventoſa *a*),
 Aut pectus habere Euro plenum?
3. Refutare argumentis quæ nihil probant,
 Et verbis uti inutilibus?
4. Tu ipſe religionem tollis,
 Et vim precum ad Deum directarum imminuis.
5. Sed ſermones tui monſtrant iniquitatem tuam,
 Quanquam lingua uteris doloſa.
6. Iſti ſermones tui te damnant, non ego.
 Labia tua contra te teſtantur *b*).
7. Num hominum primus natus es,
 Et ante colles formatus?

 8. Num

a) h. e. vana, inutilia, ut Cap. 6, 26. Poſterius membrum idem gravius dicit. *Eurus* enim ventus in oriente *vehemens* et *noxius* indicat ſententias noxias et improbas. Quod in ſequenti verſu verbis propriis enunciatur.

b) Reſpicit fortaſſe verba Jobi cap. 14, 19. 22. 23. quibus ſeſe ab omni culpa et iniquitate purum dixerat. Quæ cum Eliphaſus vehementer improbaret, dicit: non opus eſt, ut teſtes conquiramus ad probandum te impium eſſe; illi ſermones tui hoc ſatis probant.

8. Num auditor fuiſti in arcano Dei conſilio?
Et hauſiſti quaſi ore tuo ſapientiam?

9. Quid ſcis quod neſciamus?
Quid intelligis quod ignoremus?

10. Cani et ſenes etiam inter nos ſunt c),
Natu grandiores tuo patre.

11. Num parvi facis conſolationes divinas d),
Et verba leniſſime in te dicta e)?

12. Quo te animus tuus tandem abripit?
Et quid oculi iſti vibrantes f)?

13. Con-

c) Innuit ea, quæ Jobus Cap. 12, 12. dixerat: ætate provectos præſtare aliis ſapientia et prudentia.

d) Cap. 13, 4. Jobus eos cum medicis imperitis comparaverat, qui juſtam Dei cauſam peſſime defenderent. — *Conſolationes Dei* poſſunt eſſe dictæ pro præſtantiſſimis et eximiis.

e) Sic דָּבָר לְאַט Chald. Syrus et Arabs vertunt: *verbum in quiete*, derivant ab أطّ *lenis fuit*, *teneriorem affectum in alios prodidit*, hinc h. l. לאט ejecto ה articuli refertur ad דבר. Intelligit ſuos et ſociorum ſermones, qui ſibi ſatis lenes et amici videbantur.

f) Verbum ἅπαξ λεγ. רזם illuſtravit *Schultenſius* ex Arab. رزم quod de fragore tonitru, rugitu leonum et ferarum dicitur, hinc quoque ad *iram* transfertur. Pro ratione ſubjecti igitur h. l. oculi vehementiori motu iram prodentes indicantur. In quo acquieſci poſſe putem, neque lectionem receptam tentandam. Plura vide in *Michaelis* Bibl. Or. P. VII. p. 239.

13. Contra Deum animi tui impetum vertis,
Iſtosque ore tuo profers ſermones.
14. Quid eſt homo ut purus ſit?
Aut juſtus muliere natus?
15. En! in ſanctis ſuis non agnoſcit veritatem,
Nec cælum ei purum videtur *g*).
16. Nedum abominabilis et putidus homo,
Qui haurit ut aquam iniquitatem *h*).
17. Audi me, tibi indicabo,
Quod vidi enarrabo.
18. Quod ſapientes monſtrarunt,
Tanquam majoribus eorum dudum cognitum.
19. Quibus ſolis terra tradita eſt,
Nec peregrinus inter eos admiſſus *i*):

g) Provocat ad oraculum illud, quod Cap. 4, 17. ſeqq. adduxerat. Quod h. l. cum aliqua mutatione denuo allegat, (nam pro *angelis* h. l. dicit *cælum*,) hunc in finem ut Jobi confidentiam de ſua juſtitia et ſanctitate reprimeret. Cæterum de ſenſu horum verborum cf. dicta ad Cap. 4, 18.

h) Aſſumtio de homine eſt admodum vehemens et verbis invidioſis concepta, quibus Jobum tecte acriter reprehendit.

i) Commendat id, quod dicturus eſt, ab antiquitate. Deſcriptionem enim hæc verba continent antiquiſſimorum Arabiæ felicis incolarum. Diſtinguunt ſeſe Arabes etiamnum in Arabes genuinos et antiquos, et in Arabes

20. Per omnem vitam impius ſemet ipſe excruciat *k*),
Et feroci tempora judiciorum *divinorum* manent.

21. Sonus terroris in auribus ejus perſonat,
In ipſa pace *l*) invadit eum vaſtator.

22. Non ſperat ex tenebris exitum,
Ex ſpecula *m*) eum gladius expectat.

23. Ob-

bes novitios et peregrinos. Illi erant Joktanidæ, Arabiæ felicis habitatores, Geneſ. 10, 25. diu jam ante Abrahamum. Quibus ſe deinde Abrahami et Loti poſteri junxerunt.

k) Exordio illo præmiſſo ſequitur carmen illud antiquiſſimum a majoribus traditum usque ad finem capitis, quod ſtilo ſcriptum eſt ſublimi, luminibus et figuris plenum et verbis elegantiſſimis elaboratum. Scopus ejus eſt docere; Improbos non poſſe non miſeros fieri et poenas promeritas certo eis manere ad terrorem aliis injiciendum a ſancto et juſto numine, quod, ut virtutem amat, ita vitia ſummo odio proſequitur. Sententia ipſa in ſe vera eſt, ſed in applicatione falſa, aut non ſatis determinata. Illi enim cenſores Jobi ſtatuunt; improbos omnes in hac vita Deum ultorem criminum experiri per publica judicia; ex quo inferunt Jobum propter mala extraordinario modo immiſſa eis eſſe annumerandum. — Jobus hoc negat et aſſerit Deum pro arbitrio ſuo bona et mala immittere hominibus, cum piis, tum impiis.

l) h. e. rebus ejus proſperrimis.

m) Pro צָפוּ legendum videtur participium paſſivum צָפוּי.

Sic

23. Oberrat, ut cibus fiat vulturum *n*);
Scit paratum ſibi eſſe diem exitioſum.
24. Terrent eum tribulatio et pericula;
Opprimĕnt eum inſtar regis,
Deſtinatus eſt graviſſimis miſeriis *o*).
25. Manum enim contra Deum extenderat,

Sic Syrus legit: *exploratus enim eſt*, et Symm. *προεσκοπεύθη*, et *Kennicottus* triginta Codd. citat, in quibus legatur צִפּוּי. cf. *Lilienthalius* in Comment. crit. p. 162. Imago ſumta eſt ex regione Arabiæ, in qua latrones ex locis eminentioribus inſidiantur viatoribus et impetus in eos faciunt.

n) Ex recepta lectione verba לַלֶּחֶם אַיֵּה junguntur præcedenti נֹדֵד *oberrat ad panem, ubinam?* h. e. nuſpiam eum invenit. Sed hoc eſſe deberet אַיִן ut Cap. 14, 10. et tamen ſenſus frigidus videtur. Meliorem lectionem ſervarunt *οἱ ό, κατατέτακται εἰς σῖτα γυψὶν, deſtinatus eſt in cibum vulturibus.* Legerunt nempe אַיָּה quod infra Cap. 28, 7. et Levit. 11, 14. Deut. 14, 13. occurrit. Lectio valde probabilis, *Michaeli* quoque, *Dœderleinio* et *Moldenhauero* probata. Sed tantum extat in verſione græca. Vulgatus omiſit. Syrus et Arabs jungunt ſequentibus: *ubicunque fuerit novit.* Chaldæus habet: *ubinam?* האן הוא.

o) Vocabulum *ἅπαξ λεγ* כִּידוֹר *Schultenſius* illuſtravit ex Arab. كدر *adverſa fortuna conturbatus eſt.* — עָתִיד *paratus, deſtinatus eſt*, ut verſ. 28. et Deut. 32, 35. hoc verbum dicitur.

Contra omnipotentem ferocius ſuperbierat.

26. Impetum in eum fecerat extenſo collo,
Sub denſis clipeorum ſuorum umbonibus *p*).

27. Quando faciem habebat adipe obtectam,
Et latera ſibi fecerat obeſa *q*).

28. Sed urbes inhabitat deſolandas,
Domos ab eo deferendas,
Quæ jam deſtinatæ ſunt, ut in tumulos redigantur.

29. Non diteſcet, nec ſtabiles habebit opes,
Nec votorum ſuorum compos fiet *r*).

30. Non

p) Phraſis eſt proverbialis apud Arabes docente *Schultenſio*: *dorſum clipei alicui obvertere*, ad contumaciſſimum adverſarium deſcribendum. *Umbo clipei* dicitur tantum per exergaſian pro toto clipeo. — Fortaſſe reſpicitur ad verba Jobi 13, 18. עָרַכְתִּי מִשְׁפָּט.

q) Ad literam eſt: *et texit pinguedine lumbos ſuos.* Nam עָשָׂה eſt h. l. in ſignificatione ſua prim. *tegere*, פִּימָה vero *ἅπαξ λεγ.* conferendum cum Arab. فام *pingueſcere, adipe impleri.*

r) Verba textus ſunt וְלֹא־יִטֶּה לָאָרֶץ מִנְלָם quorum ultimum hoc loco tantum obvium dubiæ prorſus eſt explicationis. Antiquiores interpretes vel aliter legerunt, vel, quod in vocibus obſcuris ſæpe facere ſolent, ſenſum divinarunt. *οἱ ό* vertunt: *οὐ μὴ βάλῃ ἐπὶ τὴν γῆν σκιάν*, quaſi legiſſent צֵל f. צִלָּם; Syrus et Arabs: *nec effundet ſuper terram verba ſua*, q. e. מִלָּם. Nun

pro

30. Non perrumpet tenebras,
Surculos *s*) ejus flamma arefaciet,
Tollentur vento divinitus immiſſo.
31. Ne nimium fidat felicitati ſuæ *t*). Errat.

 In-

pro Dageſch poſito. Chaldæus: *nec extendetur in terram quidquam ex eis*, q. e. מִן לְהֹם *ex eo quod ipſis eſt*, quod contractum eſſet in מִנְלָם. Vulgatus: *nec mittet in terram radicem ſuam.* Unde? neſcio cum aliis. Recentiores varias attulerunt conjecturas, quas recenſere non eſt mei inſtituti. Equidem in verſione poſui explicationem *Schultenſii*, qui confert Arabicum نيل *conſequi.* Hinc eſſet ſubſtantivum منال *aſſecutio*, h. e. ſumma votorum. Ex præcedenti membro apparet indicari *divitias*, *opes*, quarum amplificatio ſ. augmentum negatur.

s) h. e. liberi ejus, ut 8, 16. et v. 32. *ramus*, quoque peribunt; quod in liberos Jobi dictum eſt, ut et ſequentia.

t) In textu ſcriptum eſt בַשָּׁו pro quo ex lectione marginali legendum eſt בשׁוא *ne nimium credat vanitati.* Sed recte, uti arbitror, *Schultenſius* defendit lectionem textualem, quam deducit a שׁוה arab. سوى *æquare*, quod dicitur de ſole culmen cæli tenente et metaph. *de ſumma fortuna.* — Quod ſequitur כִּי שָׁוְא illuſtrandum ex arabico ساء *malus, vitioſus fuit*, hinc سوء *vitium, peccatum*, et cum ſequenti conſtruendum: *mala erit ſ. veniet mutatio* ſc. rerum ſuarum. Sic ſervatur quoque paronomaſia in שׁו et שׁוא quam amant Hebræi.

Infelix veniet rerum ſuarum mutatio.
32. Ante tempus finis aderit,
Nec ramus ejus vireſcet.
33. Detrudet uti vitis immaturam uvam,
Abjicit ut oliva flores ſuos. —
34. Cœtus profanorum erit inſtar duræ ſilicis,
Ignis abſumet tabernacula quæſtu illicito conſtructa.
35. Facinore prægnantes pariunt crimen,
Et in utero geſtant dolum.

CAPUT XVI

Primo iterum Jobus invehitur in Eliphaſum et ſocios ſuos, eosque reprehendit, quod nihil niſi inania et quæ ad rem nihil facerent attuliſſent. Deinde convertit ſermonem ad Deum et conqueritur de amicorum ſuorum injuria et malorum ſuorum omnium gravitate, Deumque excitat ut ipſe cauſæ ſuæ juſtitiam teſtetur. Tandem Cap. XVII. in novas querelas erumpit, nihilque niſi mortem omnium malorum finem ſibi reliquam eſſe confirmat, quam optet, immo expetat.

1. At Jobus contra:
2. Iſtiusmodi multa audivi, inquit,
Conſolatores admodum moleſti eſtis, vos omnes.
3. Ecquis erit finis ventoſæ orationis?
Aut quid te contra loqui cogit?
4. Ego quoque ſicuti vos loqui poſſem,
Si vos eadem eſſetis conditione, qua ego.

Con-

Congerere poſſem contra vos verba,
Et quaſſare in vos caput meum.
5. Prævalerem vobis ore meo
Suppreſſa omni comploratione *a*).

6. Sive

a) *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi ſæpe laudatis contra hanc, quæ eſt plurimorum interpretum, hujus verſus explicationem, varia objicit, quæ non poſſum ſilentio præterire. Primo negat Vir Celeb. verbum אֲאַמֶּצְכֶם verti poſſe, *prævalerem vobis*, quoniam ubi tranſitivum eſt (quod in conjugatt. Piel et Hiphil) ſemper ſignificare ſolet, *firmavit, roboravit aliquem.* Igitur prius hemiſtichium vertendum eſſe; *confortare vos poſſem dictis.* Deinde in poſteriore membro יַחְשֹׂךְ quoniam non appareret, unde pendeat, aliis punctis ſubjectis legendum eſſe יֶחְשַׂךְ *et labiorum miſeratio recuſaretur.* Cum vero hac ratione poſterius membrum priori repugnaret, parallelismum membrorum poſtulare, ut quod in priori affirmative dictum eſſet, in poſteriori repetatur negatione contrarii. Igitur inſerendum eſſe לֹא, quam negationem etiam addiderunt *οἱ ό* et Syrus, atque hunc verſum ſic eſſe vertendum: *roboraré vos poſſem dictis* וְנִיד שְׂפָתַי לֹא יֶחְשַׂךְ *et labiorum miſeratio haud defutura eſſet.* Quam ſententiam haud parum liberaliorem Jobi perſona minus indignam eſſe judicat, quam quæ ex vulgari lectione plerumque ſoleat exprimi. At enimvero non poſſum Viro Cel. mihique amiciſſimo in nova hac explicatione aſſentiri. Primo non

eſt

6. Sive loquar, non minuitur dolor meus;
Sive taceam, non remittit.
7. Jam enim ad incitas me redegit,
Tu deſolaſti omnes meas copias *b*).
8. Quoniam me conſtrinxiſti *c*), jam teſtes adſunt,
Con-

eſt quod verba Jobi in cenſores ſuos mitiora efficiamus, quam ex lectione vulgari ſonant, cum alia hujus capitis verſ. 2. et ſequentis verſ. 2. et 12, 2. 3. et antecedentium longe duriora ſint; et omnino Jobus ira vehementius commotus in amicos ſuos a poeta ſiſtatur, ita ut hæc quoque ejus perſona non indigna debeant videri. Deinde quod ad rationes grammaticas attinet יחשך verbum ſing. numeri maſc. generis recte conſtruitur cum שפתי nomine fœm. pluralis numeri ex idiotiſmo linguæ, quem ex *Schultenſio* et *Schrœdero* ad *Glaſſium* annotavi p. 328. Tandem objectio contra explicationem verbi אאמצכם in ſenſu intranſitivo, facile removetur, ſi aliis punctis ſubjectis legamus in conjugatione Kal אֶאֱמָצְכֶם, quam mutationem Vir Celeb. certo non improbabit, cum ipſe ſimilem in verbo poſterioris membri ſibi concedi poſtulet.

b) h. e. omnem familiam meam et quæ ad eam pertinent, ut 15, 34. cœtus profanorum.

c) קמט 22, 16. Chald. et Arab. *conſtrinxit manibus pedibusque ad jugulandum.* Sic ſeſe jam deſcripſerat 11, 10. 13, 27. Sensus igitur eſt: Quoniam me jam ut reum et damnatum vinculis conſtrinxiſti. — לְעֵר הָיָה ſc. אִישׁ *quisque contra me ut teſtis inſurgit.*

Contra me inſurgunt mendaces,
Adverſus me teſtimonium perhibentes.
9. Irati me rapiunt *d*),
Pro ſuo in me odio frendent dentibus,
Adverſarii mei acuunt in me oculos.
10. Diſtendunt contra me ora ſua,
Ignominioſe alapas mihi infligunt,
Unanimi conſenſu contra me concurrunt.
11. Tradidit me Deus iniquis,
Inter impiorum manus me abjecit.
12. Tranquillus eram, ſed me turbavit,
Collo prehenſum me divulſit,
Pro ſcopo me conſtituit.
13. Circumdant me ejus jaculatores,
Hic transfigit mihi renes, nec parcit,
Hic humi fel meum profundit.
14. *Hic* nova ſubinde vulnera mihi infligit,
Hic invadit me inſtar bellatoris.
15. Saccum conſui ſuper cutem meam,
Caput in pulvere volvo.
16. Vultus mihi ex fletu intumuit,
Et oculi mei caligant.
17. Quanquam manus habeam intemeratas
Et precibus utar ſinceris.

18. Ter-

d) Subjectum repetendum ex anteced. verſu איש quisque iſtorum falſorum teſtium, mihique inimicorum.

18. Terra! ne tegas ſanguinem meum *e*),
Nec locus obſtet meo clamori.
19. Etenim teſtis meus in cælo eſt,
Et qui me novit, eſt in excelſo.
20. Derident *f*) me amici mei
Ad Deum lacrimat meus oculus,
21. Ut diſceptet cauſam meam inter me et ſe,
Inter me et amicos meos *g*).

22. Pauci

e) Eſt elegans locus ſummum affectum prodens. Injuriam ſibi ab amicis illatam, ſuſpiciones eorum de pietate et virtute ſua comparaverat cum violentia, qua ſanguis ſuus effundatur et ipſe crudeliſſime interficiatur. — Jam hujus injuriæ vindicandæ cauſa Dei ultionem provocat, ſ. teſtem tantum ſuæ innocentiæ ſibi expetit, v. 19. 20. 21. Igitur continuat illum tropum, ſed ex uſu loquendi orientalium. Dicunt nempe ſanguinem ex cæde effuſum non tegi poſſe, ſed ebullire perpetuo et Deum vindicem provocare; hinc etiam clamor ei tribuitur Geneſ. 4, 10. 11. cf. Jeſ. 26, 21. Ezech. 24, 7. 8. Propterea per apoſtrophen terram alloquitur. — Non ſermo eſt de cædibus, quarum ab amicis accuſatus fuerit, quod nonnulli volunt.

f) מְלִיצַי h. l. in ſenſu deteriori dicitur a לוּץ *flectere, torquere*, hinc לֵץ *illuſor* Pſ. 1, 1. Prov. 1, 22.

g) Hærent interpretes maxime in poſteriori membro. Nam in priori Jobum de ſe in tertia perſona loqui, ſive ſub גבר ſe ipſum deſignare, uti in antecedentibus jam ali-

quo-

22. Pauci iſti anni mox præterierunt,
Viamque non rediturus ingrediar *h*).

CAPUT XVII

1. Halitus meus corruptus eſt,
Dies extincti, ſepulcrum adeſt *a*).

2. Non

quoties, 3, 23. 13, 16. 28. 14, 6. id quidem *Schultenſius* aliique obſervarunt; et ſic quoque אלהים loco pronominis poſitum eſt. Sed in poſteriori membro וּבֶן־אָדָם לְרֵעֵהוּ conſtructio mutata videtur, cum, ſi priori reſpondere debet, ſcribendum fuiſſet וְלְבֶן אָדָם עִם לְרֵעֵהוּ. Mitto quæ ab interpretibus ad ea concilianda aut explicanda allata ſunt. Mihi quidem וּבֶן videtur non ſubſtantivum eſſe *filius*, ſed præpoſitio *inter*, quæ conſtruitur ſequenti Lamed, ut Geneſ. 1, 6. atque alias quidem cum Jod ſcribitur בין. Literam vero quieſcentem ſæpe excidiſſe, aut a ſcribis neglectam eſſe, quis ignorat? Confirmant hanc conjecturam duo *Kennicotti* Codd. 1. et 147. in quibus plene ſcriptum extat בין.

h) Urget deciſionem illam divinam a brevitate vitæ, quæ reſtaret. Igitur hæc verba nequaquam de futura vita beata agunt, in qua Jobus deciſionem exſpectet. Cur enim hanc tam anxie ſibi expetiiſſet, ſi de illa certo fuiſſet perſuaſus? Sed nullam ſe ſperare poſſe in cauſa ſua deciſionem dicit, niſi dum adhuc in hac vita ſuperſit.

a) Male h. l. capita ſunt diviſa. Primus verſus cohæret

cum

2. Non niſi ſanniones mecum ſunt,
Quorum convicia perpetuo mihi obverſantur *b*).
3. *Manum* præbe, ſponde pro me *c*);
Præter te enim quis eſt, qui pro me fidejubere velit?

4. Oc-

cum præcedenti, et rationem reddit, ob quam mortem ſibi inſtare exiſtimet. רוח h. l. halitus eſt (*der Odem*) ut 19, 17. 32, 18. non *anima*, neque *vita*. Nam חבל de corruptione rerum plerumque dicitur.

b) In amicos ſuos rurſus invehitur, quorum injurias et calumnias innuit. הֲתֻלִים *illuſiones*. Abſtractum explicandum eſt per concretum propter affixum in ſequenti הַמְּרוֹתָם *Michaelis* quidem, *Moldenbauerus* et *Hufnagelius* hunc verſum de timore explicant, quem Jobus præ ſe ferat, ne forte mors, quam tam cupide optet, adhuc longe remota ſit. — Sed, ut taceam, valde quæſitum mihi videri hunc ſenſum, affixum in המרותם non admittit hanc explicationem, quod ad remotius ſubſtantivum יָמַי non commode referri poteſt. — Verbum לון alias quoque ſic dicitur, Cap. 19, 4. Pſ. 25, 13. Jer. 4, 14.

c) Ad verbum שִׂימָה ſupplendum eſt יָד propter ſequens עָרְבֵנִי *ſponde pro me*. Quod in fidejuſſione alter alteri manum præbebat. Hoc ex altero membro clarum eſt, ubi negat Jobus ſe alium habere fidejuſſorem, quam Deum, qui pro innocentia ſua fidejubere poſſit, aut velit, quoniam amici ejus nolebant eam agnoſcere, immo negabant. Qui nexus facillimus videtur et ſequenti verſui convenientiſſimus. Quoad phraſin cf. Prov. 16, 1.

4. Occultaſti ab eis intelligentiam *d*),
Propterea eos non ſines prævalere.
5. Qui prædæ objicit amicos,
Ejus filii deſiderio conficientur. — *e*)
6. Dicterium me facit hominum,
Abominationi publicæ ero expoſitus *f*).

7. Ideo

d) h. e. rectum judicium de Jobo ejusque cauſa.

e) Difficilior eſt explicatio prioris membri hujus verſus propter ambiguitatem vocis לְחֵלֶק. Hæc enim de *præda* ejusque partitione ſæpe dicitur, e. c. Geneſ. 14, 24. 1 Sam. 30, 24. *Ad prædam qui* (אשר) *indicat amicos*, h. e. qui prodit ſ. tradit amicos diripiendos etc. Sed חלק ſignificat quoque *blanditias*, *adulationem* et הִגִּיד *accuſare*, *deferre*, ut 1 Sam. 27, 11. Jer. 20, 10. Hinc nonnulli putant Jobum reſpicere id quod antea jam Cap. 13, 7—12. in amicis ſuis reprehenderat, quod Deum per hypocriſin defenderent contra Jobum. Optionem inter utramque explicationem aliis relinquo. Poſterioris membri phraſis adfuit ſupra Cap. 11, 20.

f) Eliphaſum videtur maxime innuere, qui primus erat inter cenſores ſuos iniquos, reliquis tamen non excluſis, verſ. 10. Nonnulli de Deo hæc dicta eſſe putant, quod tamen durius mihi h. l. videtur. — תֹּפֶת ἅπαξ λεγ. a תפף ſ. תוף Chald. et Arab. *exſpuere*, *execrari*, eſt ſubſt. *abominatio*. — לְפָנִים vel *olim*, vel *coram*; *deteſtabuntur me coram* ſ. *in faciem*: de quo etiam conqueritur Cap. 30, 10.

7. Ideo quoque hebeſcunt præ indignatione oculi,
Et artus omnes umbræ ſimiles ſunt.

8. Ad hæc obſtupeſcunt probi,
Et innocens hypocritæ ſuccenſebit.

9. Sed conſtans et juſtus in via ſua,
Et purus manibus obfirmat animum ſuum.

10. At enim vero vos omnes *g*) quotiescunque red-
eatis *h*),
Tamen ſapientem inter vos non invenio.

11. Dies mei tranſierunt,
Conſilia mea abrupta ſunt,
Et quæ gratiſſimæ mihi fuerunt poſſeſſiones *i*).

12. Jam

g) Pro כֻּלָּם legendum eſſe כֻּלְּכֶם non ſolum verbum ſecundæ perſonæ et alterum membrum probat, ſed etiam duo *Kennicotti* Codd. 380. et 589. et verſ. Syr. et Arab. οἱ ὁ habent πάντες. Quæ lectio non annotata eſt a *Michaele*, quanquam eam ſecutus eſt. Sed *Hufnagelius* eam obſervavit.

h) ſcilicet ad diſputationem mecum redintegrandam. Sic verbum שׁוּב adfuit 6, 29.

i) hebr. מוֹרָשֵׁי לְבָבִי *poſſeſſiones cordis.* Facillimus mihi videtur nexus hujus verſus cum ſequenti, in quo rejicit vanam amicorum ſuorum conſolationem de meliori fortuna poſt hanc calamitatem conſequenda. Cap. 11, 17. Omnem ſibi ſpem præcluſam eſſe dicit; nihil niſi mortem aut ſepulcrum ſe exſpectare. — Sic non opus eſt longius repetere ſignificationes vocabulis ſæpe obviis et minime dubiis.

12. Jam vero illi noctem in diem mutant,
Lucem propinquam eſſe dicunt, cum tenebræ inſtant,
13. Quamvis jam apud inferos domum meam expectem,
Et in tenebris ſtraverim lectum meum.
14. Putredinem compello: mi pater!
Et corruptionem voco matrem et ſororem meam.
15. Ubi jam eſt ſpes mea?
Quis eam unquam impletam videbit?
16. Ad orci ſolitudinem deſcendet,
Quum una in pulverem delabemur *k*).

CAPUT XVIII

Bildadus primo redarguit vehementiam ſermonum Jobi in ſe et ſocios ſuos, et impatientiam ejus, quam propter calamitatem ſuam præ ſe ferret. Deinde vivis coloribus deſcribit judicia divina, quibus impii e medio auferantur, cum perpetua alluſione ad Jobi calamitatem, quam ut poenam promeritam experiatur.

1. Tum Bildadus Suchita reſpondens dixit:

2. Quo-

k) ſcilicet, *ſpes mea.* In hebr. תֵּרַדְנָה pro תֵּרֵד enallage eſt numeri, cujus et alia exempla extant. Exod. 1, 10. Jud. 5, 26. — נֵחַת aliis punctis ſubjectis *οἱ ό* legerunt נֵחַת ut ſit prima perſona futuri Kal a נחת *deſcendit, καταβησόμεθα.* Similis phraſis eſt יֶרֶד עָפָר Pſ. 22, 30. vid. *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi p. 20.

2. Quousque tam captioſe *a*) differetis?
Clare explicate, deinde diſceptabimus.
3. Cur pro belluis habemur *b*)?
Cur ingenio adeo obtuſo *c*) vobis videmur?
4. Qui te ipſum laceras iratus *d*),
Num propter te terra deſeretur?
Aut transferetur rupes e loco ſuo *e*)?
5. Utique lux impiorum extinguetur,
Nec flamma ignis ejus ſplendebit.
6. Lux in ejus tabernaculo obſcuratur,

Lu-

a) hebr. קִנְצֵי לְמִלִּין *retia ſ. aucupia verborum* ab Arab. قنص *venari*, *laqueos tendere*, uti *Schultenſius* hoc ἅπαξ λεγ. explicavit. Qui etiam obſervat, numerum pluralem in *ſtilo grandiori* adhiberi, quanquam tantum ad Jobum dicta ſunt, uti ſequentia. Arguit vero eum Bildadus, quod ſermones ejus magis ad implicandam veritatem, quam ad eam eruendam facerent.

b) Reſpicit verba Jobi 17, 4. 10.

c) hebr. נִטְמִינוּ non eſt a טמא *immundus fuit*. Nam Jobus cenſores ſuos non *impuros* dixerat, ſed *inſipientes*. Melius igitur derivatur a طما ultima و et ي quod eſt *obturare*, *obſtruere*, idque deinde transfertur ad ingenium obtuſum.

d) Similitudo eſt ſumta a bellua indomita.

e) Senſus: Tua cauſa ordo rerum a Deo conſtitutus non mutabitur. Nempe ille, quo Deus malos punit et pios tantum eſſe felices vult. Hic ſenſus cum opinioni ſociorum Jobi, tum ſequentibus optime convenit.

Lucerna ejus extingnitur.
7. Arctantur greſſus fortunæ ejus *f*),
Dejicit eum ſuum conſilium.
8. Immittitur in rete pedibus ſuis,
Et ſuper implexa incedit.
9. Prehendet laqueus calcaneum,
Potientur eo prædones *g*).
10. Abditus ei eſt funis humi,
Decipula ad viam latet.
11. Undique eum terrores percellunt,
A tergo eum fugant,
12. Vires ejus inedia attritæ ſunt,
Exitium lateri ejus adhærebit *h*).

f) h. e. incrementum potentiæ, auctoritatis et divitiarum derepente ſiſtitur. Subita fit rerum mutatio, ad anguſtos limites redigitur. Oppoſita phraſis eſt Prov. 4, 12. ubi piis promittitur *non arctabuntur greſſus eorum.* Iterum ſubeſt acris reprehenſio Jobi, cujus fortuna ſecunda ſubito interrupta fuit et everſa. Sic quoque in altero membro: *præcipitat eum ejus conſilium*, ipſi omnis culpa tribuitur.

g) De צַמִּים cf. dicta ad Cap. 5, 5.

h) Ad verbum: *erit fame laborans*, ſ. *confectum robur ejus, et exitium paratum eſt* לְצַלְעוֹ. *Schultenſius* ex uſu loquendi Arabum probavit, *coſtas infringere* dici de graviſſima et exitiali afflictione. Hinc vertit: *grave exitium*

13. Conſumet ejus muſculos,
Conſumet ejus nervos mors atrociſſima *i*).
14. Evellitur e tabernaculo ejus fiducia,
Adducitur ad regem terrorum *k*).
15. Habitabis in tabernaculo ejus,
Nec quidquam de eo ſuperſtes erit,
Aut ſulphur in ejus habitationem ſpargetur.
16. Radices ejus inferne exareſcunt,
Superne rami amputantur *l*).

17. Me-

tium paratum eſt coſtæ ejus infringendæ. Sed ſic reſponderet אֵיד atque unum idemque diceret: *infortunium paratum eſt ejus infortunio.* Quæ poſſent ex hiſtoria calamitatis Jobi immiſſæ explicari, cum uno die iterata calamitate ad incitas redigeretur. Neque neceſſe eſſet vocabulum arab. מַצְלַעַת in ſubſidium advocare, cum צלע in lingua hebraica id ipſum ſignificet Pſ. 35, 15. 38, 18. Sed facilior, aut minus quæſita mihi videbatur explicatio, quam in verſione poſui. Equidem non ignoro, צֶלַע raro de *latere* hominis dici, ſed ſemper tropice, de latere montis, aut aliarum rerum. Attamen Jer. 20, 10. ſic dicitur, neque analogiæ hic uſus repugnat.

i) hebr. בַּדֵּי עוֹרוֹ *vectes cutis* ſ. *rami*, ſi lectio ſana eſt, nihil eſſe poſſunt niſi *venæ*, *nervi tendines* ſ. *muſculi.* — In poſteriori membro *primogenitus mortis* dicitur ex idiotiſmo linguæ, de quo vid. *Glaſſius* p. 43.

k) Elegans periphraſis mortis.

l) Senſus: omnes ad ejus familiam pertinentes Dei judicio auferentur.

17. Memoria ejus perit e terra *patria*,
Nec nomen conſequitur inter exteros.
18. Propellitur a luce ad tenebras,
E terrarum orbe ejicitur.
19. Non filium habet, non nepotem inter populares ſuos,
Nemo ſuperſtes erit in ejus territoriis *m*).
20. Diem ejus fatalem obſtupeſcent occidentales,
Et orientales horrore corripientur. —
21. Tales ſunt habitationes impii,
Talis eſt ſedes ejus qui Deum non curat.

CAPUT XIX

Affectus Jobi in hoc ſermone magis triſtis eſt et querulus, quam vehemens. Principio conqueritur de importunis ſuorum ſociorum ſermonibus, quibus ipſum fatigarent, 1—5. Deinde rurſus contendit, cauſam malorum ſuorum non eſſe peccata ſua, ſed Deum, qui pro liberrima ſua voluntate tam ſevere cum eo agat. Quem ſtatum ſuum triſtiſſimum vivide deſcribit usque ad verſ. 20. Tum iterum ſe convertit ad amicos ſuos, eosque hortatur, ut deſiſterent ab

m) מגור dicitur in ſpecie de territorio, in quod peregrini, pauperes et clientelæ indigi recipiuntur, docente *Schultenſio* ex ſcriptoribus Arabicis. Hinc ſenſus non eſt obſcurus: in territoriis impii, multis clientibus frequentatis, nullum ſuperſtitem futurum eſſe, qui paternæ gloriæ nomen aut umbram retineret.

ab accuſationibus et criminationibus, quoniam certo ſperet, Deum innocentiam ſuam eſſe vindicaturum, et priſtinam valetudinem reſtituturum.

1. Ad hæc reſpondens Jobus dixit:
2. Quousque me affligetis
Et verbis vexabitis?
3. Jam decies me ignominia affeciſtis,
An non pudet vos me adeo impudenter turbare?
4. Quodſi re vera erraverim,
Maneat mihi ille meus error *a*).
5. Sin tamen me impetere vultis,
Evincite opprobria mea *b*).
6. Cognoſcite, quæſo, Deum eſſe qui me affligat *c*),
Hic cinxit me ſua indagine.
7. Si de crudelitate conqueror, non fero reſponſum,
Si clamo, jus non obtineo.
8. Semitam meam obſepſit, ne tranſeam,

Et

a) Ex hypotheſi amicorum ſuorum *errorem* vocat ſententiam ſuam, ſe non propter peccata commiſſa a Deo puniri.

b) Dicuntur ut in præced. *error meus*. Accuſatiò et condemnatio probroſa et ignominioſa cenſorum ſuorum.

c) Afferit Jobus quod ſupra jam dixerat Cap. 9, 12 ſqq. ſe non per peccata poenas divinas promeruiſſe, ſed Deum pro lubitu et potentia irreſiſtibili cum homine agere. — In altero membro ſimilitudo a venatione ducta eſt.

Et vias meas denſa texit caligine.
9. Gloria mea me ſpoliavit *d*),
Et capitis corona privavit.
10. Deſtruxit me undique ut peream,
Evulſit ut arborem ſpem meam.
11. Ira in me exarſit,
Meque in hoſtium ſuorum numero habet.
12. Agmina ſua me invadunt,
Et via aggerata ad me facta
Caſtra figunt circa meum tabernaculum.
13. Fratres meos a me removit,
Meique familiares alieni mihi facti ſunt.
14. Deſerunt me propinqui,
Meique cognati mei ſunt obliti.
15. Hoſpites mei et ancillæ habent me pro alieno,
Peregrinus eis videor.
16. Servum meum voco, nec reſpondet,
Supplice voce mihi rogandus eſt.
17. Halitum meum averſatur mea uxor *e*),

d) h. e. liberis, opibus reliquisque facultatibus, ut Pſ. 7, 6. 49, 17. Sic in altero membro *corona* tropice dicitur, ut Pſ. 21, 14. Prov. 12, 4.

e) Hæc explicanda ſunt ex morbo tetro et faſtidioſo, quo infectus erat. Elephantiaſis halitum oris facit foetidum et corruptum. Quo ſic deterriti dicuntur mulier et liberi, ut fugerent ægrotum.

Meaſque preces *f*) liberi mei *g*).

18. Etiam domeſticorum meorum nati *h*) me deſpiciunt,

Quando me converto obloquuntur.

19. Mihi amiciſſimi me abominantur,

Quos amabam ſunt mihi contrarii.

20. Inter cutem et carnem oſſa putreſcunt *i*),

Vix

f) Pro חַנֹּתִי legendum eſt חַנּוֹתִי ut ſit a ſubſtantivo חִנָּה *preces*. Non poteſt eſſe prima præteriti Kal, quoniam in hac conjugatione non ſignificat *orare*, ſed *miſertus eſt* ſ. *favit*.

g) בְנֵי בִטְנִי. At Jobi liberi perierant funeſta morte, ſecundum Cap. 1, 18. 19. Optima videtur ſolutio hujus difficultatis, quam verſio græca ſuppeditat, qua verba textus explicat per *υἱοὺς παλλακίδων μου*, *liberos pellicum mearum*. Illis enim temporibus patrem familias ſervabus ſuis pro pellicibus aut concubinis uti potuiſſe, conſtat ex hiſtoria Abrahami et Jacobi. cf. verſio noſtra Geneſ. 19, 28. not. *c*.

h) עוילים ſunt liberi ſervorum nati et educati in ædibus Jobi, ab עול *lactare*, Arab. *aluit*, nutrivit familiam. cf. 21, 11.

i) Non commodum ſenſum fundit lectio recepta: *inter cutem et carnem* דָּבְקָה *hærent oſſa*. Quæ alias eſt deſcriptio tabidi corporis, e g. Thren. 4, 8. Pſ. 102, 6. Sed in morbo Elephantiaſi intumeſcere ſolent pleraque corporis membra, et ex eo putrorem contrahere. Igitur.

Vix cute dentes tegere poſſum *k*),
21. Miſeremini mei, miſeremini mei, amici,
Manus Dei me afflixit.
22. Cur me inſectamini, ſicuti Deus,
Nec mihi obtrectare deſiſtitis *l*)?
23. Utinam ſcriberentur dicta mea!
Utinam libro exararentur *m*)!

24. *Uti-*

tur præferenda videtur h. l. lectio, quam verſio græca prodit *ἐσάπησαν computruerunt*, h. e רָקְבָה cf. *Michaelis* in Bibl. Orient. P. VIII. p. 182.

k) hebr. ad verbum: *vix ſervavi quidquam de cute dentium meorum.* Germanice dicimus: *ich kann die Zähne kaum mehr bedecken.* — מִלֵּט *evaſit, eripuit ſe* 1, 15. ſeqq. ב ſæpe de objecto aut parte dicitur.

l) hebr. ad verbum: *et de carne mea non ſatiamini.* Forma loquendi Syris maxime et Arabibus uſurpata, *carnem alterius comedere*, pro: calumniari, ſ. de bona fama alterius detrahere. Hebræis gravius adhuc dicitur pro *perdere* et *deſtruere aliquem*, atque adeo malis ejus delectari. cf. Pſ. 27, 2. Mich. 3, 2. 3. In noſtro loco prior ſignificatio magis obtinet.

m) Multi interpretes exiſtimant verſum hunc et ſequentem eſſe quaſi præfationem, quam Jobus præmittat præclaræ illi fidei et ſpei ſuæ profeſſioni tribus ſequentibus verſibus editæ. Sic vero ſentiunt maxime ii, qui hos verſus de ſpe vitæ futuræ et reſurrectione ex morte explicant, quoniam fidei illius profeſſio adeo memorabilis

24. *Utinam* ſtilo ferreo et plumbo infuſo
Ad perpetuam memoriam ſaxo inſculperentur!
25. Enimvero novi vindicem meum vivere *n*),
Tan-

rabilis ejusmodi exordium requirere videbatur. At enimvero uti illud ex præjudicata quadam opinione et interpretatione horum verſuum parum accurata ſtatuitur: ita hoc quoque gratis ſumitur. Verba quidem ipſa nihil dicunt, ex quo appareat, ea tantum ad ſequentes tres verſus eſſe referenda. Sed optat Jobus, ut omnia, quæ ad innocentiam ſuam defendendam hactenus dixiſſet adverſus calumnias et inhumanitatem adverſariorum ſuorum, monumentis tradantur. Juſtæ ſuæ cauſæ ſibi conſcius non timet judicium poſteritatis vel remotiſſimæ. Sperat, ut hoc æquius in ſe futurum ſit, quam hominum ſuæ ætatis.

n) Hic eſt ille locus, cui maxime confidunt, qui Jobo notitiam minime dubiam vitæ beatæ poſt mortem et reſurrectionis ex ſepulcro tribuunt. Sed ad Cap. 14. not. *d*) jam complura allata ſunt argumenta, quæ hujus opinionis falſitatem plane, ut arbitror, evincunt. Nolo igitur dicta repetere. Legantur vero quæ *Dœderleinius* ſuper hac quæſtione diſerte et graviter ſcripſit in Scholiis ad h. l. Quod maxime urgent *Michaelis* aliique, qui hanc ſententiam defendunt: Jobum nimis ſibi contradicere, ſi in his verſibus reſtitutionem valetudinis et priſtinæ felicitatis ſpem oſtenderet, cum in ſuperioribus de ea recuperanda prorſus deſperaſſet; id quidem non adeo verum eſt, ut Jobum hoc ſemper feciſſe dici poſſit.

poſſit. Quanquam enim amicorum ſuorum ſolatium, ſi patientiam ſuadebat ſub ſpe melioris fortunæ aliquando conſequendæ, repudiabat, aut eis iraſcebatur, ſi per ſuſpicionem vitæ Jobi ante actæ afferebant, vere pium a Deo non ita puniri, ut in calamitate pereat; quomodo enim hujuſmodi ſuſpicionem, aut etiam reprehenſiones minime obſcuras æquo animo ferre potuiſſet? tamen in refutandis iſtis cenſorum ſuorum criminationibus, et in redarguenda falſa eorum ſententia: bonis bona et malis mala in hac vita evenire, utique ſpem jam antea oſtenderat, Deum has ſibi illatas injurias ulturum, aut juſtæ ſuæ cauſæ vindicem futurum eſſe. Locus inſignis eſt et ad hunc noſtrum illuſtrandum apprime idoneus, Cap. 16, 18. ſeqq. ubi teſtem integritatis ſuæ in cælo eſſe dicit, quem implorat, ut diſceptet cauſam ſuam inter ſe et ſocios ſuos, antequam moriatur. Num igitur dici poteſt, Jobum omnem omnino ſpem abjeciſſe reſtitutionis ſuæ? In affectu quidem vehementiori defendendæ ſuæ innocentiæ, aut in querelis de nimia ſeveritate, qua Deus cum eo agat, utique nonnunquam ita loquitur, ut de vitæ ſuæ conſervatione prorſus deſperare videatur, cujusmodi locus eſt Cap. 13, 13. ſeqq. Sed in hoc et aliis ſimilibus magnum poetæ artificium eſſe putem, quo hominem pinxerit, qualis revera eſt, in ejusmodi ſtatu, in quo Jobus ſiſtitur, varium nempe, ſuique parum conſtantem, prouti affectus vehementia aut malorum ſuorum conſideratione movetur aut impellitur. — Neque a vero alienum videtur, poetam præludere voluiſſe hac Jobi ſpe et fiducia certa videndi aliquando Deum ad cauſæ ſuæ deci-

Tandemque pulverem oppugnaturum eſſe *o*).

26. De-

deciſionem, apparitioni illi divinæ et colloquio illi cum Jobo, in quo poema deſinit. Nam Cap. 42, 5. hic ſermonum ſuorum audaciam excuſans et deprecans apud Deum, *te ipſum auribus meis audivi*, inquit, *oculisque meis vidi.* Vocabulum גֹאֵל dicitur h. l. improprie de Deo, cum alias, quod ſatis conſtat, proprie de homine uſurpetur, qui ex jure ſive potius officio cognationis ulciſci debebat cædem aut gravem injuriam in alium ejusdem cognationis admiſſam. Jobus igitur, qui amicorum ſuorum criminationibus graviter læſus ſibi videbatur, vindicem optat et ſperat Deum vivum, h. e. immortalem, quem etiam in ſequenti verſu אֱלוֹהִים vocat.

o) Verba textus ſunt: וְאַחֲרוֹן עַל עָפָר יָקוּם in quorum lectione nihil muto. Verto אחרון *tandem* perſpicuitatis cauſa. Nam *poſtremus contra pulverem ſurget*, idem haud dubie dicit. Significationem verbi קוּם cum עַל conſtructi, *oppugnare, aggredi*, quam ſæpe habet, etiam retineri poſſe putem, quoniam τῷ עָפָר ſatis apta eſt. Sed circa illud ipſum vocabulum עָפָר *pulvis* ambigo adhuc. *Dæderleinius* in Scholiis ad h. l. ſub eo Jobum ipſum intelligit, quatenus cinere et pulvere contectus ab illo vindice ſuo eripiatur. At enimvero phraſis קוּם ſequente עַל pro *impugnare*, ſemper, quod ſciam, in ſenſu deteriori dicitur, de ſubactione ejus qui impugnatur, ſive etiam de ſimplici aggreſſione cum alterius

Digitized by Google

rius periculo, ut in loco citato Pſ. 3, 2. et quoad priorem ſenſum Amos 7, 9. Eſ. 31, 2. *Eichhorn* in Biblioth. literat. Bibl. Vol. I. P. 3. p. 375. ſocios Jobi ſic dictos exiſtimat cum reſpectu ad corpus eorum fragile. Sic etiam *Hezelius* in Bibliis ſuis notis illuſtratis. Quanquam uſus ille metaphoricus vocabuli עפר haud raro obvius eſt, e. c. Pſ. 30, 10. 103, 14. tamen ſenſum h. l. facere videtur frigidum, atque haud ſcio an Jobus pro affectu ſuo aut animo commoto in amicos ſuos graviori epitheto eos inſigniviſſet. Qui ſenſus gravior et vehementior obtineret, ſi vocabulo עפר ſignificatio ſubjiceretur *hoſtis* ſ. *hominis malizioſi et perditi*, quam in lingua arabica habet. vid. *Golius* p. 1605. et *Giggeus* P. III. p. 445. رَجُلٌ عِفْرٌ *vir perditus et proclamatæ improbitatis.* Contextui quidem eam aptiſſimam eſſe nemo neget. Unum quod contra dici poſſet, facile prævideo, nempe vocabulum עפר toties in Jobo aliisque locis obvium ſemper *pulverem* et *terram* ſignificare, parum probabiliter igitur illam linguæ hebrææ ignotam ſignificationem hoc uno in loco ſubſtitui. Sed nihil definio, meque hanc conjecturam *Hufnagelio* debere profiteor. — — Hæc ſcripſeram, cum prodiret libellus *Ilgeni* ſupra jam aliquoties laudatus, *de Jobi antiquiſſimi carminis hebraici natura et virtutibus*, in quo loci hujus difficillimi, maxime verborum אחרון על עפר יקום nova allata eſt explicatio, quam nolo ſilentio præterire, cum fortaſſe ille libellus non ab omnibus meis lectoribus inſpiciatur, et tamen digna ſit illa explicatio quæ cum aliis locum ſuum teneat. Sic vero Vir Doctiſſimus

mus totum locum vertit p. 164 ſeqq.: *Utinam ſcriberentur dicta mea! utinam libro conderentur! ſtilo ferreo et plumbo in perpetuam memoriam ſaxo inciderentur! Vivit, ſcio enim, cauſæ meæ patronus: qui contemtus in pulvere jacet, victor caput attollet. Harebo adbuc in cute dira bac vi contuſa: ex bac cuticula videbo Deum: Quem ego mibi videbo propitium, quem biſce oculis cernam animo non alienatum. O quam enecat renes deſiderii ardor! Mox diceris: bem! cur perſecuti ſumus bominem? cardo cauſæ meæ detectus erit. Faceſſite binc ut gladium effugiatis, gladium malignorum cervici imminentem. Cognoſcetis, mibi credite, eſſe qui vobis prævaleant.* Ad hanc verſionem eo melius intelligendam potiora tantum excerpo ex notis ſubjectis. Reliqua docte et erudite obſervata legant, qui volent, in ipſo libro. גֹּאֵל *cauſæ ſuæ patronum* ſ. *vindicem* Jobus Deum vocat, quia inter amicos neminem videt ſui tutelam ſubire, ſed omnes id modo agere, ut ipſum oppugnent. Deo in judicium deſcendente ſperat, ſe cauſa ſtaturum, quod altero membro indicatur: ואחרון על עפר יקום ubi אחרון de ipſo Jobo intelligendum et conjungendum eſt cum על־עפר ita ut ſit *poſtremus in vel ſuper pulvere*, is qui in pulvere, ubi etiam amici conſederant 2, 13. et Jobus continuo manſerat 2, 9. 17, 16. 42, 6. poſtremum locum tenet eoque ipſo contemtui eſt reliquis. — Verbum יָקוּם *cauſa ſtabit, vincet*, verbum judiciale h. l. eſt, ut Pſ. 1, 5 — verſ. 26. וְאַחַר mutatis punctis legendum videtur וְאִחַר pro וָאֵאַחֵר ut legitur Geneſ. 32, 5. in notione *commorandi*, *moras nectendi*, ſic quoque Jeſ. 5, 11. Prov. 23, 30. Ante עוֹר ſuppleatur ב hoc,

26. Deponam cutem meam, quam iſta arrodunt *p*).
Atque

hoc ſenſu: *et commorabor, moras nectam adhuc in cute mea,* ornate pro: *vivam adhuc per tempus.* Ad נִקְּפוּ זֹאת ſupple אֲשֶׁר *quam cutem contuderunt et dilacerarunt hæc*, ſc. ulcera. Alterum membrum וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ clarius explicat, quod verſus præcedens innuit, *et ex cuticula mea videbo Deum.* Ultimum membrum כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי de dolore intelligendum, quem renes ex vehementiſſimo Jovæ apparituri deſiderio ſentirent, uti alibi renibus ſenſus doloris et lætitiæ tribuitur, Pſ. 73, 21. Prov. 23, 16. In ultimo verſu laudatur *Michaelis* conjectura, חמה eſſe a חום حَامَ *circumvolitare;* nec tamen neceſſe videtur, ut ſcribatur חֵמָה, etenim poteſt eſſe ad formam מֵתָה Geneſ. 48, 7. Exod. 7, 21. Ultimum שַׁדִּין deducitur ab arab. شَدَّ *viribus ſuperavit, prævaluit,* unde שַׁד *valentior, viribus ſuperior*, et h. l. ejus pluralis שַׁדִּין ex Cetib, vel שַׁדּוּן ex Keri mere arab. شَدُّونَ *valentiores.*

p) Sic verba textus difficillima tot conjecturis tentata וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת perquam ingenioſe explicat *Dœderleinius* in Scholiis ad h. l. Nimirum ואחר poteſt eſſe prima perſona conjugationis Hiphil ab אחר *pone ſequi*, pro אַאְחַר, litera Aleph ante aliam Aleph eliſa, ut in aliis locis bene multis. Sic infra Cap. 32, 11. אזין pro אאזין, Pſ. 16, 3. אדיר pro אאדיר, Pſ. 144, 12. אשר pro אאשר, et alias. In quarta conjugatione igitur

Atque e carne mea Deum videbo.

27. Hunc ego mihi videbo propitium,
Oculi mei eum videbunt, non amplius inimicum.
Vehementer deſidero hanc cauſæ meæ deciſionem *q*).

28. Quodſi dicatis: quam nos eum perſequemur,
Et materiem criminandi ex eo repetemus *r*)!

20. Ti-

igitur אחר eſt *poſt ſe relinquere* ſ. *abjicere*, *deponere.* Ante נִקְּפוּ ſuppletur אשר et נקף ut arabicum نقف eſt *contundere*, *exedere.* Tandem זאת collective ſumitur, hinc recte conſtruitur cum verbo pluralis numeri, et de vermibus ſive ulceribus explicandum ex verbo נקפו ſubintelligendis. Sic apta quoque eſt oppoſitio verbi אחר in priori membro, ad אֶחֱזֶה in poſteriori.

q) Non minus ego, quam S. R. *Dœderleinius*, offendor *renibus in ſinu*, phraſi prorſus a natura abhorrente. Igitur facile ei aſſentior præferendam h. l. eſſe lectionem interpretis Syri, qui pro בְּחֵקִי *in ſinu meo* legit בְּחֻקִּי ܡܛܠ ܕܝܢܝ *propter judicium meum*, h. e. deciſionem Dei in cauſa Jobi, quam ſæpius ſibi expetierat.

r) In textu eſt שֹׁרֶשׁ דָּבָר. Sed quo ſenſu hæc *radix verbi* ſ. *cauſæ* dicatur, ambiguum. Poteſt in bonum et malum ſenſum trahi, hinc interpretes quoque in duas partes diſcedunt. Equidem in ſenſu deteriori accipio pro *materia litis et criminationis.* Pro בִּי legendum eſſe בוֹ ſatis probatur auctoritate verſionum antiquarum omnium præter Syriacam, et ſexaginta fere codd. hebr. a *Kennicotto* citatorum.

29. Timete vobis a gladio:
Nam imminet *f*) iniquitatibus gladius.
Scitote igitur eſſe judicium.

CAPUT XX

Zopharus poſt brevem præfationem, qua ſe partim proprio impulſu, partim ſermonibus Jobi provocatum ad reſpondendum dicit, iterum de impiorum felicitate momentanea diſſerit, qua in altum tollerentur, ut lapſu eo graviore dejicerentur. Quibus omnibus Jobum ipſum ejusque lapſum e magno felicitatis faſtigio indigitari, facile intelligitur.

1. Ad hæc Zopharus Naamathita hunc in modum reſpondit:
2. Profecto cogitationes meæ me ad reſpondendum incitant *a*),
Propterea quoque in promtu ſunt, *quæ regeram b*).
3. Caſtigationem ignominioſam audio *c*),

G 2 Sed

f) Mihi quoque ut pluribus interpretibus recentioribus placet conjectura *Michaelis*, qui חֵמָה derivat a حام *circumvolitare*, et aliis punctis ſubjectis legit חָמָה *circumvolitat gladius iniquitates.*

a) hebr. יְשִׁיבוּנִי. *Schultenſius* obſervat, hoc verbum dici quoque de affluxu aquarum. Hinc h. l. de ſermone adhibitum, indicat impetum, quo ad reſpondendum Zopharus impellebatur.

b) hebr. *feſtinatio mea in me eſt.*

c) *Caſtigatio ignominiæ* paſſive h. l. dicitur de reprehenſione Jobi in anteced. capite 19, 2.

Digitized by Google

Sed prudentia mea me defendet.

4. Noſtine hoc? ab æterno,
Ex quo homines in terra exiſtunt,

5. Jubila impii brevia tantum ſunt,
Et lætitia profani momentanea.

6. Si quoque aſcendat ad cælum usque ejus dignitas,
Et caput nubes attingat:

7. In ipſo ſplendore ſuo *d*) perit in perpetuum.
Qui eum viderant, quærent ubi ſit.

8. Veluti ſomnium avolat, ita ut nusquam extet.
Propellitur ut viſum nocturnum.

9. Qui eum mirabundi ſpectarunt *e*), non amplius eum curabunt,

Nec

d) כְּגֶלְלוֹ Vulgo: *ut ſtercus*, ſive *ut gluma*, ex ſyr. et arab. ſignificatione. Sed obſtat affixum, quod h. l. non ex pleonaſmo explicari poteſt. Igitur melius haud dubie comparatur cum arabico جَلَّ *ſplendor, honor.* Sic quoque οἱ ό videntur intellexiſſe: ὅταν γὰρ δοκῇ ἤδη κατεστηρίχθαι, τότε εἰς τέλος ἀπόλλυται. Fortaſſe legendum eſt per ב *in ſplendore ſuo.* Sed Caph quoque admittit hunc ſenſum.

e) שְׁזָפַתּוּ non eſt ſimpliciter *videre*, quod h. l. quoque nimis tenuem ſenſum daret, ſed habet notionem rigoris penetrantis et perſtringentis, hinc Cap. 28, 7. de acie oculorum vulturum dicitur. Igitur h. l. admirationem complectitur, qua alii apparentem fortunam impii adſtupebant.

Nec eum deinceps locus ſuus habebit.

10. Liberi ejus gratiam tenuium implorabunt *f*),
Et opera ejus *g*) rependent ei inquitatis pœnas.

11. Oſſa ejus plena ſunt peccatis occultis *h*),
In quibus etiam morietur.

12. Si dulce ei fuerit peccatum
Occultatum ſub lingua *i*),

f) hebr. יְרַצּוּ ego derivo a רצה *favis*, quod in Piel alias quidem non obvium, ex analogia habet ſignificationem intenſivam. Sic in Hitpael legitur 1 Sam. 29, 4. Alii aliter pro diverſa lectione vocis ירצו ſine punctis ſcriptæ.

g) hebr. *manus ejus*. Metonym. *opera*, *actiones ejus*. Sic etiam ſequens אונו *iniquitas ejus* metonymice poſitum pro *pœna*, uti ſæpe.

h) עֲלוּמִים ſunt *peccata occulta*. Sic Pſ. 90, 8. — In poſteriori membro: *et cum eo in pulvere cubabit*, obſervetur idiotiſmus in conſtructione τοῦ תִּשְׁכָּב cum עֲלוּמָיו. Plurali maſculino additur verbum ſingularis numeri. Videſis *Glaſſium* p. 328.

i) Inde ab hoc verſu usque ad ſextum decimum elegans eſt imago ſumta ab eo qui venenum ſapore dulce et gratum ore excipit, ex ejus guſtu voluptatem ſentit, ſed deglutitum ſummis in ventriculo doloribus excruciatur et vomitu illud ejicere cogitur. — Similitudo aptiſſima eſt ad indicandum peccati initium dulce et ſuave, et quæ illud ſequuntur, mala et damna. In ſpecie

13. Si ei indulſerit, nec deſeruerit,
Et in palato retinuerit:
14. Iſte ejus cibus in viſceribus mutabitur,
In virus aſpidum convertetur in ventre ejus.
15. Quas devoravit facultates evomet,
Deus eas ex ejus ventre ejiciet.
16. Venenum aſpidum ſuget,
Perimet eum lingua viperæ *k*).
17. Non videbit rivos,
Aut fluvios melle et lacte fluentes *l*).
18. Reſtituet divitias, nec eas deglutiet,
De opibus ex permutatione partis non lætabitur *m*),

19. Quia

cie avaritia et divitiarum augendarum cupiditas indicatur, coll. verſ. 15.

k) Senſus: inter terribiles conſcientiæ morſus morietur.

l) Deſcriptio eſt copiæ et abundantiæ rerum optimarum et utiliſſimarum, quas ſibi avarus vel jam collegerat, vel congerere adhuc ſperaverat. Harum uſum ei nullum futurum eſſe dicitur. Hic ſenſus mihi planiſſimus et facillimus eſſe videtur. Nec putem flumina Paradiſi Muhammedis ſatis apte in hunc locum poſſe derivari. Lac et mel res eſſe Orientalibus maxime caras, in vulgus notum eſt. *Videre* autem pro *frui* ſæpe dici, non opus eſt ut probem.

m) Pro כְּחֵיל legendum eſt בְּחֵיל quod etiam habent duodecim Codd. *Kennicotti*, uti etiam litera Vau ante לא redundat,

19. Quia concuſſos dereliquit pauperes,
Domos rapuit, quas non ædificarat.
20. Quia venter ejus expleri non poterat,
Nec quidquam cupiditatibus ſuis evaſit.
21. Quia nihil effugit ejus voracitati,
Propterea non firma erit ejus felicitas.
22. Ventre tandem repleto, venient anguſtiæ,
Manus afflictorum eum invadent *n*).
23. Erit quo impleatur venter ejus:
Mittet *Deus* in eum ardentem ſuam iram,
Et pluet ſuper illum quo veſcatur *o*).
24. Fugit ab armatura ferrea,
Transverberabit eum arcus æneus.
25. Stringit gladium, qui corpus ejus penetrabit,
Acies fulminans ex felle exit,

dundat, fortaſſe errore ſcribarum, cum Vau præcedat, repetita. Non extat in codice *Kennicotti* 101.

n) Oppreſſori pauperum ſecundum verſum 19. pœna talionis annunciatur. Nam verbum בא h. l. uti ſæpe de aggreſſione hoſtili dicitur, e. c. 3, 25. 5, 21. 15, 21. Venient illi et repetent bona eis erepta.

o) In hoc et ſequentibus verſibus reſpicitur fortaſſe ad Cap. 19, 6. 8. ubi Jobus dixerat Deum ſuper eo rete ſuum expandiſſe et obſtruxiſſe ipſi viam. — Idem dicit Zopharus evenire impio: cum non poſſe effugere ſuo interitu; ex uno malo in aliud majus et gravius incidere.

Perit terroribus oppreſſus.

26. Omnis generis calamitates *p*) theſauris ejus ſervantur,

Ignis eos conſumet non ſufflandus,

Quod ſupereſt in tentorio ejus, conteretur.

27. Reteget cælum ejus iniquitatem

Et terra contra eum inſurget.

28. Devolvet diluvium domum ejus,

Aquæ effuſæ, illo iraſcente.

29. Hæc eſt portio hominis improbi a Numine

Et hæreditas rerum ipſius a Deo.

CAPUT XXI

Refutat Jobus præcedentem Zopharis ſermonem de impiorum felicitate momentanea, ſic ut aſſerat dari complura exempla impiorum, qui perpetua nec interrupta felicitate in hac vita fruerentur, qui ſalvi et incolumes ad ſepulcrum deducerentur, nec unquam peccatorum ſuorum pœnas dediſſent; ex quo falſam eſſe iſtam ſententiam ſponte ſequatur.

1. Tum Jobus reſpondit in hunc modum:

2. Audite quod dicam,

Hoc ſit loco conſolationum veſtrarum.

3. Ferte me, dum loquor,

Et poſtquam locutus fuero, ride *a*).

4. Num

p) hebr. *tenebræ.*

a) Lectio textus recepta תַּלְעִיג numeri ſingularis, quanquam

4. Num ad homines directæ ſunt querelæ meæ *b*)?
Et ſi quoque ita eſſet, cur non paullo impatientius dolere liceret?

5. Adſpicite me et obſtupeſcite
Manu ori admota. —

6. Quoties recordor, perturbor,
Et corporis horrore corripior *c*):

7. Cur impii vivunt felices?
Durant et opibus valent.

8. Progenies eorum conſtanti apud illos fortuna fruitur,
Nec non eorum poſteri, ipſis ſpectantibus.

9. Domos habitant a timore ſalvas,
Non vapulant divino verbere.

quam pluralis præcedit, quem etiam antiqui interpretes præter Chaldæum exprimunt, ſana videtur. Innuit in ſpecie Zopharum, qui ultimo loco locutus fuerat et præ cæteris acerbe.

b) Interrogatio negans, et ſenſus: Ego de calamitate mea non apud vos conqueror, igitur non eſt quod mihi reſpondeatis. Ad Deum directæ ſunt querelæ meæ. — שִׂיחַ de querelis Jobi adſuit 7, 13. 9, 27. 10, 1.

c) Ab hoc verſu usque ad verſ. 16. deſcribit felicitatem impiorum, quam ſæpe ſumma cum admiratione viderit. — Quæ deſcriptio dijudicanda eſt ex vitæ genere Arabum, apud quos greges magnam divitiarum partem conſtituunt et omnes pecori alendo operam navant; hinc minime indecorum eis videtur imagines poeticas ex hac vitæ ſuæ ratione deſumere.

10. Boves fœcundi ſunt, non inertes,
Vaccæ partum excludunt, nec abortum patiuntur.
11. Emittunt pecoris inſtar ſuos parvulos,
Eorumque nati tripudiant.
12. Cantant ad tympanum et citharam,
Lætantur ad ſonum fiſtulæ *d*).
13. Tranſigunt feliciter ætatem ſuam,
Et ſubito ad inferos deſcendunt:
14. Quanquam Deo dixerant: mitte nos,
Cognitione voluntatis tuæ non delectamur.
15 Quis eſt omnipotens, ut eum colamus?
Et quid prodeſt precibus eum interpellare? —
16. En! non fruuntur conſtanti felicitate!
(Abſit a me improborum agendi ratio!) *e*)

17. Quo-

d) De inſtrumento muſico עוּגָב cujus inventor Jubal perhibetur Geneſ. 4, 21. et cujus nomen infra Cap. 30, 31. et Pſ. 150, 4. occurrit, docte diſſeruit *Pfeifferus* in libro germanice ſcripto de Muſica Hebræorum p. 48. et probabiliter conjectavit eſſe antiquiſſimam illam *fiſtulam Panis* poetis græcis et latinis celebratam.

e) Complures interpretes exiſtimant Jobum inde ab hoc verſu usque ad verſ. 21. docere, impiorum felicitatem in hac vita eſſe admodum incertam, ſemper eis timendam eſſe iram divinam, a qua ſæpe in medio felicitatis ſuæ curſu perderentur. At enim vero *Schultenſius* recte obſervavit, hanc ſententiam non convenire uni-

verſæ

17. Quoties *f)* lucerna impiorum extinguitur, et irruit in eos perditio?
Aut portiones diſtribuit *Deus cuique* in ira ſua?
18. *Quoties* paleæ ſimiles fiunt a vento actæ?
Aut glumæ a turbine raptæ? —
19. Servat Deus eorum filiis pœnam. — *g)*
Retribueret ipſi potius, ut ſentiret.

20. Ipſe

verſæ diſputationi Jobum inter et ſodales ejus. Hi enim illud ipſum jam aſſeruerant, et Zopharus modo capite viceſimo pluribus probaverat. Sed Jobus in toto hoc capite defendit id quod amici ejus negabant: impios ſæpe in hac vita usque ad mortem ſuam conſtanti et perpetua frui felicitate. Atque in hac pericopa occurrit objectionibus adverſariorum ſuorum. — Prius membrum ironice in eos dictum eſt: *Ecce! non in manu eorum bonum eorum*, h. e. Num dici poteſt felicitatem eorum parum firmam eſſe et tutam, quod vos contenditis? Innumera exempla talium, quales ego deſcripſi, probant contrarium. — Poſterius membrum per affectum modo interſeritur a Jobo ad declarandum, quam parum impiis invideat iſtam eorum felicitatem.

f) כַּמָּה h. l. non *auget* ſeu *affirmat*, ſed *minuit* aut *negat*, ut 13, 23. et ſenſus hujus et ſequentis verſus: rara eſſe exempla impiorum, qui a Deo ſingulari judicio e ſtatu ſuo felici et fortunato dejiciantur.

g) Eſt objectio adverſariorum Jobi, ad quam in ſequenti membro usque ad finem verſ. 21. reſpondet. Vid. *Schultenſius* p. 561.

20. Ipſe oculis ſuis videre deberet perniciem ſuam *h*),
Et de venenato potu omnipotentis bibere.
21. Nam quid negotii *i*) ei eſt cum domo ſua poſt mortem,
Cum numerus menſium ſuorum ſit exactus? — *k*)

22. Num

b) In textu eſt כידו quod *ἅπαξ λεγ.* optime illuſtravit *Schultenſius* ex lingua arabica. Nempe derivandum eſt a كان *circumvenit, bellum movit.* Hinc בִיד *inſidiæ, fraudes, ſtratagema:* atque uſurpant Arabes hunc tropum, quod perniciem, quam divina providentia impiis parat, et in quam iſti præter opinionem ſuam incidunt, *circumventionem* ſ. *inſidias* Dei vocant. Nolui tamen hunc tropum in verſione exprimere.

i) חֵפֶץ h. l. non eſt *voluptas* ſ. *lætitia*, ſed *ſtudium* ſ. *occupatio* in aliqua re, ut Eccleſ. 3, 1. Qui ſenſus rerum mundanarum aut earum participatio negatur h. l. homini mortuo, ut ſupra Cap. 14, 21.

k) Verbum חצצו eſt a חצץ *ſortiri*, quod formatum eſt a חץ *ſagitta*, quoniam Arabes olim ſagittas in ſortiendo adhibebant, quas certis notis inſignitas et probe agitatas e ſaeculo, cui inditæ erant, ſingulatim educebant. Igitur verba textus מספר חדשיו *numerus menſium ejus ſorte eductus eſt*, indicant totum illud tempus, quod eis ad vivendum datum erat. Sic h. l. recte explicavit *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi p. 28.

22. Num quis Deum ſapientiam docebit *l*),
Hunc, qui regnat in excelſo?
23. Alius moritur integra fortuna ſua,
Quietus et felix.
24. Stationes pecoris ſui plenæ ſunt lacte,
Et medulla oſſium aſſidue irrigatur.
25. Alius vero moritur adverſa fortuna preſſus,
Cum nulla fruitus eſt felicitate.
26. Pariter jacent in pulvere,
Vermes eos tegunt. —
27. Sed novi cogitationes veſtras,
Et calumnias, quibus me injuria afficitis.
28. Dicetis enim: ubi eſt domus potentis *m*)?

Ubi

l) Reprehendere videtur Jobus adverſarios ſuos, qui juſtitia divina indignum cenſebant, impium non puniri et ſalvum atque incolumem ex hac vita diſcedere. Pergit igitur probare ſententiam ſuam, Deum hac in re pro arbitrio ſuo agere, neque fortunam ſecundam, neque adverſam ſignum eſſe hominis probi aut improbi. Hinc *alium* omnibus bonis cumulatum et vivere et mori, verſ. 23. et 24. ſub quo impium intelligere tota diſputationis ſeries requirere videtur: *alium* per omnem vitam usque ad mortem adverſa fortuna agitari, verſ. 25. quod ex oppoſitione de pio dictum eſſe debet.

m) Quanquam נָדִיב alias plerumque in bono ſenſu dicitur de homine ingenuo et liberali, tamen h. l. videtur in ſenſu deteriori dictum eſſe de homine divite et potente

Ubi ſunt tentoria improborum?

29. An vos nunquam viatores interrogaſtis?
Aut ignoratis iſta eorum monumenta?

30. Subducitur malus diei exitii,
Ante diem ultionis deducitur ad ſepulcrum.

31. Quis eum redarguit ob vitam ſuam?
Et, ſi quis hoc fuerit auſus, quis pœnam ab eo repetit?

32. Ad ſepulcrum deducitur,
Super tumulo ſuo adhuc ſuperſtes.

33. Suaves ei ſunt glebæ vallis,

Funus

tente eoque impio. — Nam negant ſodales Jobi id quod hic defendit: impios ſæpe conſtanti felicitate uti. Igitur quæſtionis verſ. 28. ſenſus eſt: divites illos et potentes improbos divino judicio eſſe ſublatos, nihil ſupereſſe de eorum divitiis etc. — Dubium non eſt, quin digitum ſimul intenderint ad fortunam Jobi, propterea hic quoque de calumniis conqueritur verſ. 27. — Sed hic nihilo minus perſiſtit in ſententia ſua atque v. 29. reſpondet: rem eſſe in vulgus notam, viatores eos docere poſſe, ubique locorum extare monumenta hominum impiorum, qui ſumma rerum affluentia eſſent mortui; immo ipſos id ignorare non poſſe. — Sub אתות *monumentis* hominum impiorum verſ. 29. intelligo *monumenta ſepulcralia* eis poſt mortem erecta; quæ ideo teſtimonium perhiberent indubitatum, eos ſalvos et incolumes ex hac vita diſceſſiſſe, de quo etiam ſequentes verſus 30—33. agunt.

Funus ejus ſequuntur quam plurimi,
Præcedunt illud innumeri.

34. Quomodo igitur tam falſa afferre poteſtis ad me conſolandum?
Omnia quæ regeritis, ſunt inepta.

CAPUT XXII

Cum hoc capite incipit tertius actus diſputationum inter Jobum et ſodales ejus. Sed hi in certamine valde remittunt, et quoniam, quæ Jobus dixerat, refutare non poſſunt, certamen in aliam partem vertere ſtudent. Ad criminationes, ad injurias confugiunt. Hinc Eliphaſus in hoc capite Jobum maximorum ſcelerum reum agit, atque annumerat atheis et profanis hominibus, qui Dei providentiam negant. Hinc hortatur eum ad pœnitentiam ſerio agendam, ſic ſpem eſſe ut Deo poſſit reconciliari.

1. Tum Eliphaſus Themanita exorſus hunc in modum verba facit:

2. Num apud Deum aliquis quidquam proficiet,
Quoniam prudenter ſe gerens ſibimet ipſi profuit *a*)?

3. Num

a) Quoniam ſcena eſt hominum diſputantium, verbum סָכַן *utilis fuit, profuit*, putem explicari poſſe *de utilitate ex his diſputationibus* expectanda, ut 15, 3. — ל perſonam indicat *apud quam*, עַל vero perſonam *pro qua*, ſ. in cujus utilitatem aliquid proficitur. — מַשְׂכִּיל *prudenter ſe gerens*, ſc. in diſputando. — Concedunt nempe ſodales

3. Num Deo placere poteſt, quod juſtum te putas *b*)?
Num quidquam lucraberis, ſi vitam tuam integram eſſe contendis?
4. Num reverentia tui quaſi permotus tecum diſputationem ingredietur *c*)?
Aut tecum veniet in judicium?
5. Nonne malitia tua jam ſatis magna eſt?
Et ne nunc quidem finem facis peccatorum tuorum *d*)?
6. Certe pignoratus es fratres tuos inique,
Et male veſtitos ſpoliaſti.

7. Non

dales Jobi eum cauſam ſuam defendere prudenter, ita ut fortaſſe a multis innocens aut probus haberi poſſit. Sed cogitaret, num etiam a Deo idem ſperare poſſit? num hunc quoque verborum ſuorum copia, aut argumentorum probabilitate fallere poſſit? Hic ſenſus contextui aptior et facilior videtur, quam is, quem *Schultenſius*, *Michaelis* aliique verbis ſubjiciunt: hominem probitate ſua ſibimet tantum utilem eſſe, non Deo, qui ſemper beatus ſit, quocunque modo homines vixerint; eorum peccatis ejus beatitudinem neque minui, neque virtute eorum augeri. — Equidem concedo verba textus hanc admittere explicationem, ſed facilior mihi videtur nexus ex priore.

b) תִּצְדַּק ut Cap. 9, 2. 13, 18. Pſ. 51, 6. etc.

c) יָכַח ut ſæpe in hoc libro *diſputare*. 6, 25. 29. 9, 33. 13, 3. 15.

d) ſcil. defenſione illa tua temeraria, et provocatione ad tribunal Dei, auges adhuc culpam tuam.

7. Non aqua potaſti fatigatum,
Et famelico panem denegaſti.

8. Potenti terra patebat,
Et qui auctoritate valebat, poterat eam inhabitare.

9. Viduas dimiſiſti vacuas,
Et pupillorum lacertos fregiſti *e*).

10. Propterea laqueis undique conſtrictus teneris,
Et pernicies repentina te perterret.

11. Aut tenebræ *te circumſtant*, in quibus nihil vides,
Et aquarum inundatio te obtegit.

12. Utique Deus eſt cælis excelſior,
Et videt ſtellas ſummas quantumvis elatas *f*).

13. Pro-

e) Lectio recepta יְדֻכָּא *fractum eſt* poteſt defendi ex conſtructione, cujus exempla bene multa occurrunt in lingua hebraica, quanquam plura in lingua arabica. Verbum ſingularis numeri maſculini generis jungitur nomini fœminino pluralis numeri. Aliud exemplum prorſus ſimile ex hoc libro tantum affero, Cap. 42, 15. לֹא נִמְצָא נָשִׁים יָפוֹת, plura citata ſunt ad *Glaſſium* p. 328. Interim conſenſus antiquiorum interpretum in lectione perſonæ ſecundæ תְּדַכֵּא eam ſatis probabilem facit.

f) Aliā eſt criminatio Jobi verſ. 12—14. quod neget providentiam divinam, dum dixerit (quod tamen nullibi in antecedentibus dixit) Deum in ſummo cælo habitare, nec, quæ in terra inferiori peragantur, magnopere curare.

13. Propterea dicis: quid Deus curet?
Num judicet ea, quæ in caligine peraguntur?
14. Nubes eum tegunt, ut nihil videat,
Et in cælorum circulo obambulat.
15. Igitur tu antiqua illa via incedis,
Quam iſti ſcelerati tenuerunt *g*)?
16. Qui præmatura morte *ad ſupplicium* conſtringebantur,
Fluvius ſubvertit eorum ſedes *h*).
17. Qui Deo dicebant: mitte nos!
Quid enim omnipotens nobis faciet?
18. Qui tamen domos eorum omnis generis bonis impleverat.

Sed

g) Jam refutat Eliphaſus iſtam opinionem, quam falſo Jobo tribuerat, ex judiciis divinis, quibus hujusmodi profani homines ſublati fuiſſent. — Videtur alludere ad hiſtoriam aliquam tunc temporis notam. Sed quæ illa fuerit, dici non poteſt. Quoniam in aliis locis hujus libri nulla indicia extant, libros Moſaicos auctori lectos aut notos fuiſſe, non probabile videtur, eum hiſtoriam diluvii reſpicere.

h) Pro lectione recepta נָהָר יוּצַק facilior haud dubie eſt ea, quam aliis punctis ſubjectis habent *οἱ ό* et Vulgatus נָהָר יִצֹּק *ποταμὸς ἐπιῤῥέων, et fluvius ſubvertit fundamentum eorum.*

Sed abſit a me iſta impiorum agendi ratio *i*).

19. Videbunt probi et gaudebunt,

Et innocens eos ridebit.

20. Profecto exſcinduntur eorum facultates,

Atque ignis conſumit eorum divitias. — *k*)

21. Converte te ad eum, et integer eſto *l*),

H 2 Tum

i) Sunt eadem verba, quibus Jobus Cap. 21, 16. uſus fuerat. Hæc jam Eliphaſus invidioſe repetit ad ſuam deteſtationem adverſus ea, quæ Jobus dixerat, indicandam.

k) Multi interpretes קִימָנוּ vertunt *adverſarius noſter*. Sed neque forma nominis, neque conſtructio verbi in hoc ſenſu ſequenti עַל uſitata, neque parallelismus membrorum favent huic ſententiæ. Propterea præferenda videtur lectio, quam Theodotio, Vulgatus et Syrus exhibent, קִימָם *ἡ ὑπόστασις αὐτῶν, erectio eorum, ſi non humiliati fuerint* ܡܢ ܩܫܝܘܬܗܘܢ *a duritie ſua*. Quod קִים idem ſignificarit, quod יְקוּם *facultates*, recte obſervat *Dœderleinius*. In altero membro ſic optime reſpondet יִתְרָם *excellens* ſ. *præſtantiſſimum*, quod habent, h. e. opes et divitias. — אִם לֹא in initio verſus in jurejurando adhiberi conſtat, neque diſplicet, quod *Michaelis* et *Moldenhauerus* arbitrantur, hunc verſum formulam eſſe, qua pii lætitiam ſuam de pœna impiorum teſtentur.

l) Vocabulum וּשְׁלָם jungo priori, ut officium præcipiatur. *Schulzenſius* habet pro promiſſione, *pacem habe*, h. e.

Tum multum habebis proventum *m*).
22. Suſcipe ex ore ejus doctrinam,
Et repone in animo tuo ejus dicta *n*).
23. Si redieris ad omnipotentem, reſtitueris,
Remota ex tabernaculo tuo omni iniquitate.
24. Pulveris inſtar æſtima aurum,
Et ut ſilices fluviorum Ophiris divitias *o*).

25. Sit

h. e. felix eris. At promiſſio eſt in altero membro, ex quo כהם refero ad utrumque membrum in priori.

m) Formam vocabuli תְּבוּאָתֶךָ ex lectione recepta explicationem grammaticam non ſatis admittere, recte obſervat *Michaelis* in Or. Bibl. P. VIII. p. 194. Sed aliis punctis ſubjectis תְּבוּאָתְךָ *proventus tuus* ſenſus eſt facillimus. Quam lectionem etiam exprimunt verſiones antiquæ omnes.

n) Suadet, ut falſas ſuas opiniones de Deo ejusque providentia deſerat et vitam ſecundum præcepta ejus inſtituat.

o) Verbum שׁוּת *ponere* nonnunquam idem eſſe, quod *habere* aut *æſtimare*, ex aliis locis conſtat, 31, 24 — Vocabulum בֶּצֶר quod h. l. tantum et in ſequenti verſu occurrit, *Schultenſius* quidem ex lingua Arab. illuſtrare ſtuduit, in qua ſignificat *terram ſpiſſam* aut *lapides albicantes*, qui h. l. pro gleba auri et argenti ponerentur. Sed non contemnenda videtur *Reiskii* conjectura, qui putat ſcribendum eſſe נצר quod ipſum eſt nomen *auri* et *argenti*, utrumque ex radice נצר *nitore fulſit*, in arabica

25. Sit tibi omnipotens pro auro,
Et pro argento ex intimis terræ receſſibus eruto.
26. Tunc omnipotente delectaberis,
Et attolles ad Deum vultum tuum.
27. Orabis eum et te exaudiet,
Et vota tua perſolves.
28. Quæ decernis rata erunt,
Et in viis tuis lux ſplendebit.
29. Nam humiliat ſuperbum,
Et dejectum oculis in lata ſpatia educit *p*).

 30. Eri-

bica lingua ſæpe obvium, vid. *Golius* p. 2390. Literas autem ſimiles in vocabulo rariori facile permutari potuiſſe, nemo improbabile dixerit. Ad poſterius membrum repetendum eſt שִׁית *pone* ſ. *æſtima* et *Ophir* metonymice pro rebus pretioſis hujus regionis poni, facile intelligitur. Hunc ſenſum hujus loci non longe quæſitum uti arbitror, in quo vero reddendo interpretes mire diſſentiunt, jam *Grotius* dedit ex Kimchio. Adſcribam verba *Grotii:* Senſus eſt: „Aurum tuum „ne pluris fac, quam pulverem et aurum ex Ophir; „ne pluris quam lapides torrentis, ita Deus tibi erit et „aurum et argentum fortiſſimum.„ Placuit quoque *Schultenſio* et ex recentiſſimis interpretibus *Moldenbauero.*

p) Lectio recepta non commodam admittit explicationem. Minus reſpondere videtur יוֹשִׁיעַ הִשְׁפִּילוּ cum utrumque de Deo ſit explicandum. *Michaelis* quidem prius imperſonaliter vertit et deinde in notis intelligi dicit:

30. Eripit virum innocentem,
Et ſic tu quoque evades puritate manuum tuarum *q*).

CAPUT XXIII

Summum affectum atque adeo audaciam prodit Jobus in priore bujus ſermonis parte. Provocat ad tribunal Dei, ut cauſæ ſuæ juſtitiam probet. Suæ innocentiæ adeo ſibi conſcius eſt, ut certo certius ſe a Deo judice abſolutum iri ſperet 1—8. Dolet deinde

dicit: *Man demüthiget dich, wenn du von Gott ſprichſt.* Ex meo ſenſu nimis languide et tenuiter. *Reiskius* levi mutatione facta legit: כִּי הִשְׁפִּיל מִתְאַמֵּר גֵּוֶה, *bumiliavit* ſc. Deus *imperioſum ſuperbum.* Sic אמר in Hitpael extat Pſ. 94, 4. ex ſignificatione arab. أمر *imperare, præcipere.* — גֵּוֶה pro בְּגֵוָה *in elatione animi.*

q) Pro אִי־נָקִי non dubito legendum eſſe איש־נקי ex auctoritate antiquorum interpretum, qui aut איש legerunt aut אִי in Codd. ſuis non habuerunt, οἱ ό, ῥύσεται ἀθῷον, Syrus et Vulg. *ſalvabitur innocens.* Etiam Chaldæus, quanquam etiam particulam negativam exprimit, *liberabitur vir qui non eſt innocens.* — Pro נִמְלַט autem in altero membro lego תִּמָּלֵט. Sic poteſt affixum ſecundæ perſonæ in כַּפֶּיךָ retineri, quod alias non admittit explicationem et propterea quoque ab interpretibus recentioribus legitur כפיו conſentientibus verſionibus antiquis, præter græcam et Chald. Concluſio magis apta videtur præcedenti admonitioni, quam ſi legatur in tertia perſona: *evadet puritate manuum ſuarum.*

deinde acerbiſſime ſibi aditum ad ipſius Dei ſolium non patere, ſed hunc pro abſoluto ſuo imperio adverſus ipſum tam ſevere agere. — Magnam habet hoc caput cum decimo ſimilitudinem quoad affectus vehementiam et audaciam, qua de Dei nimia in ſe ſeveritate conqueritur eumque ad diſceptandum provocat.

1. Tum Jobus,

2. Etiamnum, inquit, querelæ meæ ſunt amaræ *a*),
Manus ejus *b*) aggravat meos gemitus.

a) hebr. מְרִי aliam quoque admittit explicationem. Nam poteſt verti *rebellis* a מרה *rebellavit.* Hanc ſignificationem nonnulli interpretes h. l. ſubſtituunt, quoniam putant Jobum reſpicere ad Eliphaſi reprehenſionem in præcedenti capite verſ. 2. ſeqq. — Equidem præfero alteram derivationem a מרר *amarus fuit*, propter membrum poſterius, cui ille ſenſus melius reſpondere videtur.

b) In textu legitur יָדִי *manus mea.* Hanc lectionem, ut alios omittam, *Schultenſius* et noviſſime *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi Faſc. II. p. 3. ex hac ratione defendunt, quod pronominum affixa non ſolum activam ſed etiam paſſivam ſignificationem habeant; hinc יָדִי recte explicari poſſe, *manus qua ipſe premor*, ſive ut Vulg. et Chald. verterunt, *manus plagæ mea.* Equidem illam ſignificationem duplicem pronominum affixorum concedo, ſed uſum hujus obſervationis in hac voce eſſe non putem, quoniam יָד per ſe nunquam *plagam* notat, niſi de *manu Dei* dicatur. Igitur

3. Utinam eum invenire poſſem,
Accederem ad ejus ſolium,
4. Exponerem coram eo cauſam *meam*,
Et pleno ore proferrem argumenta.
5. *Tunc* cognoſcerem, quibus verbis mihi reſponderet,
Et quid mihi diceret, intelligerem,
6. Num omni ſua potentia mecum contenderet,
Numne fortaſſe ad me adverteret *c*),
7. Tunc enim recte poſſem cauſam meam coram eo demonſtrare,
Certo perſuaſus me a judice meo plane abſolutum iri, — *d*)

8. En

tur præferre nullus dubito lectionem, quam *οἱ ὁ* et Syrus exhibent יָדוֹ *manus eius* ſc. Dei; cujus nomen Jobus ſupprimit, uti ſolet, quoties durius ſ. audacius de eo loquitur.

c) Perquam diſſentiunt interpretes in explicatione hujus membri לֹא אַךְ הוּא יָשִׂם בִּי quoniam nomen deeſt, quod ad verbum יָשִׂם referri poſſit. Mihi quoque uti *Schnurrero* l. l. facillima videtur explicatio, ſi ſubſtantivum לֵב ſuppleatur ex phraſi alias ſæpe obvia הֵשִׂים לֵב *apponere cor*, h. e. animum advertere, quod in aliis quoque locis omitti ſolet, e. c. 4, 20. 34, 23. — Ante לֹא repeto He interrogativum ex priori membro, et אַךְ verto *fortaſſe*, ut Num. 12, 2. Jud. 3, 24. Pſ. 139, 11.

d) Non putem neceſſe eſſe, ut punctis mutatis legamus מִשְׁפָּטִי

8. En vero, ſive antrorſum eam, non adeſt;
Sive retrorſum, non video eum.
9. Sive ad ſiniſtram, non prehendo eum, quia ſe
tegit *e*),
Dextram quoque opertam habet, ut *eum* videre
non poſſim.
10. Ille vero novit viam meam,
Probat me, et ut aurum purum prodeo *f*).
11. Veſtigiis ejus pes meus inſiſtit,
Viam ejus obſervo, neque *ab ea* declino.
12. Præcepta ejus non negligo *g*),

מִשְׁפָּטָי pro מְשֻׁפָּטַי quod *Michaeli* et *Schnurrero* placet. Nam פלט non ſolum tranſitive uſurpatur, ſed etiam intranſitive, e. c. Ezech. 7, 16. ut מלט ejusdem ſignificationis.

e) עָשָׂה h. l. eſt in ſignificatione prim. *tegendi*, ut ſupra 10, 8. Recte *Dœderleinius* ſenſum verſ. 8. et 9. explicat: *Ignota eſſe fatetur Noſter, quænam et quibus cauſis impulſus Deus agat, ſed non æque ignota ſunt Deo quidquid fit ab hominibus.* Itaque pergit; *me quoque noſcit.*

f) ſc. ex fornace. Tropus non eget explicatione.

g) Omitto literam Vau ante ולא errore ſcribarum, quoniam Vau præcedit, repetitam, quod ſæpe accidit. *Kennicottus* octo Codd. citavit, in quibus ſine Vau לא legitur. Sic quoque recepta verſuum diſtinctio poteſt retineri, nec opus eſt, ut eam mutemus, quod nonnullis interpretibus placuit.

Ejus edicta meis rebus mihi ſunt cariora *h*).
13. At ille Unus, quis eum impediat *i*)?
Quod vult, facit.
14. Perficit quod de me decrevit,
Et hujus generis multa *fortaſſe* ſunt in eo *k*).

15. Pro-

h) *Schultenſius* probavit חֹק arabice ſignificare *omnia, quæ alicui jure debentur*. Quæ latior ſignificatio h. l. quoque eſt aptiſſima. Sic Jobus dicit: *Jura Dei*, ſ. quæ Deo debentur, *ſuis juribus* ſ. quæ ipſe habebat ſibi ſemper priora et antiquiora fuiſſe.

i) hebr. בְאֶחָד varie explicatur: 1) *in uno* ſc. decreto ſ. ſententia eſt. Eſt immutabilis. 2) Si eſt *contra aliquem*. Sic אחד ſæpe indefinite dicitur *aliquis*, *aliquid*, Geneſ. 21, 15. 26, 10. et ב *contra*, Geneſ. 16, 12. — 3) ut ב nominativo præmiſſa ſit ex Idiotiſmo linguæ, de quo videſis *Glaſſium* p. 586. אחד autem unum eſt ex nominibus Dei emphaticis apud Arabes. Quod probat locus ex Camuſo a *Schultenſio* citatus: *Unus ille* אל אחד *cum articulo nemo inſignitur niſi Deus ter Opt. Max.* Et alius ex *Gjauhario: Dic, Deus, Unus.* Etiam ſine articulo, ut *nomen Dei abſolutum*. Hanc tertio loco poſitam explicationem præfero, propter ſenſum longe ſublimiorem. — שׁוב *avertere*, ſ. impedire, adfuit ſupra 9, 12. 11, 10.

k) Veretur Jobus, ne plura adhuc mala eum in poſterum exſpectent. Solent enim afflicti in querelis ſuis ſæpe peiora, quam quæ jam ſentiunt, timere. — Elegantem ad h. l. conjecturam attulit *Dœderleinius*, quam quin adſcribam

15. Propterea a præſentia ejus perturbor,
Accuratius omnia conſiderans, eum timeo.
16. Deus animum meum prorſus dejecit,
Omnipotens me perturbavit.
17. Quod non extinctus ſum, antequam tenebræ irruerent!
Et quod ipſam mortem mihi invidet *l*)!

CAPUT XXIV

Denuo defendit Jobus in hoc capite contra Eliphaſum et ſocios ejus, id quod jam Cap. XXI. aſſeruerat: homines impios et ſceleratos plerumque tuto et ſine ulla noxa in ſuis ſceleribus verſari, tandemque ex hac vita impunitos diſcedere, quorum longum catalogum texit usque ad verſ. 18. Ex quo tandem colligit, cum nulla in eis luculenta Dei judicia conſpiciantur, verum eſſe id quod defenderet.

1. Cur ab omnipotente recondita ſervantur judicii tempora?

Et

ſcribam temperare mihi non poſſum. Legit nempe רִבֹת *litigia*, ut 13, 6. (alias inſcribitur רִיבוֹת) pro רַבֹּת *multa*, in hunc ſenſum: *et hic eſt exitus litis cum eo.* Semper ſuccumbit, qui cum Deo agit, non enim mutantur decreta divina.

l) Ad verbum: *et quia a facie mea texit caliginem*, h. e. mortem, quæ et σκότος et γνόφος abſolute dicitur. *Grotius* ſic vertit ut ſupra poſui. Sententia gravis eſt et vehemens, prorſus reſpondens affectui, quocum Jobus in hoc capite loquitur.

Et cultores ejus non vident dies *pœnæ deſtinatos a)*?
2. Submoventur termini,
Rapti paſcuntur greges.
3. Pupillorum aſini abiguntur,
Viduæ bos pignori capitur.
4. Impediuntur pauperes in negotiis ſuis,
Et inopes ſeſe occultare coguntur:
5. Ita ut ſicuti onagri in deſerto vivant,
Labore matutino alimenta quærentes.
Solitudo eis pro liberis alimenta præbet.
6. In agris metunt farraginem *b*),

Et

a) עִתִּים et יָמִים de tempore judiciorum divinorum dici, clarum eſt ex locis bene multis. Sic illud uſurpatur Eſ. 13, 22. Ezech. 22, 3. 30, 3. hoc 1 Sam. 26, 10. Jer. 50, 31. Ezech. 21, 34. 30, 9. Pſ. 37, 10. 137, 7. Obadj. v. 12. Sed particula לֹא in utroque membro non exiguam parit difficultatem, quod ſic prius membrum poſteriori videtur contradicere. *οἱ ό* prius לא omittunt. Horum auctoritate ego in verſione illud neglexi, quod etiam *Michaelis* fecit.

b) Nonnulli hunc verſum de labore pauperum explicant, ad quem ab impiis coguntur. Sed quoniam de eo v. 10. et 12. ſermo eſt, malim hunc et ſequentes de miſera vita explicare, quam pauperes vivere coguntur ejecti in deſertum. — בְּלִיל *farrago* 6, 5. forte pro paucis ovibus aut capris, quarum lacte vitam ſuſtentant.

Et in vineis impiorum fœnum cordum colligunt *c*),
7. Nudi pernoctant ſine veſtibus,
Nec habent in frigore tegumentum.
8. Ex montium inundationibus madeſcunt,
Et, quod non habent perfugium, ad petrarum antra ſe recipiunt *d*).
9. Rapitur ab uberibus *matris* pupillus,
Et quæcunque pauper habet, pignorantur.
10. Nudi incedunt ſine veſtitu,
Et famelici portant manipulos *e*)
11. Intra ſepta eorum tempore meridiano laborant *f*),
Et

c) Syrus et Arabs *vineas impiorum vindemiant.* Sed hoc dicitur בָּצַר. At לָקַשׁ eſt *ſeros fructus colligere* et לֶקֶשׁ *gramen ſerotinum.* Neque ſermo eſt, uti nonnullis videtur, de *racematione*, quæ relicta ſit pauperi. Nam dicitur *impii* vinea, a quo non ſperandum eſt, ut aliquid reliquerit.

d) Non putem urgendam eſſe propriam verbi חבק *amplexus eſt* ſignificationem. Sed cum pauperes illi aliud perfugium non habere dicantur, quam petram, hoc de antris ſ. cavernis petrarum intelligo. Alio modo Dœderleinius: *per ardua montium enituntur.*

e) Orientalibus inhumanum et crudele videtur, prohibere aliquem ab uſu et fructu ejus, in quo laborat. Hanc crudelitatem deſcribit Jobus in hoc et ſequenti verſu.

f) hebr. יַצְהִירוּ. *Michaelis* et *Moldenbauerus* præeunte Chaldæo vertunt: *oleum exprimunt*, permoti haud dubie ſigni-

Et calcant torcularia ſitientes.

12. Ob injuriam homines gemunt *g*),
Qui occiduntur quiritant.
Sed Deus non reſpicit preces eorum *h*),

13. Et

ſignificatione vocis יִצְהָר *oleum*. Sed צהר in nulla lingua Orientis eſt *oleum exprimere*, quanquam *olei* ſignificatio ab hac radice derivanda eſt. Nam צהר pr. eſt *liquavit rem*, ſ. *luxit*, *ſplenduit*, hinc a colore *oleum* dictum eſt. Noſtrum צהר optime confertur cum arab. ظهر *meridie opus fecit*, vel cum صهر *ardore ſolis lædi et eo premi.* Deſcribitur ſumma crudelitas impiorum, qua ſervos tempore meridiano ſummo ſolis ardore laborare cogunt.

g) Sic verba difficiliora מֵעִיר מְתִים יִנְאָקוּ variis interpretum conjecturis tentata, de quibus h. l. dicere non attinet, explicat *Dœderleinius*. Nimirum vocabulum עִיר e ſignificatione radicis primaria *æſtuare*, *fervere*, (de qua accurate egit *Schrœderus* in Obſervatt. ſelectis ad Orig. hebr. Cap. II.) facillime explicatur de vi et injuria, ob quam miſeri iſti homines a potentioribus oppreſſi gemunt.

h) Pro תִּפְלָה lege תְּפִלָּה Sic Syrus: *Deus non accipit eorum preces.* Sed remanet difficultas in verbo יָשִׂים. Durior videtur ellipſis verborum עַל־לֵב aliis exemplis vix comprobanda. Sed ea non opus eſt, ſi שׂום h. l. conferatur cum arab. شام *reſpicere aliquid* لا يشم *non reſpicit.* Sic *Reiskius* feliciter conjectavit in conjecturis ſuis in Jobum p. 95.

13. Et iſti omnis felicitatis expertes.
Bona hujus vitæ non noverant,
Nec unquam eis fruebantur *i*).

14. Ma-

i) Plerique interpretes exiſtimant aliam claſſem impiorum deſcribi, qui ſcelera ſua noctu patrent, qui propterea מֹרְדֵי אוֹר *rebellantes contra lucem*, h. e. lucifugi, ſ. lucis inimici dicantur. Contra hanc ſententiam autem *Schnurrerus* in Animadv. ad loca quædam Jobi Faſc. II. excipit, primo, modum loquendi eſſe inſolentiorem atque incertum, quo, qui lucem fugit, rebellare contra eam dicatur. Deinde הֵמָּה rectius ad ſubjectum proxime antecedens referri, quam de novo ſubjecto explicari. Propterea ex ſignificatione arab. verbi מָרַד *abſcidit, reſecuit*, legit מְרֻדֵי אור *abſciſſi a luce*, h. e. homines aerumnoſi a proſperitate omni remoti. *Lucem* enim hebræis imaginem eſſe felicitatis, obvium eſt atque vulgatum. Itaque etiam דַּרְכֵי אוֹר et נְתִיבוֹת אוֹר ſunt *viæ*, quas lumen illuſtrat, coll. Cap. 22, 28. id eſt, „bona atque læta vitæ fortuna ac conditio. Quod vero Jobus, poſtquam dixit hominum alios ab aliis potentioribus impune vim pati atque trucidari, addit „miſeros hos per univerſam vitam iniquiore ſorte uſos „eſſe, facit id ea propter, ut innuat, eo magis etiam „mirum videri debere, quod talia permittere Deus poſ„ſit.„ Hactenus *Schnurrerus*. Quæ a Viro Celeb. ingenioſiſſime et doctiſſime diſputata, quin aliis quoque placeant, non dubito. In verſione perſpicuitatis cauſa verba tropica cum propriis permutavi.

14. Mane ſurgit latro et occidit pauperem et egenum,
Et noctu terret fur *k*).

15. Oculus adulteri obſervat crepuſculum.
Nemo, inquit, me videbit, et abſcondit faciem *ſuam*.

16. *Alii* noctu domos irrumpunt,
Interdiu ſemet abſcondunt. Lucem fugiunt,

17. Nam reputant ſibi auroram pro caligine.
Si ſerenat, ſentiunt tenebrarum terrores. — *l*)

18. *Fas*

k) Ex recepta textus lectione יְהִי כַגַּנָּב de eodem ſubjecto ſermo eſt, quod interdiu *latrocinia* exerceat, noctu *furtum*. Sed היה ſi indicat qualitatem, vel mutationem ſtatus, ſive in melius, ſive in deterius, conſtruitur ſequenti Lamed, Geneſ. 2, 24. 17, 4. Job. 30, 9. Propterea placet mihi elegans conjectura *Reiskii* l. c. qui literam Caph ante גנב jungit præcedenti יהי eamque mutat vel in Beth يهيب *terret fur*, vel ſi quis literam Caph retinere malit, legit يهيك ab هاك *ſuffodit*, *der Dieb bricht ein.*

l) Senſus prioris membri, quem in verſione indicavi, poteſt ex lectione recepta probari כִּי יַחְדָּיו בֹּקֶר לָמוֹ צַלְמָוֶת *ſimul mane ſ. matutinum tempus illis eſt caligo.* Conſtat enim יחד et יחדו indicare conjunctionem temporis, quo quædam accidunt, e. c. Jeſ. 1, 31. 45, 8. Jer. 46, 12. Sed iterum placent conjecturæ *Reiskii* ad h. l. longe facillimæ. Aliis punctis ſubjectis legit יַחְדּוּ يحدّوا *Nam reputant ſibi auroram pro caligine*, h. e. tam averſantur

et

18. *Fas erat m*), ut iſti ſubito tanquam ab aqua pro-
repti e vita auferrentur;

Ut

et horrent lucem, atque alii tenebras. Sed in poſteriori membro difficilius כִּי יַכִּיר *nam novit terrores tenebrarum* mutat in יָנִיר a נוֹר *ſi lucet* ſ. *ſerenat, id reputant pro terroribus caliginis.*

m) Non tantopere laboraſſent interpretes in explicanda hac pericopa inde ab hoc verſu usque ad finem capitis, ſi ſatis attendiſſent ad ſcopum diſputationis Jobi contra ſodales ſuos inſtitutæ, qui erat contra eos probare, impios haud raro per omnem vitam proſperrima fortuna uti, quanquam graviſſima Dei judicia eſſent promeriti. Sane miror eruditiſſimum Jobi commentatorem *Schultenſium* ex difficultatibus, quas verba hebraica objicere videntur, ſeſe explicare non potuiſſe, qui Cap. 21, 19 ſeqq. in ſimillimo loco, in quo Jobus eandem ſententiam defenderat, nexum diſputationis acute vidiſſet atque adeo in hoc loco prope a vero abeſſet. Nam pag. 671. dicit: Neceſſe non erat, ut imprecatio hæc acciperetur pro denunciatione exitii. Pathos Jobi exigebat *declarationem* quid *fieri* oporteret, non quid *fiat* aut quid *futurum* ſit. — Qua obſervatione ad totam hanc pericopam translata omnes difficultates quoad connexionem cum antecedentibus et concluſione diſparent (nam quæ in ſingulis verbis aut formulis obſcurius dicta remanent, lucem ex linguis cognatis aut aliunde deſiderant). Fecit hoc ex recentiſſimis interpretibus, quod equidem ſcio, primus S. R. *Moldenhauerus*,

Ut fundi eorum execrabiles omnibus viderentur,
Ut ſortem viris bonis *n*) tantum debitam nunquam experirentur.

19. *Quemadmodum* ſiccitas et æſtus abſorbent aquas nivales,
Sic orcus debebat iſtos peccatores *deglutire o*),

20. Oblitos propinquis *p*), exeſos a putredine,
Memoria eorum deleta.

Et

cui aſſenſum ſuum non denegavit Cel. *Schnurrerus* in Diſſ. ſæpe laudata, ſed in explicatione verborum ſubinde ab eo diſceſſit. Quæ cum mihi quoque probentur, ſenſum ex ea afferam, quantum ad illuſtrationem verſionis meæ neceſſarium videtur. — Ante קַל־הוּא ſupplendum eſt יִהְיֶה quod uti *omnia verba activa* totius pericopæ per *debere* eſt explicandum.

n) hebr. כְּרָמִים alias *vineæ*, ſed his locus non ſatis idoneus ex contextu aſſignari poteſt. Facilius admitti poteſt ſignificatio vocis hujus ex lingua arabica كرم *viri boni, generoſi. Non debebat* iſte impius *ingredi viam viri boni*, qui nimirum proſpera fortuna tantum dignus eſt.

o) Particulæ comparativæ, quæ ſæpe omitti ſolent, modo ſuppleantur, tunc ſenſus eſt facillimus, nec verba obſcura.

p) רֶחֶם h. l. *propinquitatem* notat ut arab. رَحِمٌ — רִמָּה *vermes* metonym. pro *putredine*, in quam defunctus ſolvitur, ut 7, 5. 21, 26. 25, 4.

Et ſic confringi inſtar arboris iniquitas debebat.

21. *Fas erat q)*, ut alerent uxores ſteriles, improles,
Nec viduis eorum quisquam benefaceret. —

22. Aſt firmiter tenent potentes *r*) robur ſuum,
Reſurgunt, cum ipſi vitæ ſuæ eſſent diffiſi.

23. Concedit illis Deus ſecuritatem,
Quamvis vitæ eorum ratio ipſi bene ſit perſpecta.

24. Ad ſummum evecti ſubita morte auferuntur.
Pereunt. *s*) uti omnes occluſi *ſepulcro*,

q) Ante לֵיעָה ſupplendum eſt יִהְיֶה eo ſenſu quo ſupra ad verſ. 18. dictum eſt. Phraſis illuſtrari poteſt ex Prov. 29, 3.

r) Jam vero dicit Jobus omnia alia evenire; impios conſtanti nec interrupta felicitate uti, atque adeo longævos placida morte tandem extingui. — אַבִּירִים eſt ſubjectum: nec obſtat conſtructio numeri pluralis cum verbo ſingularis numeri, in aliis exemplis ſæpe obvia, qua ille diſtributive eſt explicandus, ut Geneſ. 27, 29. 47, 3. Apparet hoc ex eo, quod in poſteriori membro verſ. 23. et ſequenti verſu 24. in plurali numero ſermo de eodem ſubjecto continuatur. Propterea ego quoque in tota pericopa vertenda numerum pluralem adhibui, quanquam inde a verſ. 18. usque ad verſ. 23. med. in textu ſingularis numeri legatur. — מֹשֵׁךְ ſequenti ב eſt *firmiter tenere*, ut Jud. 5, 14. et in lingua arab. مسك *Golius* p. 2227.

s) הֻמְּכוּ lege הֻמַּכּוּ in Hophal a מכך quod arabice eſt *conſumere*, *perdere*.

Et ut ſpicæ areſcunt *t*).

25. Si hæc non ita ſunt, quis me mendacii convincat?
Aut dicta mea refutet?

CAPUT XXV

Ultimum congreſſum tentat Bildadus, ſed intra conatus ſubſiſtit. Breviter repetit ſententiam, quam ipſe et ſocii ejus contra Jobum defenderat, Deum punire impios et benefacere piis, verſ. 2. et 3. Jobum graviter errare, quod ſe ſanctum et purum eſſe dicat, cum homo ſit adeo fragilis et caducæ naturæ, 4 — fin. in quibus verbis manifeſte reſpicit oraculum illud Eliphaſi Cap. 4, 18.

1. Tum Bildadus Suchæus hunc in modum reſpondit:
2. Terribile imperium exercet,
Retribuit *a*) in excelſis ſuis.
3. Nonne copiæ ejus *b*) ſunt innumerabiles?
Sed in quem non exoritur lux ejus?
4. Quomodo autem homo juſtus eſſe,

Aut

t) יִמָּלוּ a מלל arab. *aſſare, torrere; torreſieri* autem idem eſt, quod *matureſcere*. Imago eſt aptiſſima ad longævitatem hominum improborum deſcribendam.

a) Pro שָׁלוֹם lego שִׁלּוּם *retributio*, ut *Michaelis*, cf. Biblioth. Or. P. VIII. p. 200.

b) Sub גְּדוּדָיו *copiis Dei* intelligo *judicia divina*, quo ipſo vocabulo Jobus Cap. 19, 12. ea nominarat: quibus opponitur in altero membro *lux Dei*, h. e. *beneficia*, quæ omnibus hominibus exhibet.

Digitized by Google

Aut muliere natus purus coram eo videri poteſt?

5. En! usque ad lunam nemo habitat, *qui purus ſit;*
Nec ſtellæ puræ ei videntur *c*).

6. Multo minus homo, putredo,
Et filius hominis, vermis.

CAPUT XXVI

Reſpondet Jobus: Bildadum parum perite et perquam intempeſtive Dei defenſionem ſuſcepiſſe. Deum minime egere alieno auxilio, eum ita magnum et potentem eſſe, ejusque majeſtatem adeo ubique conſpicuam, ut eam quisque, qui paullulum modo attendat, poſſit cognoſcere et ad eam neceſſario obſtupeſcere debeat.

1. 2. Quemnam, inquit Jobus, adjuvas? imbecillum credo.
Quem defendis? forſan viribus deſtitutum?

3. Cuinam conſulis? inſipienti videlicet.
Sane multum acuminis oſtendiſti.

 4. Cujus

c) Hunc verſum, in quo interpretes valde diſſentiunt, optime putem poſſe explicari ex verbis, quæ citantur Cap. 4, 18. Ibi argumentatur Eliphaſus a ſanctitate angelorum ad ſanctitatem hominum. Igitur h. l. eodem modo. Repetatur tantum ex antecedente verſu ſive ex poſteriori membro hujus verſus זכה, et habes gradationem a luna ad remotiſſima cæli loca, quæ ſtellæ occupant. Aſſumtio de imbecilla hominis natura eſt in ultimo verſu.

4. Cujus dicta expoſuiſti?
Cujus oracula repetiiſti?
5. Manes ſub aquis,
Et qui apud illos ſunt, eum contremiſcunt.
6. Nudus eſt coram eo infernus,
Nec orcus habet tegumentum.
7. Extendit ſeptentrionem ſuper ſpatio vacuo *a*),
Suſpendit terram in nihilo.
8. Colligit aquam in nubibus,
Neque hæ ſub illa rumpuntur.
9. Claudit aditum ſolii ſui,
Expandens ſuper eo nubem.
10. Circinat terminum aquæ *b*),
Accurate definit lucem et tenebras.
11. Columnæ cæli contremiſcunt *c*)
Et obſtupeſcunt eo increpante.
12. Virtute ſua fluctus maris attollit,
Et prudentia ſua compeſcit ejus tumorem.

13. Vento

a) *Septentrio* h. l. eſt cælum ſeptentrionale, quod cum ſtellis ſuis ut ſpatium vacuum ſuper capitibus noſtris expanſum videtur et nullo fundamento niti. *Michaelis.*

b) h. e. accuratiſſime definivit terminos maris et terræ continentis.

c) h. e. montes. Eſt deſcriptio poetica *tonitru*, quo *cælum* videtur contremiſcere; cui *columnæ* tribuuntur ut ædificio, cf. ſimilem locum Nahum, 1, 5.

13. Vento ſuo cælum ſerenat *d*),
Manus ejus ſerpentem ominoſum transfodit. — *e*)
14. En! hæ ſunt operum ſuorum particulæ quædam,
Et quam pauca ſunt quæ de eis percepimus?
Tonitru autem ejus potentiſſimum quis intelligit?

CAPUT XXVII

Zophar, tertius ex illis Jobi ſodalibus, qui diſputationem ingredi debuiſſet, nihil regerit. Hic igitur eo alacrius pergit in defendenda cauſa ſua. Primo adverſus cenſores ſuos denuo aſſerit innocentiam ſuam vitæque ante actæ probitatem, 1—8. Deinde ſortem hominis impii miſeram eſſe dicit, quod nunquam Deum cum ſpe et fiducia precari poſſit. Concedit porro adverſariis ſuis filicitatem hominis impii in hac vita incertam eſſe et minus tutam; ſæpe enim eum repentino judicio a Deo auferri. Sed quomodo de eo judicandum ſit, docet in ſequenti capite.

1. Tum pergebat Jobus in carmine ſuo hunc in modum:

I 4 2. Per

d) שִׁפְרָה h. l. ex ſignificat. arabic. سفر *ſplenduit, nituit.* Ventus nempe diſſipat tempeſtatem.

e) Mihi, ut aliis, probabile videtur intelligi ſidus tempeſtatis prænuncium. Quod ſi diſparet, ſerpens ille ominoſus a poeta confoſſus dicitur. Sic poſterius membrum idem dicit, quod prius. cf. *Hufnagelius.* Contextus non ſavere videtur aliorum ſententiæ de crocodilo aut alio monſtro marino.

2. Per Deum immortalem, qui cauſam meam negligit!
Per Omnipotentem, qui acerbo dolore me afficit!
(3. Vivo enim adhuc,
Et ſpiritus, quem Deus mihi dedit, adhuc in me eſt.)
4. Si labia mea iniqua loquantur,
Si lingua mea dolum pronunciet *a*).
5. Abſit a me, ut vos recte ſentire concedam,
Quamdiu vivam, integritatem meam defendam.
6. Conſtans fui in probitate mea, neque in ea remittam,
Nec conſcientia mea de ullo dierum meorum me redarguet.
7. Hoſtis meus impio ſimilis ſit,
Meusque adverſarius injuſto *b*).
8. Quam enim ſpem habet homo profanus, quamvis lucrum fecerit,

Et

a) Non ſermo eſt de quacunque iniquitate, aut de dolo, quo alios fallere nolit; ſed de dolo et iniquitate, quam committeret Jobus, ſi ſodalibus ſuis quidquam concederet, cujus eum accuſarant. Nemo æquo animo feret, ſi probitas ejus et virtus ſuſpecta redditur, idque eo minus, quo diligentior fuit in virtute tuenda. Igitur iniquus fuiſſet Jobus in ſe, et dolum revera commiſiſſet, ſi deſiiſſet ſeſe adverſus illas criminationes aut ſuſpiciones defendere. Hunc ſenſum ſequens verſus clare docet.

b) h. e pro reo habeatur. Condemnatus abeat et cauſa cadat inimicus meus. Oppoſitum τῷ אַצְדִּיק in v. 5, *Dœderleinius*.

Et Deus vitam ei conceſſerit tranquillam c)?

I 5 , 9. Num

c) Recte obſervat *Schuurrerus* in Animadverſſ. ad quædam loca Jobi Faſc. II. p. 13. *novum a Jobo adverſariis ſuis* verſſ. 8. 9. 10. argumentum proponi, ex quo intelligere debeant, ipſum rectefactorum conſcientia gaudere: „criminum enim conſcius ſi eſſet, profecto ſe non tam „audacter ad ipſum Numen provocaturum, neque enim „profanum hominem a Deo quidquam ſperare poſſe.„ Sed in explicatione membri poſterioris hujus verſus Viro Celeberr. non aſſentior. Nempe verba textus כִּי יִבְצַע כִּי יֵשֶׁל אֱלוֹהַּ נַפְשׁוֹ ſic vertit: *quum exſcinditur* ſc. profanus *exigitque Deus vitam ejus*. Pro יִבְצַע legit יְבֻצַּע quanquam etiam illud ferri poſſe exiſtimat, ſi ad ſequens nomen אלוה referatur. יֵשֶׁל vero neque a שָׁלָה, neque a נָשַׁל, neque a שָׁלַל derivat, ſed ingenioſe conjectat ſcriptum eſſe pro יִשְׁאַל, cujus ſcriptionis defectivæ apud Arabes uſitatiſſimæ neque in lingua hebr. exempla deſunt, e. c. שלתך 1 Sam. 1, 17. Equidem concedo verba textus admittere hanc explicationem, ſed contextus non admodum ei favere videtur. Nam verſ. 19. ſeqq. ſermo demum eſt de mutatione felicitatis hominis impii ſubitanea. Putem vero recte יֵשֶׁל a שלה poſſe derivari, tum quod Jobus hoc ipſum verbum de fortuna ſecunda impiorum adhibuerat Cap. 12, 6. 21, 23. tum quod forma futuri apocopati, ſive conjugat. Kal ex punctatione recepta, ſ. ex Hiphil cum duplici Segol, utique locum habere poteſt. Miror enim *Michae-*

9. Num clamorem ejus Deus audiet,
Si evenerit ei calamitas?
10. Num omnipotente ſeſe poterit oblectare?
Aut implorare Deum quovis tempore?
11. Docebo vos, quæ ſit ratio providentiæ divinæ,
Et quomodo agere ſoleat Omnipotens, non tacebo.
12. Vos quidem omnes *hoc* vidiſtis,
Cur igitur tam futilia aſſeritis?
13. Hæc eſt ſors hominis impii a Deo,
Et conditio ferocis ab Omnipotente:
14. Si quoque liberi ejus felices ſunt, gladio *ſervantur*,
Et progenies ejus victu neceſſario deſtituitur.
15. Qui forte evaſerint, peſte *d*) auferentur,
Et viduas ejus nemo deplorabit *e*).

16. Si

Michaelem in Bibl. Or. P. VIII. p. 202. ſcripſiſſe, apocopen tertiæ radicalis He tantum uſurpari, ſi Futurum votum aut juſſum includat. Falſam eſſe hanc reſtrictionem Futuri apocopati, probant verba in quavis fere pagina librorum maxime hiſtoricorum obvia, וַיַּעַל, ויהי, ויחי, וַיַּרְא, וַיַּעַשׂ etc. in quibus illa reſtrictio non obtinet.

d) hebr. בַּמָּוֶת יִקָּבֵרוּ *Mors* h. l. *κατ' ἐξοχὴν* pro peſte dicta videtur. Sic Chaldæus: *qui evaſerunt, peſte ſepelientur*.

e) Aliis punctis ſubjectis lego תִּבְכֶּינָה. Sic quoque *οἱ ό* et Syrus.

16. Si congeſſerit argentum ut pulverem,
Et tantum veſtium comparaverit, quantum eſt argillæ:
17. Quas paravit *veſtes*, juſtus induet,
Et argentum diſtribuet innocens.
18. Domum exſtruxit ut tinea,
Tugurium fecit, ut cuſtos *f*).
19. Dives cubitum abit et nihil deerat *g*),
Evigilat et nihil invenit.
20. Invadunt eum ut aquarum *inundationes* terrores,
Nocturna eum abripiet tempeſtas.
21. Aufert eum Eurus, et perit,
E loco ſuo eum propellit.
22. Projicit in eum *Deus tela ſua* absque miſericordia,
Licet effugere iræ ejus optet.

23. Com-

f) ſc. in vineis et hortis; qui tugurium ſuum ex uno loco in alium transferre ſolet, cf. Jer. 4, 16. 31, 6.

g) Conſentiunt fere interpretes recentiores, deſcribi mortem ſubitam, qua homo impius ex hac vita auferatur. Sed recte obſervat *Schnurrerus*, h. l. non aptum eſſe hunc ſenſum contextui, quoniam verſ. 22. commemorantur plures adverſitates, quibuscum ei eſt conflictandum. Igitur melius verba explicantur de eo, quod dives nonnunquam repente, unius noctis ſpatio, omnibus ſuis divitiis privetur. — לֹא ante יֵאָסֵף i. q. *nihil*, ut ſæpe, v. c. 6, 21. 11, 11.

23. Complodit ſuper eo manibus,
Et ex loco ejus eum exſibilat *h*).

CAPUT XXVIII

Cohæret hoc caput cum præcedenti. Probare vult Jobus, providentiam divinam circa hominem eſſe imperſcrutabilem. Probat hoc ſic, ut laudet primo hominum ſapientiam maxime conſpicuam in eruendis rebus pretioſis e terra ſ. in aurifodinis, 1 — 11. deinde ut doceat ſapientiam Dei in gubernando hoc univerſo homini eſſe abſconditam, nec ab eo poſſe inveſtigari, 12 — 27. hanc hominem tantum debere revereri, a peccatis abſtinere, et veræ virtuti operam dare.

1. Argentum quidem homo invenit *a*),
Et locum auri, quod fundit.
2. Ferrum e terra eruitur,
Et lapis liquatur in æs,

3. Finis

h) Audacior videri poteſt proſopopoeia de Deo inimicos ſuos ridente, ſed ab aliis quoque ſcriptoribus S. uſurpata, Pſ. 2, 4. Prov. 1, 26. Igitur eam h. l. quoque retinui, quanquam *Schnurrerus* aliique de *loco*, ad illam duritiem, quam putant, vitandam, malint explicare.

a) Placet conjectura *Michaelis*, pro מוֹצָא *vena* ſc. argenti legendum eſſe מֹוצֵא a radice מצא, propter oppoſitionem in verſ. 12. ad ſapientiam auro et argento longe profundiorem a nullo mortalium retegendam. Sic quoque *Moldenhauerus*.

3. Finis imponitur tenebris *b*),
Exactiſſime omnia perveſtigantur,
Lapis caliginis et tenebrarum.
4. Erumpente ex alveo torrente *c*),
Qui pedem figere non poſſunt,
Exhauriunt aquas et expellunt.
5. Ager, qui deſuper victum producit,
Subter tanquam igne evertitur.
6. Inter lapides ejus *d*) eſt etiam Sapphirus,
Qui auri pulverem habet interſperſum *e*).

7. Viam

b) Nempe dum aperiuntur abditiſſimi terræ receſſus, ex quibus omnia quæ in tenebris jacebant, eruuntur et in lucem producuntur. Sic quoque in altero membro *lapis caliginis* et *tenebrarum* de metallis et lapidibus pretioſis intelligendus, qui in ima terra latent.

c) Sermo eſt de aquis ſubterraneis et fluminibus, quæ ſæpe, dum metallici terram perfodiunt, erumpunt, ita ut illi ſubſiſtere non poſſent et in labore ſuo impedirentur, niſi aqua illa exhauſta ejiceretur. Hinc verba textus הַנִּשְׁכָּחִים מִנִּי־רָגֶל *oblivioni dati a pede* explico. cf. ſimilem phraſin Pſ. 137, 5. et quæ ad illum locum dixi.

d) Ante אֲבָנֶיהָ ſuppleo בּ *inter lapides ejus* ſc. agri, ſub quo metallici laborant.

e) *Michaelis* obſervat (in notis ad verſ. bibl. et in quæſtionibus Arab. quæſt. 97. p. 285.) veteres duas lapidum ſpecies Sapphiri nomine inſigniviſſe in colore tan-

tum

Digitized by Google

7. Viam *hanc* nulla novit avis rapax,
Non vidit eam oculus vulturis.
8. Non calcarunt eam animalia ferociſſima,
Leo eam non eſt ingreſſus.
9. Rupi manum homo injicit,
Radicitus montes evertit.
10. In petris rivos excidit *f*),
Sic enim maxime pretioſa oculis ſuis conſpicit.
11. Stillantes aquas colligit,
Et abdita profert in lucem. —
12. Ubinam vero ſapientia invenitur *g*)?

Et

tum cæruleo ſimiles: *Sapphirum*, quem nos dicimus et in lapidibus pretioſis habemus, et *Lazurum* ſ. *lapidem lazuli*, qui noſtris temporibus lapidibus pretioſis non annumeratur.

f) Non ſermo eſt de torrentibus ſponte erumpentibus, ſed de iis, quas metalli foſſores quærere ſolent et propterea petras incidere, quoniam ſciunt auri venas et argenti ibi latere, quod vocant: *Waſſer erſchroten*. Poſterius membrum hoc clare dicit.

g) Incipit altera pars capitis. — *Sapientia*, de qua Jobus loquitur, pro contextu et ſcopo diſputantium vix alia poteſt intelligi, quam quæ mundum regit, gubernat, atque omnia in eo diſponit. Hujus ſapientiæ divinæ regulas ſ. leges invenire non datum eſt intellectui humano. — Non poteſt Jobus ſapientiam in genere intelligere, aut negare eam ab homine obtineri poſſe, quo-

niam

Et quinam locus eſt prudentiæ?
13. Nemo novit ejus pretium,
Nec inter vivos deprehenditur.
14. Profundum negat eam in ſe eſſe *h*),
Negat mare eam apud ſe inveniri.
15. Non datur aurum pro ea,
Nec appenditur argentum *ut* ejus pretium.
16. Non auro æſtimatur Ophireo,
Non onyche pretioſo *i*), non Sapphiro.
17. Non æquiparanda eſt vitro auro interſperſo *k*),
Nec

niam in priori capitis parte laudarat et admiratus fuerat magnitudinem et acumen intellectus humani, quo abditiſſimos terræ theſauros inveſtigaret. Sic *Michaelis*, cui prorſus aſſentior.

h) Exergaſia eſt poetica usque ad verſ. 19. qua negatur, hanc ſapientiam ullibi inveniri, ſi vel in locis quæratur remotiſſimis, aut comparari poſſe rebus pretioſiſſimis ſolutis.

i) Quid ſit שֹׁהַם diſſentiunt interpretes, ut in plerisque lapidum pretioſorum nominibus. Vulgatus: *ſardonyx. οἱ ὁ, onyx.* Chaldæus: *lapis berillus.* Syrus et Arabs: *cryſtallus.* cf. omnino *Michaelis* de difficultate in nominibus lapidum pretioſorum inveſtigandis, in Quæſt. arab. Quæſt. 98. p. 287.

k) hebr. זְכוּכִית *Michaelis* probavit eſſe *vitrum* (in Supplementis ad Lex. hebr. p. 613.) Sed quoniam auri jam aliquoties mentio facta eſt, repetitio eſſet vitioſa et nimis

Nec vaſis aureis permutatur.

18. Ramoth et Gabis *l*) non ſunt commemoranda,
Sapientia difficilius extrahitur, quam corallæ.

19. Non æquiparat eam Topaſius æthiopicus *m*),
Non auro putiſſimo poteſt compenſari. —

20. Unde igitur venit ſapientia?
Et quinam locus eſt prudentiæ?

21. Latet enim oculos omnium viventium,
Abdita eſt avibus aëreis.

22. Infernus et mors
Eam ſibi ex fama tantum notam eſſe dicunt —

23. Deus viam ejus inſtruxit,
Ille novit ejus locum *n*).

24. Ille

nimis tenuis, ſi de pretio auri tantum ſermo eſſet. Exiſtimat igitur וזכוכית jungendum eſſe τῷ וזהב ut *ἓν διὰ δυοῖν*: aurum cujus guttæ quædam vitro eſſent infuſæ (*mit Gold durchſprengtes Glas*). De vitro plura dedit in notis ad verſ. germ.

l) Retinui nomina hebr. ut *Schultenſius* aliique fecerunt, quoniam ſignificatio eorum prorſus eſt incerta. cf. *Dœderleinius* ad h. l.

m) De פִּטְדַת *Topaſio* cf. *Michaelis* in quæſt. Arab. p. 292. Aethiopicus vocatur, quod in inſula maris rubri inveniebatur ab Aethiopibus habitata. Aſt *Niebuhr* in deſcript. Arab. p. XLI. auctore Judæo quodam *Smaragdum* eſſe perhibet.

n) Senſum et argumentationem totius pericopæ inde ab hoc

24. Ille extremos terræ terminos conſpicit,
Quæ ſub cælo ſunt, videt.
25. Aëri pondus certum deſtinavit,
Atque aquam ex menſura diſpoſuit.
26. Pluviæ leges dedit,
Et viam deſcripſit fulguri tonanti.
27. Tunc vidit eam et enumeravit,
Condidit eam atque accurate perveſtigavit.
28. Homini vero dixit: En! timor Domini eſt ſapientia,
Et recedere a malo prudentia.

CAPUT XXIX

Hoc et duo ſequentia capita ultimam partem ſermonum Jobi continent. Expectarat haud dubie paullulum finita ſuperiore oratione, num adverſarii certamen denuo cum eo ingredi vellent. Quod cum

hoc verſu usque ad finem capitis recte explicaſſe videtur *Michaelis*: Sapientia, quæ ab initio naturam cum eventis rerum omnium futurarum inſtituit et ordinavit, (cujus Jobus verſſ. 24—27. elegantiſſimam imaginem delineat,) eadem etiam *mundum moralem* regit et gubernat, et inter creaturas ratione præditas fortunam ſecundam et adverſam diſtribuit. — Sed ad utrumque neceſſarium erat, ut legislator naturæ et gubernator hujus univerſi omnia uno obtutu poſſet conſiderare, h. e. ut eſſet omniſcius. Homines igitur, quorum ſcientia pro eorum natura limitata eſt, non poſſunt de modo et ratione providentiæ divinæ recte judicare.

cum non auderent, novam addit juſtæ ſuæ cauſæ demonſtrationem. Primo enarrat in hoc capite priſtinam ſuam felicitatem, qua virtutis et religionis omnis ſtudioſiſſimus cum Dei tum hominum favorem et approbationem ſummam expertus fuiſſet, cum certiſſima ſpe illam usque ad finem vitæ duraturam eſſe.

1. Tum pergebat Jobus in carmine ſuo in hunc modum:

2. Utinam eſſem ſicuti menſibus præteritis,
Sicuti diebus quibus Deus me cuſtodiebat.

3. Cum ſplenderet ejus lucerna ſuper capite meo,
Atque ego ad lumen ejus per tenebras incederem.

4. Qualis eram, cum maturam ætatem agerem,
Cum Deus tentorium meum tegeret *a*).

5. Cum adhuc vigor meus penes me eſſet *b*),
Famulis

a) Verba textus בְּסוֹד אֱלוֹהַּ עֲלֵי אָהֳלִי a *Michaele* et *Moldenhauero* ex vulgari τοῦ סוֹד ſignificatione explicantur de amica quaſi Dei conſultatione ſuper Jobi ſecuritate. Sed facilior videtur *Reiskii* a سك *obſtruere, reſarcire viam. Cum Deus adhuc ſarciret mea vice meum tentorium, aut ejus rimas, ſi quas ageret, obturaret:* vel mutatio ejus in סוֹךְ quæ *Dœderleinio* placuit, et quam ex antiquis interpretibus habuiſſe videntur, *Symmachus*, qui vertit: ὅτι περιέφρασσεν ὁ Θεὸς τὴν σκηνήν μου, *cum circumſepiret Deus tentorium meum*, et Syrus: *cum tegeret Deus tentorium meum.*

b) Lectio recepta vocis שַׁדַּי non commodam admittit expli-

Famulis meis me undique ſtipantibus.
6. Cum lavarem greſſus meos in lacte,
Et petra mihi funderet olei rivos. — *c*)
7. Quando ad portam urbis egrediebar *d*),

explicationem. Sic minus bene poſterius membrum reſponderet priori. *Michaelis* aliis punctis ſubjectis שָׂדַי *cum agri mei adbuc eſſent (als mein Feld mir noch gehörte.)* At nemo Jobo agros ſuos eripuerat. Propterea ex *Reiskii* ſententia שָׂדַי derivo ad arab. شدّ *cum adbuc mea vis, meum robur, vigor meus, penes me eſſet. Moldenbauerus* in eundem ſenſum vertit: *In mir der Jugend Kraftgefühl.*

c) Poetice dictum. Neque ſenſus obſcurus eſt: cum lacte et oleo abundarem. Similes phraſes ſunt Joel. 4, 18. Ezech. 20, 6. 15.

d) Conſtructio verborum בְּצֵאתִי שַׁעַר עֲלֵי קָרֶת paulo impeditior videtur, nec ab interpretibus ſatis explicata. *Michaelis* quidem vertit: *quando ibam ad portam, ad locum urbis præcipuum, (an den Hauptort der Stadt)* et in nota dicit: ſe verba hebraica *ſuper urbe* circumlocutione explicaſſe. Quæ mihi quidem non ſatisfaciunt. *Reiskius* שַׁעַר confert cum arab. شغر *evacuare, evacuabatur ad me ſ. mei cauſa civitas,* h. e. concurrebat mei cauſa civitas ſ. *omnes incolæ;* germanice diceremus: *wenn ich ausging, ſo lief alles aus dem Hauſe, um mich zu ſehen.* Poſui quidem in verſione explicationem vulgarem. Digna tamen videbatur hæc quoque, cujus hoc loco mentionem facerem.

In foro conſidebam,
8. Videbant me juvenes, ſeque abdebant,
Et ſenes aſſurgebant et ſtabant.
9. Proceres cohibebant ſermonem
Manu ori admota.
10. Principes non emittebant vocem,
Lingua faucibus adhærebat.
11. Qui me audierant, me beatum prædicabant,
Qui me viderant, me denuo videre deſiderabant *e*):
12. Nam liberabam inopem conquerentem,
Et pupillum aliosque auxilio deſtitutos.
13. Bona vota pro me faciebant periclitantes,
Animosque viduarum exhilarabam.
14. Juſtitia eram veſtitus *f*),
Et æquitas me ornabat ut pallium et tiara.
15. Cæco oculorum loco,
Et claudo pedum loco eram.
16. Pater eram pauperum,
Litem alienam inveſtigabam.
17. Frangebam dentes injuſti,

Ejus-

e) Plerique interpretes תְּעִידֵנִי derivant a עוּד *atteſtabatur mihi* ſc. honorifice. Sed melius videtur derivari ab عاد *rediit, reverſus eſt.* Sic *Michaelis* et *Reiskius:* iterum iterumque adſpectabant, non ſatiati meo adſpectu.

f) Accentus h. l. male poſiti ſunt, יִלְבָּשֵׁנִי pertinet ad poſterius membrum.

Ejusque faucibus prædam eripiebam.
18. Sic ſperabam me in nido meo g) eſſe exſpiraturum,
Diebus abundans, ut *mare* arena.
19. Radix mea, inquiebam, aquæ patebit,
Nec ros nocturnus ramis meis deerit.
20. Honos ſubinde novus mihi exhibebitur,
Et arcus in manu mea vigebit. —
21. Me audientes ſuſpiciebant,
Et tacebant ad meam ſententiam.
22. Cum elocutus eram, nihil regerebant,
Defluente in eos oratione mea.
23. Me tanquam imbrem expectabant,
Ore excipientes pluviam vernam.
24. Si eos arridebam, non eo fiebant ſecuri,
Nec lucem vultus mei dejiciebant.
25. Si in mores eorum inquirebam, primo loco ſedebam,
Securus ut rex in exercitu;
Sicuti is qui lugentes conſolatur.

g) Equidem non offendor, ut alii, vocabulo tropico קן *nidus*, quod alias quoque pro ſede hominum tuta et felici uſurpatur, v. c. Num. 24, 21. Jer. 49, 16. Habac. 2, 9. Germanice quidem ſermone tantum plebejo ſic dicitur, propterea recentiſſime a *Moldenhauero* aliud elegantius ei reſpondens ſubſtitutum eſt: *Unter meinem Dache will ich ſterben.* Sed ex uſu loquendi hebraico videtur ſignificatum hunc tenuiorem non obtinuiſſe.

CAPUT XXX

Deſcriptioni vitæ feliciſſimæ et magno cum honore actæ Jobus in hoc capite jungit deſcriptionem ſtatus ſui præſentis triſtiſſimi, maxime propter odium et perſecutiones hominum quorundam viliſſimæ et abjectiſſimæ conditionis, quorum mores corruptiſſimos copioſe deſcribit. Innuit haud dubie quosdam, quos antea ob vitæ ſuæ improbitatem aut ſpurcitiem quoque ad ſe non admiſerat, quod ex verſ. 1. et 2. haud obſcure colligitur. Hi igitur contemtum illum ulciſcentes omnibus modis eum infeſtabant et jam ad incitas fere redactum prorſus perdere ſtudebant.

1. Jam vero me derident juniores,
Quorum patres non eodem loco cum canibus meis
pecuariis habuiſſem.

2. Manibus eorum uti non poteram,
Vigore quippe omni deſtituti *a*).

3. Qui

a) Verba membri poſterioris עֲלֵימוֹ אָבַד כָּלַח difficillima ſunt. Significatio *ſenii*, quam כלח habet, ut Cap. 5, 26. non ſatis apta videtur, quoniam ratio redditur, cur Jobus manibus iſtorum hominum uti non potuiſſet. Hinc interpretes admodum variant in his verbis explicandis. Alii hunc nexum utriusque membri non attendunt. Alii vocabulum כלח aliter legendum eſſe conjectant, quod etiam, ut fit, varia ratione tentatum eſt. Liceat aliorum conjecturis, de quibus in his notulis dicere nimis prolixum eſſet, meam quoque addere. In priori membro verba כֹּחַ יְדֵיהֶם non verto *robur*

manuum

Digitized by Google

3. Qui præ inopia et fame duriſſima in loca deſerta
aufugerunt;
Populus *b*) extreme vaſtatus.

 4. De-

manuum eorum, quaſi Jobus diceret iſtos homines habere manus robuſtas, ſed ſunt periphraſis ſubſtantivi, ſimpliciter explicandi ſine notione illa roboris adjecta; cujusmodi periphraſes frequentiſſimæ ſunt in græca et latina lingua, ut: *lumina oculorum*, *robur aratri* ap. Virg. Georg. I, 162. *odora canum vis* Aeneid. IV, 132. et *μένος Ἀτρείδαο* et *Πριάμοιο βίη* ap. *Homerum*. — In poſteriori membro pro כלח lego כֹּל חַי ſ. כֹּל חַיָּה. Qua in lectione conſentientes habeo ex antiquis interpretibus primo *Symmachum*, qui hæc verba vertit *ἀπώλετο αὐτοῖς πᾶν τὸ πρὸς ζωήν*, alio quidem ſenſu, ſed lectione minime dubia. Deinde *Syrum*, qui prorſus eadem ratione intellexit: ܠܟܠܗܘܢ ܐܒܕ ܟܠܗ ܚܝܠܗܘܢ *periit illis omne robur*. At חַי et חַיָּה *vigorem vitæ* in ſpecie notare, data opera probavit *Nanninga* in Animadverſſ. philol. ad quædam V. T. loca, quæ leguntur in Sylloge diſſertt. *Schultenſii* et *Schrœderi* p. 901. ſeqq. Non opus eſt, ut pluribus probem, aptiſſimam eſſe hanc explicationem cum priori membro, tum ſequenti verſui, in quo iidem tanquam famelici et ſumma inopia preſſi deſcribuntur.

b) Verba textus אֶמֶשׁ שֹׁאָה וּמְשֹׁאָה admittunt quidem explicationem non improbandam. Nam אמש aliquoties dicitur de tempore præterito. Igitur verti poſſunt: *nuper*

4. Decerpunt frutices ſalſuginoſos,
Et radice geniſtæ pro pane veſcuntur.
5. Pellebantur e ſocietate,
Eisque tanquam furibus occlamabatur.
6. Igitur in vallibus horridis, in terræ ſpeluncis
Et petrarum cavernis habitant.
7. Inter frutices rudunt, ſ. clamant,
Sub ſentibus coeunt.
8. Homines peſſimi, inglorii,
E terra dejecti.
9. Atque his ego jam dicterium ſum et fabula.
10. Me abominantes recedunt a me,
Neque verentur in conſpectu meo exſpuere.
11. Poſtquam dignitate mea me *Deus* c) privavit et afflixit,

Frenum

nuper admodum vaſtitas et deſolatio ſc. erant. Attamen mihi temperare non potui, qui in verſione ponerem elegantiſſimam conjecturam *Reiskii*, qua pro אמש legi vult אם *populus* litera ש omiſſa, quæ errore ſcribarum propter ſequentem ש bis ſcripta eſt. Cujus generis errores complures admiſſos eſſe, dudum obſervatum eſt a viris doctis rei criticæ peritis.

c) Multi interpretes verba prioris membri etiam de iſtis hominibus explicant, qui dicuntur funem, quo a Jobo conſtricti tenebantur, ſolviſſe. At enimvero mihi videtur hic ſenſus propter numerum ſingularem verborum פִּתַּח et וַיְעַנֵּנִי non probabilis, quoniam in poſteriori mem-

Frenum me præſente abjecerunt.
12. Ad dextram ſoboles conſurgit *d*),
Quæ pedes meos impellit,
Et aggerant contra me vias ſuas pernicioſas.
13. Evertunt vias meas, proficiunt in ruina mea.
Homines ſunt perditiſſimi *e*).
14. Tanquam per rupturam magnam invadunt,

membro et in ſequentibus verſibus 12. 14. et in antecedentibus quoque numerus pluralis de iſtis hominibus adhibetur. Igitur aſſentior potius illis, qui prius membrum de Deo explicant, et quoniam ſignificatio *funis* vocabuli יֶתֶר contextui minus apta eſt, accipio illud in eo ſenſu, quo alias quoque dicitur, *præſtantiæ* nempe, ſ. *dignitatis*. Qua cum Jobus privatus eſſet per Dei voluntatem, audebant iſti nebulones reverentia omni ſepoſita Jobo inſultare et omni modo nocere, de quo in ſequentibus conqueritur. — Non obſtat huic ſententiæ, quod *Deus* non nominetur. Nam neque in ſequentibus eum nominavit verſ. 19. et ſemper hoc facere ſolet noſter, quoties in querelas paullo acerbiores erumpit.

d) ſcilicet hominum iſtorum turpiſſimorum.

e) Sic verba textus לֹא עֹזֵר לָמוֹ *Schultenſius* habet pro dictione proverbiali, qua homines perditiſſimæ rei et ſpei indicantur, quos nemo ſuo auxilio dignari velit. — Alii ל vertunt *contra*. *Non eſt auxiliator adverſus eos.* Utramque explicationem verba admittunt.

Sub ruina ſeſe prorumpunt *f*).

15. Collabuntur ſuper me omnia,
Terrores perſequuntur, ſicuti ventus, animum imperterritum,
Felicitas mea tanquam nubes præteriit. —

16. Jam igitur effundit ſeſe anima mea *lacrimis,*
Triſtiſſima tempora me invaſerunt.

17. Nox oſſa mea contundit,
Et qui me arrodunt, non dormiunt *g*).

18. Magna vi ſeſe immutat indumentum meum,
Ut tunica me cingit *h*).

19. Abjecit me in lutum,
Ita ut ſim perinde ac humus et pulvis.

20. Clamo ad te, ſed non reſpondes,
Inſiſto precibus meis, ſed cunctabundus me adſpicis.

21. Mutatus es in crudelem,
Robore manus tuæ mihi adverſaris.

22. Me

f) Phraſes tropicæ ſunt, ſumtæ ab urbe, cujus mœnia ab hoſte jam perrupta ſunt, per quæ hoſtes irruunt et ſub ruinis eorum oppidanos invadunt.

g) Deſcribit dolores morbi ſui, quos continuo ſentiebat, ne noctu quidem intermittentes. Elephantiaſis in primis oſſa afficit.

h) Hæc quoque de morbo Jobi explicanda. Cutis ſcabie et ulceribus tecta eſt, cf. 7, 5. quibus ſubinde nova ſuccedunt. Hæc vocat Jobus tegumentum ſuum.

22. Me ſublatum aëre vexiſti *i*).
Jam vero everſa eſt felicitas mea, quæ adeo ſolida videbatur *k*).
23. Novi enim, quod me ad mortem abducas,
Ad domum, in qua omnes viventes conveniunt.
24. Sed nonne precari licet, ſi *Deus* affligit?
Si exitium infert, nonne gratiam ejus implorare fas eſt *l*)?

25. Nonne

i) Plerique interpretes prius membrum hujus verſus de calamitate Jobi explicant, qua tanquam vento ſublatus et ablatus eſſet. Quo ſenſu utique verbum נשׂא nonnunquam dicitur, Eſ. 40, 24. 41, 16. At alterum verbum רכב ſemper in bono ſenſu dicitur, de ſtatu felici et fortunato, ad quem aliquis evehitur, e. c. Deut. 32, 13. Eſ. 58, 14. et ſic quoque נשׂא 2 Sam. 5, 12. Pſ. 102, 11. Eſ. 52, 13. Sic h. l. quoque accipi poteſt, ut ſuperior dignitas indicetur, ad quam Jobus a Deo evectus erat, jam vero ab eo rurſus dejectus.

k) hebr. *liquefeciſti* h. e. ſolviſti *ſoliditatem* meam. De qua voce dictum eſt ad Cap. 6, 13. Sic poſterius membrum priori bene reſpondet.

l) Hujus verſus ex lectione recepta non dari poſſe explicationem probabilem, probat diſſenſus interpretum, tum antiquorum, tum recentiorum. Miſſis aliorum de ſenſu verborum difficillimorum conjecturis, equidem gratus profiteor me debere verſionem, quam ſupra poſui, *Dœderleinio*, qui correctione facillima *τοῦ* לְהֵן in לְחֵן ſenſum

25. Nonne defflevi quorum dura erant tempora?
Animo indolui de egeno. —
26. Sed quando bona ſpero, veniunt mala,
Et dum lucem expecto, venit caligo.
27. Viſcera mea indeſinenter efferveſcunt,
Dies mœroris mihi obveniunt.
28. Atratus incedo, ſed non a ſole *m*),
Sto in cœtu quiritans.
29. Frater ſum crocodili,
Et ſocius ſtruthionis.
30. Cutis mea nigra facta eſt,
Et oſſa mea ardore ſunt conſumta.

31. Ci-

ſum utriusque membri oſtendit planum, facilem et ſequenti verſui quoque aptum. Interrogative vero ſententia enuncianda eſt, litera ה, uti ſæpe, omiſſa, et ſenſus: Nunquam, ne in graviſſimis quidem affictionibus, omnem ſpem abjiciendam eſſe; Deum pro miſericordia ſua non poſſe non admittere preces miſerorum. Quod probat in ſequenti verſu argumentatione a minore ad majus, ſive a ſuo exemplo ad Deum: ſe ſemper commotum fuiſſe aliorum malis; quanto magis hoc ſperari fas ſit a Dei miſericordia ſumma et benignitate.

m) *Michaelis* omnium facillime, uti arbitror, hæc ut et verſ. 30. de morbo Jobi explicat. Color enim leproſorum in ſumma vi morbi atratus eſſe ſolet. — Sed appoſite obſervat *Hufnagelius* ad h. l. παρόραμα admiſſum videri ab auctore carminis, qui Jobum morbo teterrimo infectum conventibus publicis interfuiſſe dicat.

31. Cithara mea in luctum
   Et tibia *n*) in vocem flebilem eſt converſa.

CAPUT XXXI

Deſinit Jobus in graviſſima apologia, quam opponit, uti videtur, ſodalium ſuorum ſuſpicionibus, qui Cap. XX. et XXII. eum variorum criminum clam commiſſorum accuſarant. Exponit igitur quam ſeveras leges ſibi ipſe ſcripſerit, quo minus ullo modo Deum offenderet; easque ita a ſe eſſe ſervatas, ut non vereatur adverſarii criminationes, nullius quippe peccati ſibi conſcius.

1. Fœdus pepigeram cum oculis meis,
   Quominus adſpicerem virginem *a*).
2. Quæ enim ſors mea fuiſſet a Deo ſuperne,
   Et conditio ab omnipotente in altiſſimis?
3. Nonne pernicies improbis parata eſt,
   Atque interitus maleficis?
4. Nonne Deus videt vias meas,
   Omnesque greſſus meos numerat? —
5. Si fraudi me commiſi,
   Si quietus in hypocriſi perſtitit pes meus:
6. Ponderet me juſta ſtatera,

Et

n) De עוּגָב *fiſtula* cf. obſervat. ad Cap. 21, 12.

a) Poſterius membrum in textu per interrogationem enunciatum: *quid ſpectarem virginem?* eo fortius id ipſum negat, uti ſæpe. Cæterum facile intelligitur, de aſpectu cum prava concupiſcentia conjuncto ſermonem eſſe.

Et intelligit Deus integritatem meam. —
7. Si greſſus meus declinavit a via,
Et quæ cupiebam perſecutus ſum,
Aut furtive aliquid abſtuli:
8. Quod ſeminavero, alii comedant,
Meæque propagines eradicentur. —
9. Si ſeductus fui ad mulierem *concupiſcendam,*
Aut ad fores alterius inſidiatus ſum:
10. Molat alteri mea conjux *b*),
Eique incubent alii.
11. Scelus enim hoc eſt turpiſſimum,
Et crimen puniendum *c*).

12. Ignis

b) Ex pœna, quam ſibi ipſe imprecatur Jobus, apparet ſermonem eſſe de *adulterio.* Cæterum phraſin prioris membri de *abjectiſſima ſervitute* alias quoque uſurpatam Exod. 11, 5. Eſ. 47, 2. Thren. 5, 13. nonnulli de *concubitu* verecundius ſic dicto explicant; ſed de hoc agit poſterius membrum, neque mihi magna elegantia eſſe videtur h. l. in repetitione ejusdem ſententiæ.

c) *Michaelis* recte obſervat, ſi עָוֹן *iniquitas ſ. culpa* conſtruatur cum ſequenti פְּלִילִים, illud aliis punctis ſubjectis legendum eſſe עֲוֹן. Sed improbat hanc lectionem, quoniam ſententia non ſatis gravis eſſet, cum tamen de turpiſſimo ſcelere ſermo ſit, ſi nihil aliud dicatur, quam judicem in illud debere animadvertere. Igitur עָוֹן deducit a verbo עון Arab. عين *torvo oculo adſpicere*

12. Ignis eſt ad interitum usque conſumens,
Qui omnem *d*) proventum meum exſtirparet. —
13. Num denegavi ſervo aut ancillæ meæ jus,
Si mecum contendebant?
14. Ecquid agam, ſi Deus ſurget?
Si inquiret, quid ei regeram?

15. Nonne

ſpicere et פְּלִילִים litera Mem omiſſa, quæ lectio eſt duorum Codd. Erffurtenſium, פְּלִילִי *ille judex meus* ſc. Deus hoc vidiſſet. At quanquam docta et ingenioſa eſt hæc conjectura, tamen fateor eam mihi non ſatis certam aut neceſſariam videri. Primo enim עַיִן in ſenſu deteriori dicitur de *oculo invidioſo*, ut 1 Sam. 18, 9. et ipſe Vir Illuſtris concedit; huic igitur loco non aptum, ſi de Deo puniente uſurpetur. Deinde non putem ſententiam languere, ſi explicetur *culpa a judice punienda*, nam in priori membro idem dicitur כִּי הוּא זִמָּה. Neque enim mihi videtur h. l. ſpecialior ille ſignificatus τοῦ זמה obtinere, quem Vir Ill. ei tribuit et de quo egit in Suppl. ad Lex. Hebr. ſub h. v. Nihil enim eſt in textu, quod ad illum זמה h. l. reſtringere jubeat. Tandem etiam ſignif. propria *arbitrii*, quam Vir Ill. urget, defendi poteſt. Dicit enim Jobus crimen illud tantum eſſe, ut vel mitiſſimi judices (qui ſunt *arbitri* ad componendas controverſias conſtituti) illud debeant condemnare.

d) Pro וּבְכָל quatuordecim Codd. a *Kennicotto* citati habent וכל. Sane ב redundat, neque ab interpretibus antiquis lectum eſt. —

Digitized by Google

15. Nonne qui me in utero formavit, illum quoque formavit,
Nosque in uno utero condidit? —
16. Num denegavi tenui quod cuperet?
Aut oculos viduæ afflixi?
17. Aut cibum meum ſolus cepi,
Ita ut non de eo comederent pupilli?
18. Quin immo a juventute mea enutriebam eos ut pater,
Viduæ curam geſſi a primis vitæ meæ annis. —
19. Num vidi peſtis penuria pereuntem?
Aut carentem tegumento pauperem?
20. Nonne mihi bene precata ſunt ejus latera?
Nonne ex ovium mearum lana concaluit?
21. Num elevavi contra pupillum manum meam,
Quando videbam me habere in judicio præſidium?
22. Excidat mihi ſcapula ab humero,
Meumque brachium ab oſſe frangatur.
23. Verebar enim pœnam Dei,
Propter cujus majeſtatem nihil auſus ſum. —
24. Num in auro ſpem meam poſui?
Aut in obryzo fiduciam collocavi?
25. Num lætatus ſum de opum mearum copia?
Aut multas me feciſſe acquiſitiones? —
26. Num ſolem adſpexi ſplendentem?
Aut lunam magnifice incedentem?

27. Et

27. Et animo clanculum ſeductus,
Ore manum meam ſum oſculatus?
28. Crimen hoc fuiſſet judice dignum *e*),
Deum enim ſupremum abnegaſſem. —
29. Num lætatus ſum de calamitate inimici mei?
Aut exultavi, quod ei malum contigiſſet?
30. Ne quidem mihi conceſſi,
Ut mala ei imprecarer. —
31. Nonne domeſtici mei dicere ſolebant:
Quis eſt, qui de dapibus ejus non ſit ſatiatus *f*)?
32. Foris non pernoctabat peregrinus,
Januam meam viatori patefeci. —

33. Num

e) cf. obſervat. ad verſ. 11.

f) In explicatione verborum hebr. מִי יִתֵּן מִבְּשָׂרוֹ לֹא נִשְׂבָּע interpretes valde diſſentiunt. Mihi quidem perplacuit ea, cui *Schultenſius* quoque palmam conceſſit p. 875. et quam ab *Ikenio* ſibi communicatam dicit. Nimirum נשׂבע eſt participium conjugationis Niphal; מִי יִתֵּן non eſt h. l. *utinam*, ſed ſignificat: *quis exhibebit? quis monſtrabit?* ut ſupra Cap. 14, 4. et מבשׂרו *de carne ejus*, nempe pecudum mactatarum ab eo, ut 1 Sam. 25, 11. Sic laudant domeſtici Jobi ejus hoſpitalitatem, ut affirment: neminem monſtraturum eſſe aliquem, qui de dapibus Jobæis non ſit ſaturatus. De qua Jobi hoſpitalitate agit etiam ſequens verſus.

33. Num celavi, more humano *g*), meum peccatum,
Aut occultavi in ſinu meo iniquitatem?
34. Conterreor ſumma perturbatione,
Contemtus tribuum me confundat,
Obmuteſcam, nec foris prodire audeam. —
35. Utinam haberem qui me audiret!
En imaginem meam! Omnipotens mihi reſpondeat,
Aut libellum ſcribat adverſarius meus *h*).
36. Profecto ſuper humero meo eum *libellum* geſtarem,
Allegarem eum mihi inſtar coronæ *i*).
37. Numerum greſſuum meorum indicarem,
Uti princeps ingenuus ad eum accederem.
38. Si contra me terra mea clamat,
Aut fulci ejus plorant.
39. Si proventus ejus mercede non ſoluta conſumſi,

Et

g) hebr. כְּאָדָם. Multi interpretes putant אדם h. l. eſſe nomen proprium primi hominis. Sed quoniam in toto libro non evidens eſt alluſio ad hiſtoriam ſacram, aſſentior potius illis, qui כאדם vertunt ut nomen appellativum, *ut homines*, ſ. *more humano*.

h) אִישׁ רִיבִי ſine dubio *Deus* h. l. quem ut *adverſarium* ſuum in jus vocat, et ab eo audire cupit, cujus ipſum poſſet accuſare. Audacius quidem hoc dictum eſt, ſed ſupra jam Cap. 9, 13. 23. ſimilia loca adfuerunt.

i) Certus eſt hunc libellum Dei, teſtimonium innocentiæ ſuæ, adeo honori ſibi futurum eſſe; quod phraſibus tropicis indicatur. cf. Eſ. 9, 6. Prov. 6, 21.

Et mercenarios ſpe ſua fruſtravi:
40. Pro tritico creſcat carduus,
Pro hordeo napellus. — Hactenus Jobus.

CAPUT XXXII

Novus qui jam diſputator ſurgit, longe eſt præcedentibus æquior. Recte judicat de quæſtione, de qua hactenus diſputatum fuerat, propterea quoque in fine colloquiorum, cum Deus ipſe litem dirimeret, non reprehenditur, uti tres illi, qui prius locuti fuerant. Non negat innocentiam Jobi, non criminum eum accuſat, non calumniatur, non eripit ei ſolatium bonæ conſcientiæ. Sed immodeſtiam ejus atque audaciam ægre fert, qua nonnunquam Deum injuſtitiæ accuſarat. Oſtendit Deum longe majorem eſſe, quam ut homines de eo et factis ejus poſſint judicare. — Paullo verboſius præfatur a ſe dicendis. Reprehenſus propterea a quibusdam interpretibus ut homo arrogans et ſibi ipſi mirifice placens. At enimvero ipſa verborum copia animi juvenilis fervorem egregie exprimit. Et modeſtiam, quam præ ſe fert, in ſermonibus quoque ejus obviam, non niſi cenſor nimis ſeverus negabit.

1. Cum vero tres illi viri nihil amplius reſponderent Jobo, quoniam ſibi ipſi juſtus videbatur, 2. Elihu filius Barachielis Buſita e familia Rami iram concepit, cum in Jobum, quod hic ſe Deo juſtiorem putaret, 3. tum in tres ejus ſodales, qui non haberent, quod reſponderent, cum tamen Jobum damnaſſent. 4. Suſtinuerat autem Elihu Jobum diſputantem, quoniam illi ætate eſſent provectiores. 5. Cum autem

videret eos nihil amplius poſſe reſpondere, 6. tum ille iratus hunc in modum verba fecit:

Ego quidem natu minimus ſum, vos eſtis grandiores,
Propterea timidus tardabam, meam quoque dicere ſententiam.
7. Cogitabam, ætate provecti loquantur,
Annorum multitudo proferet ſapientiam.
8. Sed ſpiritus Dei *a*), afflatus omnipotentis
Sapientes reddat homines neceſſe eſt.
9. Non *ſemper* principes ſapiunt,
Nec ſeniores recte judicant.
10. Propterea audi me,
Ego quoque dicam, quid ſentiam.
11. En! auſcultavi veſtros ſermones,
Attendi *b*), ut vos recte intelligerem,
Donec quæſtionem recte inveſtigaſſetis.

12. Sed

a) Pro הִיא fortaſſe legendum eſt יהוה, vel הוא, ſic quoque ſeptem Codd. *Kennicotti* habent, κατ᾽ ἐξοχὴν de Deo dictum, uti ſæpe. Oppoſitio membrorum hoc requirit, et ſic *Symmachus* vertit: ὄντως δὲ πνεῦμα Θεοῦ ἐν τοῖς ἀνθρώποις. Senſum bene indicavit *Dœderleinius*: Vera ſapientia a Deo venit, ſi quis afflatu divino fruitur, non ab annis. Juvenis quoque vera eloquitur, divinitus admonitus.

b) אָזִין pro אַאֲזִין.

12. Sed dum vos attendo,
En! non eſt, qui Jobum refellat,
Nullus veſtrum ad ejus ſermones poteſt reſpondere.
13. Nolite dicere: recte quidem judicavimus,
Sed Deus eum convincat neceſſe eſt, homines non poſſunt.
14. Nihil dixit, quod meæ ſententiæ adverſetur.
Igitur nec veſtris contra eum argumentis utar. —
15. Perterriti *c*) nihil poſſunt regerere,
Recuſant diſputationem.
16. Expectabam adhuc, cum non loquerentur,
Cum non haberent, quod contradicerent.
17. Igitur ego pro mea parte diſputationem ingrediar,
Afferam et ipſe ſententiam meam.
18. Etenim adeo oratione plenus ſum,
Ut pectoris ſpiritus me urgeat.
19. Viſcera mihi ut vinum incluſum,
Quando utres novos rumpit.
20. Igitur loquar, ut reſpirem,
Aperto ore contradicam.
21. Neque tamen perſonæ ullius reſpectum habebo,
Nec Deum hominem appellabo *d*).

c) Ridet amicos, quod obmutuerint.

d) De hoc loco poſt *Schultenſium* plenius et accuratius egit *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad loca quædam Jobi, Faſc. II. Primo verbum כנה bis tantum in codice hebræo

22. Vereor enim *e*) aſſentari.
Fieri poſſet, ut brevi me creator meus *ex hac vita* auferret.

CAPUT XXXIII

In exordio 1—7. promittit Elihu Jobo, ſe omni humanitate in conflictu cum eo eſſe uſurum. Deinde 8—14. repetit quædam a Jobo minus reverenter in Deum dicta, quæ improbat, et ſic tandem 14—fin. duplicem rationem eſſe aſſerit, qua Deus hominem caſtigare et emendare ſoleat.

1. Audi igitur, Jobe, quid dicam,
Attende ad ſermones meos.
2. En! os meum aperio,
Lingua mea loquitur.

3. Quæ

bræo obvium Eſ. 44, 5. 45. 4. ex lingua arabica illuſtrat, in qua ſignificat: rem vel perſonam alio quam ſuo proprio ſolitoque nomine notare; qui ſignificatus etiam utrique Eſaiæ loco aptus eſt. Quod fit nonnunquam ad rem aliquam mitigandam, aut excuſandam. Hæc determinatio in hoc loco maxime obtinet. Deinde conſtructio verbi כנה cum particula אל Viro Doctiſſimo recte ſuſpecta videtur. Hinc acute vidit, lectionem vulgati interpretis אַל pro אֶל haud dubie præferendam eſſe: *et Deum hominem haud appellabo*, h. e. Deo quæ tribuenda ſunt, homini non tribuam.

e) hebr. לֹא יָדַעְתִּי *non novi* pro *dubito* ſ. *vereor* multis in linguis dici, obſervat *Schultenſius*. Perſpicuitatis cauſa hoc ſtatim in verſione poſui.

3. Quæ mihi recta videntur, dicam,
Meamque ſententiam plane proferam.
4. Dei ſpiritus me fecit,
Halitus omnipotentis mihi vitam dedit.
5. Si potes, mihi reſponde,
Inſtrue adverſus me aciem *argumentorum tuorum.*
Firmiter conſiſte.
6. En ego æqualis tibi ſum *a*) apud Deum,
Ego quoque e luto decerptus.
7. Non te terrore percellam,
Nec onus meum *b*) te aggravabit. —
8. At enim vero dixiſti me audiente,
Recte enim percepi verba tua:
9. Purus ego ſum, delictorum expers,
Mundus ſine iniquitate *c*).
10. Invenit contra me prætextum *d*),

a) כְּפִי *ſicuti*, ſic Cap. 30, 18.

b) אַכְפִּי vulgo: *manus mea.* Sic quoque *οἱ ὁ, οὐδὲ ἡ χείρ μου βαρεῖα ἔσται ἐπὶ σοί.* Ferri poſſet, nam כפף et אכף eſt *incurvavit.* Sed arabice quoque eſt *conſtrinxit*, *impoſuit jumento clitellas*, hinc *onus*, et ſic Chaldæus. cf. *Schultenſius* ad h. l. et ad Prov. 16, 26.

c) cf. 10, 7. 13, 18. 19. 23. 16, 17.

d) Sic *Reiskius* explicat vocabulum *ἅπαξ λεγ.* תְּנוּאוֹת coll. يناي , يتناي *prætextus*, ob quos quis aut ab altero recedit,

Habet me pro hoſte.

11. Ponit in cippo pedes meos,
Cuſtodit omnes meos exitus *e*).

12. At enim vero non recte ſentis. Tibi reſpondebo.
Major eſt Deus homine.

13. Cur igitur cum eo contendis?
Neque enim ullius conſiliorum ſuorum rationem
reddet.

14. En Deus ſemel iterumque loquitur,
Sed non iterat *f*).

15. Per

recedit, aut alterum a ſe arcet. In hunc ſenſum Syrus ܡܟܣܢܘܬܐ vertit. Conferri quoque poſſet نَوَى et نَأ (*Golius* p. 2489. et 2476.) *certavit cum aliquo*, *ſeſe oppoſuit*. Sic fere *οἱ ό*, *μέμψιν*, *accuſationes*, *reprehenſiones*, Chaldæus et Vulgatus: *querelas*.

e) Idem eſt, quod Jobus dixerat Cap. 13, 27.

f) Lectio recepta יְשׁוּרֶנָּה difficilem admittit explicationem, ſive ad Deum referatur, ſive ad hominem. *Döderleinius* interrogative accipit: *altera vice autem id non obſervet?* Nempe ſi prius remedium hominis emendandi effectu caruerit, altero morbis et calamitatibus Deus illud promovere ſtudet. *Moldenhauerus* de inviſibilitate Dei explicat, (*Nur ſichtbar wird er nie*) quod eſſet יְשׁוּרֶנּוּ. Mitto antiquiorum conatus. Equidem aſſentior *Michaeli*, qui Syrum et Vulgatum ſecutus, legendum cenſet יְשַׁנֶּה. Convenit hæc lectio uſui lo-

quendi

15. Per ſomnium, viſionem nocturnam,
Quando ſopore oppreſſi ſunt homines
Et ſuper cubili dormitant,
16. Tunc eis aurem patefacit *g*),
Et ſeriis admonitionibus eos terret *h*),
17. Ut abſtineat homo ab opere ſuo *hh*),

quendi Hebræorum, quo ſolent rem *poſitive* et *negative* enunciare.

g) h. e. admonet homines. Infra Cap. 36, 10. 15. eadem phraſis occurrit.

h) Lectio textus recepta habet וּבְמֹסָרָם יַחְתֹּם quam vulgo ſic explicant: *inſtitutioni eorum ſigillum imponit*, h. e. perficit eam, ut animus commoveatur. Quod quam contortum ſit, non opus eſt ut demonſtrem. Genuinam lectionem ſervarunt nobis antiqui interpretes, *οἱ ό*, *Aquila* et *Syrus*, qui tamen in priori voce aliam præterea diverſam lectionem prodit: ܒܡܪܘܕܘܬܗܘܢ *propter rebellionem eorum* בְּמָרְדְּהוֹן, *οἱ ό*, *ἐξεφόβησεν*, Aquila: *καὶ ἐν παιδείᾳ αὐτῶν πλήξει αὐτούς.* Facile intelligitur hos interpretes יְחִתֵּם legiſſe.

hh) Ad verbum: *ut removeat homo opus ſuum.* Pro מַעֲשֶׂה aliis punctis legendum puto מַעֲשֵׂהוּ. Si ad Deum refertur לְהָסִיר legendum eſſet מִמַּעֲשֵׂה *ut removeat hominem ab opere ſuo.* Sic antiqui interpretes omnes: *ἀποστρέψαι ἄνθρωπον ἀπὸ ἀδικίας.* Vulgatus: *ut avertat hominem ab his quæ facit.* Sic Syrus quoque et Chaldæus. Nec tamen neceſſarium videtur.

Et ſic ille foveam ab eo obtegat *i*).
18. Servat animam ejus ab interitu,
Et vitam, ne telo auferatur. —
19. Caſtigatur etiam homo dolore ſuper lecto ſuo,
Et conflictus oſſium ejus eſt perpetuus *k*).

20. Aver-

i) Chaldæus et Vulgatus, quos nonnulli recentiorum interpretum ſequuntur, גֵּוָה vertunt *ſuperbiam.* Sed tunc ſcribendum eſſet גאוה et pro מִגֶּבֶר legiſſe videntur מִשֶּׁבֶר vertunt enim: *liberat eum a ſuperbia*, uti habet Vulgatus. LXX vero גֵּוָה vertunt *corpus*, quod alias גו: *τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ πτώματος ἐῤῥύσατο*, *corpus a lapſu liberavit:* quoad prius conſentit Syrus: *corpus viri obtegit.* Sed aſſentior *Michaeli*, qui nihil mutandum cenſet, niſi in punctis גֻּוָה, quod in lingua Arabica ſignificat *foveam*: vid. Ejus ſupplementa ad Lex. Hebr. p. 275. Cæterum *foveam* h. l. tropice dici facile intelligitur, et in ſequenti verſu aliis verbis tropicis mors ejusmodi hominis, qua e vita auferatur, deſcribitur.

k) Alter modus, quo Deus hominem emendare ſtudet, ſcilicet morbis immiſſis. — Quanquam lectionem marginalem רוב complures Codd. habent a *Kennicotto* citati, nec non antiquiores interpretes omnes eam exprimunt: tamen textualis præferenda videtur, niſi velimus τῷ אֵתָן aliam ſignificationem tribuere, quam vulgo habet, ut *οἱ ὁ, καὶ πλῆθος ὀστῶν αὐτοῦ ἐνάρκησε*, Vulg. *omnia oſſa ejus marceſcere facit*, [quæ fere *Reiskii* conjecturæ

20. Averſatur cibum,
Immo a lectiſſimis cibis abhorret.
21. Conſumitur caro ejus, ut fere diſpareat,
Et oſſa ejus prominent, quæ antea non videbantur.
22. Sic ſepulcro appropinquat,
Et vita ejus perimentibus *l*).
23. Quodſi tunc legatus aliquis internuncius, unus ex mille,
Hominem illum, quid officii ſui ſit, edocet *m*):

24. *Deus*

cturæ conveniunt, qui tamen illos interpretes non inſpexit, רוֹב עֲצָמָיו אֵתָן *gelatina oſſium ejus (medulla) foetet* ſ. *eo adigitur, ut foeteat.*] aut tanquam adjectivum conſtruere cum oſſibus, *multitudo oſſium perennium*, h. e. maxime vigens et valens, et verbum *dolore affecit* ex priori membro repetere. Hoc placuit *Schultenſio*, ſed mihi valde durum videtur.

l) Periphraſis poetica *mortis*, cujus cauſæ omnes per proſopopoeiam ut perſonæ ſiſtuntur.

m) Triplex eſt ſententia interpretum de hoc loco ſane difficili et obſcuriori. Prima eſt eorum, qui per *angelum interpretem* intelligunt *hominem*, qui ægrotum illum et moribundum ad agnitionem peccatorum ſuorum et pœnitentiam hortetur. Altera eorum, qui angelum proprie ſic dictum ſ. ſpiritum cœleſtem induci ſtatuunt voluntatis divinæ interpretem et miniſtrum. Tertia tandem eorum, qui de *angelo foederis* ſ. mediatore noſtro Jeſu Chriſto cuncta explicanda eſſe arbitrantur. Sin-

24. *Deus* ejus miſertus dicit *legato:*

Serva

Singularum ſententiarum ſinguli interpretes ſuam hypotheſin varie ornare ſolent, ad ſummam, quæ ipſis videtur, probabilitatem concedendam. Quod qua ratione factum ſit, legant, qui ſcire cupiunt, *Schultenſium*, qui omnia accurate recenſuit et dijudicavit. Mihi quid de ſenſu hujus loci videatur, paucis dicam. Aſſentior illis, qui ſub מַלְאָךְ מֵלִיץ hominem intelligunt, quo Deus tanquam miniſtro utatur, per quem homo ille morbis afflictus ad meliorem mentem, ſive ad pœnitentiam perducatur; hinc vocatur מֵלִיץ interpres quaſi voluntatis divinæ. Quod vocabulum nunquam de angelo proprie dicto uſurpatur. Neque in reliquis verbis quidquam eſt, quod nos de perſona homine auguſtiore cogitare jubeat. Nam *unus ex mille* proverbialiter dictum eſt, pro *magno numero.* Multis modis Deus hoc efficere poſſet. Sed ſi placet ei mittere amicum quendam, qui hominem illum afflictum ſerio admoneat, aut doceat, quid ſit officii ſui, in quo peccaverit, quid ei faciendum ſit ad peccatum illud rurſus expiandum: tunc Deus ejus miſeretur ſec. verſ. 24. quando nempe homo admonitiones illas admittit, culpam ſuam agnoſcit et pœnitentiam agit; quod partim ex verbis Dei in hoc verſu colligitur, partim ex confeſſione ipſius hujus hominis verſ. 27. et jubet legatum illum annunclare ſ. promittere ægroto liberationem a morbo ſuo. — Nam verba activa ſæpe de declaratione ejus, quod futurum ſit, dici, idiotiſmus linguæ eſt notiſſimus. Sunt, qui

Serva eum, quo minus ad ſepulcrum abeat,

Mihi

qui putent, Elihuum ſemetipſum ſub illo מלאך מליץ deſcribere, qui ſe ut interpretem voluntatis divinæ ad Jobum miſſum jactet, quod mihi quoque veriſimile videtur propter alia indicia haud obſcura φιλαυτίας hujus viri, qua de omnibus a ſe dictis mire ſibi ipſi applaudit. Interpretes, qui hanc ſententiam defenderunt, recenſuit *Schultenſius* p. 915. quibus addo ex recentiſſimis, qui mihi quidem innotuere, *Schnurrerum* in Animadverſſ. ad Jobum ſæpe laudatis, Faſc. II. p. 23. et *Hezelium* in Bibliis notis theodiſcis illuſtratis. — Altera ſententia non minus nacta eſt præclaros et doctiſſimos defenſores, quibus noſtra ætate acceſſere *Michaelis*, *Dœderleinius* et *Hufnagelius*. Neque ego diffiteor, admiſſa illa hypotheſi de doctrina Judæorum recentiori de influxu angelorum in res humanas, antiquiſſimis, quibus hiſtoria Jobi tribuitur, temporibus non ignota, facilem eſſe totius loci interpretationem. Sed cum illa hypotheſis nondum ſatis probata ſit, liceat mihi de ea adhuc ſubdubitare. Tertiam vero ſententiam a contextu totius loci prorſus alienam confidenter dixerim. Nam de remiſſione peccatorum in ſenſu evangelico ſermo non eſt, ſed de pœnis externis, quibus Deus in peccata hominis animadvertat, et quarum liberationem ſperare poſſit. Sed ſimilitudo phraſium apoſtolicarum de ſatisfactione a Chriſto mediatore noſtro Deo præſtita, Hebr. 9, 11. movit haud dubie bonos illos viros, ut totam illam evangelii doctrinam verbis Elihui ſupponerent. Liberum eſto cuivis in quæſtione mere exegetica judicium.

24. *Deus* ejus miſertus dicit *legato:*

Serva

Singularum ſententiarum ſinguli interpretes ſuam hypotheſin varie ornare ſolent, ad ſummam, quæ ipſis videtur, probabilitatem concedendam. Quod qua ratione factum ſit, legant, qui ſcire cupiunt, *Schultenſium*, qui omnia accurate recenſuit et dijudicavit. Mihi quid de ſenſu hujus loci videatur, paucis dicam. Aſſentior illis, qui ſub מַלְאָךְ מֵלִיץ hominem intelligunt, quo Deus tanquam miniſtro utatur, per quem homo ille morbis afflictus ad meliorem mentem, ſive ad pœnitentiam perducatur; hinc vocatur מֵלִיץ interpres quaſi voluntatis divinæ. Quod vocabulum nunquam de angelo proprie dicto uſurpatur. Neque in reliquis verbis quidquam eſt, quod nos de perſona homine auguſtiore cogitare jubeat. Nam *unus ex mille* proverbialiter dictum eſt, pro *magno numero.* Multis modis Deus hoc efficere poſſet. Sed ſi placet ei mittere amicum quendam, qui hominem illum afflictum ſerio admoneat, aut doceat, quid ſit officii ſui, in quo peccaverit, quid ei faciendum ſit ad peccatum illud rurſus expiandum: tunc Deus ejus miſeretur ſec. verſ. 24. quando nempe homo admonitiones illas admittit, culpam ſuam agnoſcit et pœnitentiam agit; quod partim ex verbis Dei in hoc verſu colligitur, partim ex confeſſione ipſius hujus hominis verſ. 27. et jubet legatum illum annunciare ſ. promittere ægroto liberationem a morbo ſuo. — Nam verba activa ſæpe de declaratione ejus, quod futurum ſit, dici, idiotiſmus linguæ eſt notiſſimus. Sunt, qui

Serva eum, quo minus ad ſepulcrum abeat,

Mihi

qui putent, Elihuum ſemetipſum ſub illo מלאך מליץ deſcribere, qui ſe ut interpretem voluntatis divinæ ad Jobum miſſum jactet, quod mihi quoque veriſimile videtur propter alia indicia haud obſcura φιλαυτίας hujus viri, qua de omnibus a ſe dictis mire ſibi ipſi applaudit. Interpretes, qui hanc ſententiam defenderunt, recenſuit *Schultenſius* p. 915. quibus addo ex recentiſſimis, qui mihi quidem innotuere, *Schnurrerum* in Animadverſſ. ad Jobum ſæpe laudatis, Faſc. II. p. 23. et *Hezelium* in Bibliis notis theodiſcis illuſtratis. — Altera ſententia non minus nacta eſt præclaros et doctiſſimos defenſores, quibus noſtra ætate acceſſere *Michaelis*, *Dœderleinius* et *Hufnagelius*. Neque ego diffiteor, admiſſa illa hypotheſi de doctrina Judæorum recentiori de influxu angelorum in res humanas, antiquiſſimis, quibus hiſtoria Jobi tribuitur, temporibus non ignota, facilem eſſe totius loci interpretationem. Sed cum illa hypotheſis nondum ſatis probata ſit, liceat mihi de ea adhuc ſubdubitare. Tertiam vero ſententiam a contextu totius loci prorſus alienam confidenter dixerim. Nam de remiſſione peccatorum in ſenſu evangelico ſermo non eſt, ſed de pœnis externis, quibus Deus in peccata hominis animadvertat, et quarum liberationem ſperare poſſit. Sed ſimilitudo phraſium apoſtolicarum de ſatisfactione a Chriſto mediatore noſtro Deo præſtita, Hebr. 9, 11. movit haud dubie bonos illos viros, ut totam illam evangelii doctrinam verbis Elihui ſupponerent. Liberum eſto cuivis in quæſtione mere exegetica judicium.

Mihi jam ſatisfactum eſt.

25. Tunc impinguatur *n*) caro ejus, uti in juventute,
Redit ad annos adoleſcentiæ.

26. Supplicabit Deum, atque is benignum ſe ei præbebit,
Ut priſtina felicitate reddita inter jubila gratias
perſolvat.

27. Cantabit inter alios.
Peccaveram, inquiet, inique egeram,
Sed non ex merito mecum egit.

28. Servavit me, quo minus ad ſepulcrum abirem,
Et vitam meam, ut lucem videat. —

29. En! ſic agere ſolet Deus cum homine bis terve,

30. Ut eum ex ſepulcro reducat,
Et vitam cum aliis conſervet *o*).

31. Attende, Jobe, audi me,
Sile, ego loquar.

32. Re-

n) In textu legitur רֻטֲפַשׁ quod a Lexicographis habetur pro verbo formæ quadriliteræ ex רטב *ſucculentus ſuit* et טפש *pinguis fuit* compoſito. οἱ ό, ἁπαλυνεῖ δὲ αὐτοῦ τὰς σάρκας ὥσπερ νηπίου, *molles faciet carnes ejus inſtar pueruli.* Plura dabit *Schultenſius.* Id tantum obſervo, *Reiskio* videri legendum eſſe וטפיש, literam ד ortam eſſe ex ו quæ præmittitur, uti conſtat apodoſi et reſpondet τῷ ف Arabum. Quod non diſplicet.

o) לֵאוֹר eſt infinitivus in Niphal ab אור pro לְהֵאוֹר ut *colluſtretur in luce viventium*, h. e. ut una cum aliis felici vita fruatur.

32. Reſponde, ſi potes, loquere,
Cupio enim te eſſe innocentem.
33. Sin minus, audi me,
Tace, docebo te ſapientiam.

CAPUT XXXIV

In hoc capite paullo vehementius, quam in præcedenti, Elihu Jobum reprehendit, propter quædam ejus in Deum minus reverenter dicta, 1—9. Hinc occaſionem ſumit prolixe defendendi ſummam Dei juſtitiam et indulgentiam in genus humanum, 10 — 30. Tandemque Jobum hortatur, ut vel errorem ſuum agnoſcat, vel quid ſentiat, accuratius exponat, 31—37.

1. Tum pergebat Elihu in hunc modum:
2. Audite ſapientes ſermonem meum,
Vosque periti, attendite.
3. Auris enim verba explorat,
Ut palatum cibum guſtat *a*).
4. Inquiramus in cauſam,
Diſpiciamus quid verum ſit.
5. Dicit Jobus: juſtus ſum,
Deus vero jus meum ſepoſuit.
6. Non obſtante juſta mea cauſa mendax habeor *b*),
Lethali

a) Retorquet Elihu idem illud, quod Jobus Cap. 12, 11. in amicos ſuos dixerat; non iniquum ei videri debere, ſi alii dicta ſua examinarent et in ea inquirerent.

b) cf. Cap. 16, 8. — עַל h. l. *quamvis* ſ. *non obſtante*, ut Cap. 10, 7. 16, 17.

Digitized by Google

Lethali ſagitta c) *vulneratus ſum*, absque peccato.

7. Num talis vir, qualis Jobus eſt, irreligioſe agat,
Ut qui aquam haurit immodice?

8. Et ſocietatem ineat cum maleficis?
Et verſetur cum improbis?

9. Nam dixit d): Non prodeſt homini,
Quum Deum amore complectitur.

10. Igitur, o vos ſapientes, audite me,
Abſit a Deo impietas et ab omnipotente malum.

11. Rependet enim homini, quod fecit,
Et pro ratione vitæ ſuæ eventus omnes diſponit.

12. Profecto Deus non impie agit,
Neque omnipotens jus pervertit e).

13. Quis *homini* terram commiſit?
Quis omnia in toto hoc univerſo diſponit?

14. Si

c) Sic אָנוּשׁ obvium eſt Jer. 30, 15. Affixum in חִצִּי *ſagitta mea* paſſive explicandum, uti ſæpe.

d) Nusquam hoc dixit Jobus, ſed conſequens erat ſive calumnia, quam ſodales ejus ex ſermonibus Jobi extorquebant, ut Eliphaſus Cap. 22, 2. — Poſſit tamen אמר quoque imperſonaliter accipi, ſuppleto אִישׁ in hunc ſenſum: Sic quisque dicet, ſi Deus nullum inter pium et impium diſcrimen facit, homini nihil prodeſt, quanquam Deum amet, ſive ei placere ſtudeat.

e) cf. Cap. 19, 6. ubi Jobus ſimile quid dixerat. Sed probat contrarium in ſequenti verſu ex benigna et indulgenti gubernatione hujus univerſi.

14. Si ſeverius cum eo agere vellet *f*),
Vitam et ſpiritum mox ei iterum auferret.

15. Sic exſpirarent omnes mortales,
Et homines redirent ad pulverem.

16. Si ſapis, audi hoc,
Atque attende ad dicta ſermonis mei.

17. Num iram *g*) coerceret, ſi eſſet juſtitiæ inimicus?
Num igitur injuſtum dicere audes juſtum dominatorem?

18. Quis eſt, qui regem hominem nequam vocare audeat?

Aut

f) Phraſis שׂוּם לֵב dicitur etiam in ſenſu deteriori, pro: *ſevere cum aliquo agere*, 1 Sam. 25, 25. 2 Sam. 19, 20. — אסף *auferre*, ſæpe de morte adhibetur, Eſ. 49, 5. 57, 1. Pſ. 26, 9.

g) Sic *Schultenſius* hunc verſum ſane difficilem explicat. האף non eſt particula *numquid?* ſed ſubſtantivum *ira* cum He interrogativo, quod conſtruendum eſt cum ſequenti יַחֲבוֹשׁ *ligabit*. Phraſis vero *iram ligare* i. q. continere iram, et ſimilis eſt Eſ. 48, 9. *refrænare iram*. Hic ſenſus contextui aptiſſimus videtur, cum probetur Deum ſumma indulgentia uti in regimine hujus mundi, neque ullo modo injuſtum eſſe. Argumentatio ex hac ſententia eſt in altero membro: quomodo igitur injuſtum dices aut condemnabis eum, qui eximie juſtus eſt? צַדִּיק כַּבִּיר. Nam כביר non ſolum de multitudine dicitur, ſed etiam de magnitudine rei, ut verſ. 24.

Aut principem liberalem, impium *h*)?

19. *Ille i*) vero non perſonarum reſpectum habet in principibus,

Nec opulentum tenui præfert,

Omnes enim ab eo ſunt creati.

20. Subito moriuntur, media nocte populus commotus perit,

Et potentes ſine humana ope *k*) auferuntur.

21. Oculi ejus attendunt ad vias hominum,

Et videt omnium greſſus.

22. Non tenebræ, non caligo eſt,

In quibus ſeſe abſcondere malefici poſſent.

23. Pre-

h) Illuſtratur hæc argumentatio ſimilitudine, ſumta a regibus et principibus hujus mundi, de quibus nemo niſi cum debito honore et reverentia loquitur, multo minus hujus generis reprehenſiones in eos vel præſentes vel audientes profert, ſi illi aliquando ſuam potentiam aut imperium in ſubditos puniendo exerunt. Pro הַאֹמֵר aliis punctis ſubjectis legendum eſt ſecundum hanc interpretationem הֶאָמֹר *num dicens eſt?* h. e. dicit.

i) Secundum illum nexum אֲשֶׁר minime coacte ad *Deum* refertur v. 17. Nam omiſit Elihuus in verſu præcedenti applicationem illius ſimilitudinis ad Deum, et jam incipit eum in hoc et ſequentibus deſcribere ut צַדִּיק כַּבִּיר ſec. verſ. 17.

k) hebr. לֹא בְיָד *non manu* ſc. humana. Sic Dan. 2, 24.

23. Profectò non opus habet longa attentione
Ad convincendum *hominem* in judicio ſuo *l*).
24. Conterit magnates ſine longa inveſtigatione,
Atque alios in eorum locum ſubſtituit.
25. Novit enim eorum opera,
Discutit noctis *tenebras*, ut conterantur *m*).
26. Loco improborum percutit eos *n*),
Loco ſpectatorum *o*).

l) Ad prius membrum ſuppleo לֵב ut v. 14. *non ponet* עוֹד *diu cor ſuum ſuper hominem.* — לַהֲלֹךְ *ad eundum* h. e. quando in judicio divino debet comparere. Similis phraſis eſt 2 Sam. 15, 2. 6. בּוֹא לַמִּשְׁפָּט *cauſam deferre in judicium.*

m) Ratio redditur. Non ex abſoluto quodam imperio, ſive ad potentiam ſuam irreſiſtibilem demonſtrandam, ſed pro omniſcientia ſua, quam nihil neque abſconditum latet: omnia in lucem protrahuntur et puniuntur.

n) Nempe quos v. 24. dixerat propter clandeſtina peccata puniri. — תַּחַת *loco improborum*, quos in illorum locum v. 24. ſubſtituerat, pœnis divinis æque dignos, quos tamen ad tempus tolerat. בִּמְקוֹם reſpondet τῷ תַּחַת ut 2 Reg. 9, 25.

o) hebr. רֹאִים *ſpectantes*, qui nempe vel gaudent vel inique judicant de hujusmodi judiciis divinis, non attendentes ipſos eadem meruiſſe.

Digitized by Google

27. Qui *p*) propterea eum deſerunt,
Neque vias ejus intelligunt.

28. Quando ad eum venit clamor tenuium,
Audit illos miſerorum clamores *q*).

29. Eo tranquillante, quis eum propterea condemnet?
Si faciem abſcondit, quis eum videbit?
Idque ſit, cum integris gentibus, tum ſingulis hominibus.

30. Ita ut non dominetur homo profanus,
Nec ſit aliis offenſioni. — *r*).

31. Igitur Deo dic: erravi *s*),

Sed

p) אֲשֶׁר refer ad רֹאִים qui offenduntur judiciis illis divinis.

q) In hoc et ſequenti verſu nova propoſitio eſt: Non cogitur precibus ſummum numen. Libere ſuccurrit oppreſſis, nec, ſi id non ſtatim facit, injuſtitiæ accuſandus. Sic *Dœderleinius.*

r) hebr. מִמֹּקְשֵׁי עָם *ne ſint laquei populi*, h. e. ſcandalum ſ. offenſio: reſpondet præced. מִמְּלֹךְ. Sic מֹקֵשׁ alias uſurpatur, Deut. 7, 16. ſeqq. Eſ. 8, 14. Senſus: ne alii cogitent Deum non curare religionem et virtutem, et ad vitam hominis parum attendere.

s) Incipit applicatio ad Jobum, ut pœnitentiam agat et quæ inconſideratius adverſus Deum locutus ſit revocet, aut ſententiam ſuam clarius explicet, ne alii ejus ſermonibus offendantur. — Sed lectio recepta verſ. 31.

non

Sed non me amplius oppignorabo ſ. culpæ reum
faciam *t*).

32. Doce me quæ nondum ſatis intelligo *u*),
Si inique egi, cavebo mihi in poſterum.

33. Num quæ tu commiſiſti *alius* redintegret,
Quoniam tu *hoc facere* recuſas?
Tu ipſe inquirere debes, non ego,
Et quid ſentias eloqui.

34. Viri prudentes et ſapientes, qui me audiunt, dicent:

35. Jobus non perite eſt locutus,
Et ſermones ejus parum intelligentes fuerunt.

36. Utique *v*) Jobus accuratius probandus eſt,

 Quo-

non commodam admittit explicationem. Propterea placet *Reiskii* conjectura, qua verba textus levi mutatione admiſſa ſic leguntur: אֶל־אֱלֹהַּ אֱמֹר *ad Deum dic.* נָשִׂאתִי نسيت *fui obliviofus* ſ. *obrepſit mihi vitium*, *Golius* p. 2365.

t) חבל *oppignorare ſe*, h. l. dicitur de obligatione ad ſubeundam pœnam. Quod *Schultenſius* illuſtrat ex lingua arab. *morti pignoratum eſſe* et latina *pœnæ pignorari*, cf. Prov. 13, 13. Senſus: non amplius me culpæ reum faciam pertinacius defendendo meam innocentiam. Hunc ſenſum probat ſequens verſus.

u) hebr. בִּלְעֲדֵי *præterquam* (אֲשֶׁר quod) *video doce me.*

v) Valde contorta eſt explicatio lectionis receptæ, quam *Schultenſius* dedit: אָבִי pro אָבִיא *afferam* ſc. עֵצָה

con-

Quoniam ſeſe defendit ut homines profani.
37. Auget ſua peccata defectione,
Jactat ſeſe inter nos. Contra Deum multa dixit.

CAPUT XXXV

Reſpondet Elihu in hoc capite ad Jobi et ſodalium ejus dubitationem, virtutis ſtudium nihil prodeſſe homini, quoniam Deus ex eo nullam perciperet utilitatem, neque peccata noſtra ei nocerent. Dicit: effectus actionum noſtrarum, ſive bonæ ſint, ſive malæ, in alios homines redundare; Deum igitur creatorem omnium pro juſtitia ſua peccata certo punire, quanquam hoc non ſtatim eo tempore, aut ea ratione faceret, qua homines hoc optarent, aut expectarent: Iniquas eſſe eorum querelas propter dilationem illam auxilii divini, quia parum memores eſſent multorum beneficiorum a Deo acceptorum.

1. Continuabat Elihu ſermones ſuos in hunc modum:
2. Num putas te recte ſentire,
Dum te coram Deo juſtum eſſe dicis?
3. Nam quæris: quid mihi prodeſt?
Pluſne utilitatis capiam, quam ſi peccaſſem?

4. Re-

consilium. Dicam ſententiam, quid velim, optem etc. Syrus vertit: ܒܪܡ et οἱ ὁ, οὐ μὴν δὲ κ. λ. ex quo *Michaelis* probabiliter conjectat eos legiſſe אָכֵן *ſane, certe.* Sequens עַד נֶצַח ex prim. ſignificatione eſt *ad puram et ſinceram veritatem* ſ. ad evidentiam cauſæ. Sic 23, 7.

4. Reſpondebo ad hæc tibi et amicis tuis.
5. Intuere cælum et vide,
Contemplare nubes, te longe elatiores.
6. Sive pecces, quid ei facies?
Immo augeas peccata tua, nihil ei nocebis.
7. Sive juſtus ſis, quid ei dabis?
Aut quid accipiet e manu tua?
8. Homini tui ſimili improbitas tua nocet,
Et ex homine nato tua juſtitia prodeſt. —
9. Clamant de multitudine oppreſſorum,
Vociferantur de multorum injuriis.
10. Nemo autem dicit: ubi eſt Deus creator meus a),
Qui facit ut lætari poſſim in ipſis afflictionibus?
11. Qui nos brutis doctiores
Et avibus cæleſtibus ſapientiores creavit.
12. Hinc fit ut clament de ſuperbia impiorum,
Nec ille reſpondeat.
13. Verum vanos hujusmodi clamores Deus non audit,
Nec omnipotens eos reſpicit.

a) Senſus videtur eſſe: homines auxilium non quærere ibi, ubi omnium primo quærendum erat, nempe apud Deum creatorem ſuum, ſed vel a ſuis vel aliorum viribus defenſionem ſperare. Quod ſi minus feliciter procedit, eo vehementiores et impatientiores clamores extollunt; quos Deus utique non audit, tempus ſibi opportunum expectans.

14. Multo minus dicere debebas: non video eum *b*).
Judicium jam ab eo conſtitutum eſt. Expecta modo.
15. Jam vero quoniam non ſtatim iratus animadvertit *Deus*,
Nec pœnas ſumit *c*) de promociter ſuperbientibus:
16. Jobus falſa locutus eſt,
Et multa temere dicta protulit.

CAPUT XXXVI

In hac ultima orationis ſuæ parte loquitur Elihu iterum de majeſtate Dei, et repetit maxima ex parte ea de quibus jam dixerat: ſummam Dei eſſe in regimine hujus mundi ſapientiam conſpicuam, intendere Deum ſemper hominum emendationem immiſſa calamitate, idque variis modis ſolere facere; cui diſciplinæ ſi ſe ſubmitterent, felicem exitum habere illas afflictiones.

1. Pergebat adhuc Elihu in ſermonibus ſuis:
2. Suſtine me paullulum, inquiens, dum tibi ediſſero.
Adhuc enim quædam pro Deo habeo dicenda.

3. Repe-

b) In textu quidem legitur ſecunda perſona, *non vides eum*, nec tamen propterea lectio ſollicitanda videtur. Similis enallage eſt in hoc ipſo capite verſ. 3. ubi יסכן לך ſcriptum eſt pro יסכן לי et alia exempla collecta ſunt a *Glaſſio* in Philol. S. p. 315. edit. noſtræ.

c) יָדַע h. l. manifeſte in ſenſu judiciali ſ. forenſi dicitur. Nam opponitur τῷ פָּקַד in priori membro. Sic alias quoque, e. c. Pſ. 14, 4. Jer. 31, 19. Jud. 8, 16.

3. Repetam ſententiam meam inde e longinquo *a*),
Atque creatoris meï juſtitiam probabo.
4. Profecto nihil falſi erit in ſermonibus meis
Veritatem ſententiæ meæ ipſe agnoſces. —
5. Utique Deus magnus eſt, ſed neminem repudiat;
Excellens eſt et magnanimus.
6. Non felicés eſſe ſinit impios,
Et pauperum cauſam agit.
7. Non ſubtrahit probis curam ſuam.
Regibus quoque in throno adeſt,
Stabilit eos et exaltat.
8. Quodſi quidam catenis vincti
Capiuntur funibus miſeriæ,
9. Monſtrare eis vult eorum opera,
Et defectiones, quibus ſuperbe ſe geſſerunt.
10. Excitat eos, ut diſciplinam admittant,
Admonet eos, ut ab iniquitate revertantur.
11. Si audiunt et ſe ſubmittunt,
Finiunt dies ſuos felices et annos ſuos ſuaviter:
12. Sin minus, telis *divinis* auferuntur;
Et pereunt propter iſtam imprudentiam ſuam.
13. Profani enim animis ſunt contumaces,
Nec clamant quando vinciuntur.

 14. Iſti

a) h. e. de eo, quod antiquiſſimis temporibus ſemper obtinuit in hujus mundi gubernatione, quod etiam ſequentibus non mutabitur.

14. Iſti violenta morte *b*) morientur,
Vitam finient cum cinædis *c*).
15. Eripiet vero miſeros ex miſeria ſua,
Poſtquam eos afflictionibus correxit. —
16. Sic te quoque excitavit anguſtiis,
Quarum loco mox latum ſpatium habebis,
Deſcendet in menſam tuam plena pinguedo.
17. Si judicium improbi *d*) ſuſtinueris,

Juſta

b) hebr. בַּנֹּעַר quod alii vertunt *in juventute* et de præmatura morte explicant. Sic quoque *οἱ ὁ, ἐν νεότητι.* *Dœderleinius: a pueris*, quod viro infame ſit a pueris et effœminatis trucidari. *Michaelis: inter juvenes corruptos (unter der unzüchtigen Jugend).* Sed נֹּעַר hoc ſenſu abſolute poſitum non dicitur. Vulgatus: *in tempeſtate*, ex ſignificatione *τοῦ* נָעַר *excuſſit*, cf. 38, 13. Pſ. 136, 15. Quam ſignificationem *Schultenſius* h. l. ſubjiciendam cenſet: profanos iſtos judicio publico excuſſionis mori, h. e. violenta morte. Quod placuit etiam *Moldenbauero: gewaltſam werden die entſeelt.*

c) hebr. בַּקְּדֵשִׁים Vulgatus recte: *inter effœminatos.* Sic quoque Chaldæus. Ex recentioribus *Michaelis* et *Dœderleinius.* Phraſis illuſtrari poteſt ex Pſ. 28, 3. *cum infidelibus abripi*, h. e. morte æque infelici et funeſta auferri. — *οἱ ὁ, ζωὴ αὐτῶν τιτρωσκομένη ὑπὸ ἀγγέλων.* Quam explicationem miror placuiſſe *Moldenbauero* modo laudato: *von Himmelsboten hingewürgt.*

d) Pro quo nempe habebatur a tribus illis prioribus cenſoribus.

Juſta *tua* cauſa tandem vincet.

18\. Iraſcitur enim *Deus*, ne forte rerum abundantia *e*)
ad defectionem ſeducaris,

Nec magnitudo pretii te declinet *a recta via.*

19\. Nullius æſtimat *f*) neque opes tuas,
Neque aurum, neque ſummum robur.

20\. Neque concupiſcas noctem *g*),

Qua

e) hebr. בְּשֶׂפֶק. Difficile vocabulum h. l. tantum obvium. Alii pro ספק dictum volunt, *manuum comploſio.* Sed verbum שָׂפַק occurrit 1 Reg. 20, 10. ubi haud dubie eſt *ſufficit.* Hinc ſubſtantivum verti poteſt h. l. *ſufficientia* ſ. *abundantia* rerum omnium, qua Jobus antea affluebat. Sic Chaldæus explicat: *Sed iraſcitur ne forte te ſeducat* בְּמִכַּת מַזְּלָא *abundantia fortunæ* ſ. *proſperitatis.* Quod bene reſpondet ſequenti רֹב כֹּפֶר *multitudo pretii.* Senſus eſſe videtur: ne tibi perſuadeas Deum poſſe muneribus placari, uti judices humani. — Locum tamen obſcuriſſimum eſſe omnes interpretes fatentur.

f) In textu eſt interrogatio הֲיַעֲרֹךְ שׁוּעֲךָ *num æſtimabit.* Sic עָרַךְ Cap. 28, 17. et שׁוּעַ Cap. 34, 19. Senſus: Hæc omnia Deus tanti non habet, ut eorum cauſa intermittat hominem caſtigare, ſi neceſſe ſit, nec ullo pretio hominem eis ſolvi poſſe.

g) Suadet, ne irato adverſus alios animo per impatientiam Deum provocet ad judicia ſua acceleranda. *Nox* h. l. eſt nox judicii divini, cf. 34, 20.

Qua gentes judicio auferuntur *h*).

21. Cave tibi, ne hujusmodi peccati reus fias,
Hac enim conditione liberaberis *i*) ex tuis afflictionibus. —

22. En! Deus pro potentia ſua extollit *k*),
Quis uti ille dominus?

23. Quis rationem requirat facti ſui?
Aut quis dicat: minus recte feciſti?

24. Memento te opus ejus laudibus efferre debere,
Quod homines cum admiratione intuentur.

25. Ad quod omnes attendunt,
Et de longinquo exitum expectant.

26. En! Deus magnus eſt et incomprehenſibilis,
Annorum ſuorum numerus eſt imperveſtigabilis.

27. At-

h) hebr. לַעֲלוֹת *ad aſcendendum*, h. e. e medio tolli, ut Cap. 5, 26. Pſ. 102, 25. תַּחְתָּם pro מִתַּחְתָּם Mem fortaſſe propter מ præcedens excidit; *e ſede ſua.* Sed redundat.

i) Syrus et Arabs בָּחַרְתָּ quod in textu legitur, paſſive vertunt: *propterea probatus es per hanc calamitatem.* Hos ego ſecutus ſum, aliisque punctis ſubjectis legi poteſt vel בֻּחַרְתָּ vel ex conjugatione Hophal הָבְחַרְתָּ litera ה errore ſcribarum propter præcedens He neglecta.

k) Rurſus docet gubernationem divinam hujus univerſi, ſ. providentiam homini eſſe incomprehenſibilem, propterea eum debere caute de ea judicare, patientem eſſe in adverſa fortuna, et moderatum in querelis.

27. Attrahit *nubes* aquam ſtillantes *l*).
Imbrem effundunt pro *copia* vaporis ſui.
28. Diffluunt nubes,
Deſtillant in homines copioſe.
29. Immo quis comprehendit expanſiones nubium
Et fragores tentorii ſui *m*)?
30. Expandit circum ſe lucem,
Tegitque profundum maris.
31. His gentes punit,
Et cibum dat largiter *n*).
32. Tegit fulmen manibus *o*),

Sed

l) Probat in hoc verſu et ſequentibus incomprehenſibilem Dei providentiam ex operibus naturæ quotidie obviis æque incomprehenſibilibus.

m) Eleganter ſic vocat tonitru.

n) Ex hoc verſu apparet, quo conſilio Elihuus de his Dei operibus locutus ſit. Nempe ut doceret, Deum ea convertere ſolere, vel in hominum utilitatem beneficii loco, vel in damnum loco pœnarum.

o) Sic vertit *Dœderleinius* verba textus: *utramque manum luce tegit*, et recentiſſime ea ſic explicat: *Quo loco fulmen erupturum ſit, plane neſcimus, hinc poeticè tectum divina manu fulmen et incluſum dicitur.* Sed in interpretatione ſequentium Viro Cel. non poſſum aſſentiri. Mihi quidem בְּמַפְגִּיעַ ex ſignificatione ſua vulgari eſt *occurrere faciens*, h. e. is qui forte inter tonitrua et fulgura iter facit aut incidit. In ſequenti autem verſu diſtincte expli-

Sed mandata illi dat, de eo quem obviam fecit:

33. Salvum eſſe jubet amicum ſuum,

Et iram convertere in impium.

CAPUT XXXVII.

Pergit Elihu in demonſtranda ſumma Dei ſapientia ex operibus naturæ maxime conſpicua, quam homines viderent quidem et admirari deberent, intelligere autem non poſſent.

1. Ad hæc contremiſcit cor meum
Et loco ſuo movetur *a*).

2. Audite vocem ejus terribilem
Et ſonum ex ore ejus prodeuntem.

3. Per totum cælum eam emittit,
Et lux ejus *b*) ad terræ terminos pertingit.

4. Poſt

explicatur, quis ſit מַפְגִּיעַ. Vel רֵעַ *amicus Dei* vel עַוְלָה. Sic enim legendum eſſe pro עוֹלֶה, quod in recepto textu extat, probatur auctoritate τῶν ό, Syri et Symmachi. Phraſeos vero מְקַנֵּה אַף *iram exercere* ſimilem locum ignoro. Attamen analogiæ non repugnat. Sic *Michaelis.*

a) ſc. propter vindictam illam Dei timendam impiis, de qua dixerat. Cujus audaciæ Jobum neque immerito accuſarat. Veretur igitur Deum pœnas ſumturum eſſe in tempeſtate illa mox oritura; quam eleganter deſcribit in ſequentibus.

b) h. e. fulmen, uti ſæpe in toto hoc loco.

4. Poſt eam ſtrepit ſonitus, intonat voce elata,
Et nemo poteſt eam inveſtigare, quanquam eam audit.

5. Intonat Deus voce mirifica,
Magna facit, quæ tamen perſpici non poſſunt. —

6. Quando nivem jubet decidere in terram,
Aut imbrem et pluviam inſigni copia ſe effundere per potentiam ſuam:

7. Labores hominum obſignat *c*),
Ut operarii ejus *d*) *ad eum* attendant.

8. Tunc feræ latibula ſubeunt

Et

c) Verba textus בְּיַד כָּל־אָדָם יַחְתּוֹם paullo obſcuriora ſunt. *Schultenſius* quindecim diverſas recenſuit eorum explicationes, qui numerus recentiorum conatibus facile poteſt augeri. Mihi quidem facillima videtur *Reimari* ſententia, qui יָד dictum eſſe putat metonymice pro opere ſ. laboribus manus. חָתַם vero *obſignavit* pro *confirmare, perficere*. Cum igitur ſermo ſit de tempore hiberno, quo homines agrum ſementi pararunt, ſenſus eſſe videtur, Deum tunc ultimum quaſi addere, quod deeſt, pluviam nempe et nivem, quæ ad proventum felicem neceſſaria ſunt. — Poſſet tamen חתם etiam explicari per *tegere*, *occultare*, ut 14, 17. 24, 16. tegit ſ. occultat agros nive, qua per hiemem quaſi obſignantur.

d) hebr. *viri operis ejus.* Sic eleganter *homines* vocantur, qui Dei opus in terra curant et adminiſtrant. Vult enim Deus, ut homines terram colant.

Et in luſtris ſuis degunt.

9. Ex penetralibus ſuis venit turbo,
Ex locis diſſitis frigus.

10. Per halitum Dei exiſtit glacies
Et aquarum lata effuſio. —

11. Nubem imbribus foetam adducit,
Eamque facit exundare fulmine ſuo. *e)*

12. Et ipſe *f)* convertit *has* viciſſitudines gubernatione ſua ad opera ſua *perficienda*,
Quæ eis præcepit per totum terrarum orbem,

13. Sive pœnam exequantur in terra,
Sive benignitatem exhibeant. — *g)*

14. Atten-

e) De hieme dixerat. Jam de tempeſtatibus veris et æſtatis.

f) Multi interpretes הוא referunt ad *nubem.* Sed ego facio cum illis qui de *Deo* explicant. Sequens enim לפעלם *ad opus eorum* meteororum, verba ſunt *Schultenſii*, „evidenter arguit הוא ad *Deum* redire, cuique „ſuam *ſtationem munusque* aſſignantem. Hoc *de nube* „minus concinne affirmaretur. Verſus ſequens etiam „non ſatis rotunde fluet, niſi *Ipſe* ad *Deum* pertinuerit.„ Conjugationi vero Hithpael in verbo מִתְהַפֵּךְ non tribuo ſignificationem reciprocam, uti *Schultenſius* aliique, ſed de continuo et frequentiore actu explico, quo Deus has tempeſtatum viciſſitudines ad conſilia ſua exequenda dirigit.

g) Vereor, ne nimis audax videar, qui alterum אם omiſerim

14. Attende ad hæc, Jobe,
Sta et conſidera Dei miracula.
15. Noſtine, quando Deus eis mandata dat,
Quando ſplendere facit lucem nubis ſuæ?
16. Noſtine, qua ratione nubes librentur,
Miracula illa omniſcii?
17. Aut quando veſtes tibi incaleſcent,
Nec ventus auſtralis in terra flat?
18. Num expandere potes æque ac ille nubes,
Ut firmæ ſint quemadmodum ſpeculum fuſi metalli?
19. Doce nos, quid contra eum dici poſſit.
Nos quidem nihil afferre poſſumus propter caliginem *h*).

20. Num

ſerim et tantum duo membra ſibi oppoſita fecerim. Sed ingenue profiteor, me prorſus deſperare de commoda explicatione lectionis receptæ. Non hujus loci eſt pluribus enarrare, quid mihi in variis virorum doctiſſimorum conatibus textus vulgaris explicandi diſplicuerit. — Eadem ſententia eſt, quam Elihuus jam capite præcedenti 36, 31. attulerat: Deum ſæpe rebus naturalibus uti ad puniendum et benefaciendum. שֵׁבֶט *virga* de caſtigatione divina ſupra Cap. 21, 9. jam adfuit. Sic quoque οἱ ὁ intellexerunt: εἰς παιδείαν. *Moldenhauerum* et *Hezelium* video quoque duo tantum membra ſibi oppoſita exprimere in verſionibus ſuis altero אם neglecto.

h) ſc. mentis noſtræ, ſive etiam rerum.

20. Num ei renunciabitur, ſi loqui auderem?
Num ſic aliquis verba faciet, ut moveatur *i*)?
21. Jam quidem ſolem non videmus, ſed ſplendet in nubibus.
At ventus exortus ſerenum iterum faciet cælum.
22. E ſeptentrione aureus *ſolis ſplendor* veniet,
Dei majeſtas ſemper veneranda eſt.
23. Ad omnipotentem accedere non poſſumus,
Inſigni eſt potentia, æquitate et ſumma juſtitia,
Sed earum nullam rationem reddit.
24. Propterea homines eum tantum venerari debent.
Nihil vident vel ſapientiſſimi.

CAPUT XXXVIII

Ultimus actus ſacri dramatis incipit. Deus ipſe alloquitur Jobum e tempeſtate, eumque temeritatis atque audaciæ, qua providentiam divinam reprehenderat, convincit. In qua refutatione poeta τὸ πρέπον bene obſervavit. Deus non reſpondet ad quæſtionem tantis animorum motibus agitatam, cur boni ſæpe in hac vita affligantur et mali ad tempus ſint felices. Non decebat hoc Deum, ſummum rerum omnium dominum. Sed ex operibus ſuis majeſtatem ſuam humano intellectui incomprehenſibilem probat. Argumentatio vero divinæ hujus demonſtrationis eſt, quæ dicitur, a minori ad majus. Quoniam homines naturæ opera pleraque

i) Verbum בָּלַע Arabes in بلغ uſurpant de dicto graviori animum percellente aut movente, vid. *Michaelis* in Supplementis ad Lexica p. 186.

quæ vel ignorant, vel non accurate et diſtincte poſſunt intelligere, quorum cognoſcendorum facilior modus aut ratio eſſe videtur: temerarium eſt et hominem prorſus non decet, de rebus altioribus diſputare, aut edoceri velle, quæ vires intellectus ſui longe excedunt. Regere cauſas omnes, et quæ in hoc mundo eveniant, aut evenire debeant, diſponere, creatoris tantum eſt et infiniti intellectus, qui omnium rerum cauſas et nexum perſpicit; quod prorſus non cadit in hominem, cujus intellectus tam arctis eſt limitibus circumſcriptus. Hujus igitur tantum eſt, acquieſcere in imperio divino, neque dubitare Deum pro ſumma ſua ſapientia et juſtitia non poſſe niſi ſapientiſſime et juſtiſſime omnia diſponere et gubernare. — Idque ipſum Elihu in poſtrema orationis ſuæ parte probaverat et Jobo ſuaſerat. Cujus dicta igitur Deus confirmat. Ex quo intelligitur, cur is non æque ac tres reliqui ejus ſodales a Deo reprehenduntur Cap. 42, 7.

1. Tum Jova Jobo e turbine hunc in modum reſpondit:
2. Quis eſt qui conſilium a) obſcurat verbis inſipientibus?
3. Accinge te, ut vir ſolet.
   Interrogabo te, doce me.
4. Ubinam eras, cum terram fundarem,
   Indica, ſi ea es prudentia.
5. Quis dimenſiones ejus conſtituit, num noſti?
   Aut quis regulam ſuper ea intendit?
6. In quo baſes ejus defixæ ſunt?

 Aut

a) ſc. providentiæ divinæ.

Aut quis lapidem ejus angularem demiſit,
7. Cum ſtellæ matutinæ canerent,
Omnesque angeli læti acclamarent? — *b*)
8. *Quis* mare oſtiis concluſit,
Cum erumperet et tanquam ex utero prodiret?
9. Cum nubibus illud veſtirem,
Et denſas nubes ut faſcias ei adhiberem?
10. Dum terminos ei conſtitui,
Repagula et fores poſui.
11. Huc usque venies, inquiebam, non ulterius:
Hic terminus ſit altitudini fluctuum tuorum. —
12. Num unquam in vita tua tempori matutino præcepiſti?
Aut oſtendiſti auroræ locum ſuum,
13. Ut comprehendat extremitates terræ,
Et impii ab ea excutiantur *c*)?
14. Mutatur *terra* ut lutum ſigilli *d*),

Et

b) Fingit poeta aſtra cœleſtia et angelos ſpectatores fuiſſe acclamantes initiis ædificii divini.

c) *Nox* optatum tempus eſt latronum et impiorum. *Lux* ſ. *dies* eis eſt inimica. Hoc poetice dicitur: *aurora* excutit impios a terra tanquam a panno expanſo.

d) Idem dicitur, quod in præcedenti verſu, ſed alia imagine. Uti lutum aut cera aliam formam induit ſigillo impreſſo: ſic terra mutatur luce orta. Fit pulcrior, omnia quaſi melius veſtita comparent. Confirmat hanc explicationem ſequens verſus.

Et omnia tanquam veſtita comparent.
15. Impiis lux ſua aufertur,
Et brachium elatum frangitur. — *e*)
16. Num usque ad maris ſcopulos perveniſti,
Et ad profunda inveſtiganda obambulaſti?
17. Num tibi apertæ ſunt portæ inferni,
Aut oſtia caliginis vidiſti? —
18. Num obſervaſti latitudinem terræ?
Expone, ſi noſti, omnia *f*).
19. Ubi eſt via ad ſedes lucis?
Et tenebrarum ubi eſt locus?
20. Ita ut utrumque ad terminum ſuum ducere poſſis,
Et intelligas aditus ædium ſuarum.
21. Sane, hoc noſti. Tunc enim jam natus eras,
Et magnus eſt dierum tuorum numerus. — *g*)
22. Num perveniſti ad theſauros nivis?
Num vidiſti reconditoria grandinis?

e) Nox impiis idem eſt, quod dies bonis. Illa *impiorum dies* ad lucis ortum præteriit; jam abſtinere debent ab operibus ſuis.

f) In his quæſtionibus non tam reſpicitur ad ignorantiam rerum naturalium, quam potius ad impotentiam hominum conferendi aliquid ad diſpoſitionem earum ad certos uſus, coll. v. 23. 26. 27. et ad ordinem ſervandum, quem Deus omnibus his eventis conſtituit.

g) Ironice dictum. Senectutis enim major eſt ſcientia, 32, 6.

23. Quæ ſervare ſoleo tempori calamitoſo,
Tempori pugnæ et belli. —
24. Quænam eſt via, qua lux dispartitur,
Aut Eurus ſuper terram ſpargitur?
25. Quis diſtribuit inundationibus canales?
Aut vias fulguri tonanti,
26. Ita ut pluat in regionibus incultis,
In deſerto ab homine non habitato?
27. Ut loca quam maxime deſolata irrigentur
Et germina propullulent. —
28. Num patrem habet pluvia *h*)?
Quis genuit roris guttas?
29. Ex cujus utero prodit glacies?
Quis genuit pruinam cæli?
30. Inſtar lapidis aquæ congelantur,
Et ſuperficies maris concreſcit. —
31. Num potes Plejadum amœnitates retinere *i*)?
Aut

h) In variis formis aqua aërea deſcendit, in imbre, rore, grandine, pruina. Sed homo ad has ejus mutationes nihil conferre poteſt. Omnes pendent a creatoris voluntate et ſapientia.

i) Tranſit ad corpora cœleſtia. — כִּימָה *Plejades* Cap. 9, 9. ſidus veris prænuntium, propterea ei tribuuntur מַעֲדַנּוֹת *amœnitates*, 1 Samuel. 15, 32. Chaldæus et *οἱ ό* literis transpoſitis legerunt מַעֲנָדוֹת *δεσμὸν*, *catenas*, quod non neceſſarium. Lectio recepta bonum ſenſum offert. Negatur

Aut Orionis funes ſolvere?

32. Num educere potes ſidera auſtralia *k*) ſuo tempore?
Aut borealia cum comitatu ſuo afferre?

33. Noſtine leges cæli *l*)?
Aut munera ejus in terra diſponis?

34. Num potes ad nubes attollere vocem tuam,
Ut aquarum copia te tegat?

35. Num potes emittere fulgura,
Ut prodeant et dicant: en nos!

36. Quis occultis his operationibus tantam tribuit
ſapientiam?

gatur *religari* vel *vinciri* poſſe hoc ſidus, h. e. non poteſt impediri, quo minus curſum ſuum perficiat, vel *retineri*, ut diutius apud nos moretur. — Huic opponuntur מִשְׁכוֹת *contractiones τοῦ* כְּסִיל *Orionis*, ſideris hiemalis, Cap. 9, 9. cujus vincula non poſſumus ſolvere, h. e. efficere, ut quæ frigore contracta erant aut obduruerant, iterum reſolvantur.

k) מַזָּרוֹת *ἅπαξ λεγ.* quid ſignificet, ex oppoſitione explicandum, quanquam interpretes diſſentiunt. Videntur igitur eſſe *ſidera auſtralia*, *οἱ ό* vocabulum hebraicum retinuerunt: *μαζουρώθ*. Syrus et Arabs: *plauſtrum*. — עַיִשׁ *urſus minor* Cap. 9, 9. ſcribitur עָשׁ, eſt *ſidus boreale*. עַל בָּנֶיהָ *cum filiis ſuis* h. e. cum ſtellis ei junctis.

l) h. e. ordinem totius ſyſtematis cœleſtis.

Quis his meteoris tantam dedit intelligentiam *m*)?

37. Quis ſerenat *n*) nubes ſapienter?

Quis utres cæli effundit *o*)?

38. Si terra compreſſa eſt in compactum,

Et glebæ terræ firmius cohærent. —

Num

m) Mihi quidem ſic videtur de hoc verſu, circa quem interpretes valde diſſentiunt. בַטֻּחוֹת nomen eſt טֻחוֹת *occulta* a טוּחַ *obducere*, *oblinere*, quod extat quoque Pſ. 51, 8. Beth non eſt radicale ſed ſervile, reſpondet ei Lamed in ſequenti שֶׂכְוִי *res aſpectabiles*, obvium in lingua chaldaica סְכָה *ſpeculatus*, *contemplatus eſt*. Sub illis videntur intelligi occulti ſ. incerti motus, aut effectus naturæ, qui ſe exſerunt pluvia, tonitru, fulgure et cœli tempeſtatibus, in quorum diſpoſitione tamen ſumma Dei ſapientia conſpicua eſt. Sub his autem ſidera cœleſtia, quæ curſum ſuum tanta ſapientia proſequuntur, ut eum non ſatis mirari poſſimus.

n) Sic verto ex eleganti conjectura *Dœderleinii*, qui pro יְסַפֵּר *numerabit* legendum cenſet יְשַׁפֵּר *niteſcere facit*, h. e. ſerenat, cf. Cap. 26, 13. Favet in primis conjecturæ parallelismus membrorum.

o) h. e. nubes aqua prægnantes. Verbum שכב autem h. l. vertendum eſt ex ſignificatione arabica *effudit*; neque linguæ hebraicæ ignota Exod. 16, 13. שִׁכְבַת הַטָּל eſt *effuſio roris*. De utroque pluribus egit *Schultenſius* ad h. l.

Digitized by Google

39. Num venaris leoni prædam *p*)?
Aut famem leonum juvenum exples?
40. Quando in antris incurvati ſedent
Et in vepretis inſidiantur.
41. Quis parat corvo eſcam ſuam,
Quando pulli ejus ad Deum vociferantur,
Dum ſine cibo oberrant?

CAPUT XXXIX

1. Noſtine tempus, quando ibices pariunt?
Aut parturientes cervas obſervas?
2. Numeraſti menſes graviditatis earum?
Aut noſti tempus quo pariunt?
3. Incurvant ſe, excludunt pullos ſuos
Defunctis partus doloribus.
4. Confortantur pulli eorum, creſcunt in deſerto,
Et digreſſi non revertuntur ad eas. —
5. Quis onagrum liberum dimiſit?
Quis vinculis ſolvit aſinum ſilveſtrem *a*)?

p) Inde ab h. l. ſermo eſt de providentia Dei circa animalia bruta. Novum debebat caput incipere.

a) Num ſub פֶּרֶא et עָרוֹד diverſæ ſpecies indicentur, diſputavit *Oedmannus* in Sylloge obſervatt. ex hiſtoria naturali ad interpretationem S. S. (*Vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift, Roſtock* 1787.) Faſc. II. Cap. 1.

6. Cui deſertum domum ſuam deſtinavi,
Sterilem ſolitudinem pro habitatione.
7. Ridet urbis ſtrepitum,
Nec agaſonis clamores audit.
8. Optima montium depaſcit *b*),
Sectatur herbas virentes. —
9. Num tibi ſervire volet bos ſilveſtris *c*)?
Num pernoctabit ad præſepe tuum?
10. Num eum ligabis fune ad ſulcos trahendos?
Num poſt te agrum proſciſſum occabit?
11. Num ei confides, qui ſit magni roboris?
Aut ei laborem tuum committes?
12. Num ſperas fore, ut ſata tibi referat,
Aut in horrea tua comportet? —
13. Eſt quæ alis ſtridulis exultat *d*),

Cum

b) h. e. quidquid montes herbarum eximium ferunt. Sic vertit et legit *Dœderleinius* vocabulum hebraicum h. l. יְתוּר ut ſit Synonymum *τοῦ* יֶתֶר ſicut eſt ירק et ירוק. Sic quoque vertit Syrus: *in eximiis montibus* ſ. *in altis*. Chaldæus, *οἱ ό* et Vulg. *circumſpicit*, quaſi eſſet a תור ſed tunc ſcribendum eſt יָתוּר.

c) De רֵים quod etiam ſcribitur רְאֵים *bove fero* (Büffel-Ochſe) dignus eſt, qui præ aliis legatur *Sparrmannus* in Itinerario ſuo p. 257. et 380.

d) Interpretes fere conſentiunt in hac pericopa a verſ. 16—21, deſcribi *ſtruthionem*. Ex attributis hoc plane apparet,

Cum pennis ciconiæ et accipitris.

14. Relin-

apparet, quæ nulli alii animali quam huic avi conveniunt. Sed errant qui putant רְנָנִים nomen eſſe *ſtruthionis*, auctore *Bocharto*, qui in Hieroz. Part. II. Lib. 2. Cap. 16. ex etymologia hoc nomen ei vindicare voluit. Neque tamen propterea putem excidiſſe nomen, quod ſuſpicatur *Michaëlis* (in Bibl. Or. P. VIII. p. 22.) ſed veriſſimam eſſe arbitror obſervationem *Reiskii*, nomen verum ſtruthionis in hac pericopa omiſſum eſſe ex more differendi Arabum, qui longe lateque ſoleant de re quadam diſputare, et tamen eam non nominare, propterea quod audiens et proinde quoque legens ex epithetorum et prædicatorum et deſcriptionis qualitate, totoque filo ſermonis aſſequi facillime queat, qua de re ſermo ſit. Ipſe Jobus noſter hoc ſchema ſupra adhibuit Cap. 26, 5. ubi Deum deſcribit absque ut illum nominet. Hactenus *Reiskius*, qui tamen in verſione nimis recedit a verborum hebræorum uſitatiori ſignificatione. Propterea aſſentior *Dœderleinio*, qui רְנָנִים derivat a רָנַן, quod arabice eſt: *tremulum ſonum edere. Stridula ala*, ut infra verſ. 23. *ſtridula pharetra*, uſurpatur etiam poetis latinis. Pro אִם legendum putat עִם et pro נֹצָה, נֵץ. Poſterioris membri lectio utique difficilior eſt ad explicandum. Hinc mirum non eſt, alios aliter conjectaſſe. *Michaëlis* legi vult אִם אֶבְרָה *ſi volat, accipiter eſt aut paſſer.* At ſtruthio nunquam volat. *Moldenhauerus* אִם dictum eſſe putat pro הַאִם

nonne

14. Relinquit terræ ſua ova
Et ſuper pulvere ſinit calefieri.
15. Sed obliviſcitur ea pedibus conculcatum
Aut a veris animalibus comminutum iri.
16. Durus eſt in pullos ſuos, ac ſi ſui non eſſent,
Non curat inutilem eſſe laborem ſuum.
17. Nam privavit eum Deus ſapientia,
Nec impertivit ei prudentiam.
18. Quando in altum ſe proripit,
Ridet equum et equitem. — *e*)
19. Num equo dare potes robur?
Aut jubam ejus facere contremiſcere?
20. Num ſubſilire eum facies inſtar locuſtæ?
Vis ronchi ejus eſt terribilis.
21. Fodit ungula tellurem,
Gaudet de robore, obviam procedit armis.
22. Ridet timorem, non terretur,

Nec

nonne habet pennas et plumas ciconiæ? Hufnagelius probat *Dœderleinii* explicationem, cum qua etiam *Hezelium* conſentire video.

e) Hunc locum data opera ex ſuis de ſtruthionis natura obſervationibus illuſtravit *Schaw* in Itinerariis p. 386. ſeqq. verſ. Germ. cum quo cf. *Sparrmannus* in Itinerario p. 429. qui in numero ovorum, quæ ſtruthio excludit, maxime diſſentit a *Schavii* aliorumque relationibus. Eum enim longe minorem eſſe tradit, viginti circiter, quam hi, qui eum ad triginta et plura augent.

Nec cedit gladio.
23. Super eo ſtridet pharetra,
Flammans haſta et lancea.
24. Fervens et tremens terram ſorbet *f*),
Stare loco neſcit ad tubæ ſonum.
25. Clangente tuba, clamore ſublato
Eminus odoratur pugnam,
Strepitum clamoremque ducum. —
26. Num tua prudentia volat accipiter?
Et expandit alas ſuas verſus auſtrum?
27. An ex tua voluntate ſublime petit aquila?
Et in alto ponit nidum ſuum?
28. In petris habitat et pernoctat,
In prærupti ſcopuli arce.
29. Inde cibum ſuum explorat,
E longinquo proſpicit.
30. Pulli ejus ſorbent ſanguinem,
Et ubi cadavera ſunt, ibi adeſt.

CAPUT

f) Sic Vulgatus phraſin hebraicam יְגַמֶּא אֶרֶץ bene vertit, quam ex uſu linguæ Arabicæ pluribus illuſtrarunt *Bochartus* in Hieroz. P. I. p. 142. edit. Leusd. et *Schultenſius* in Comment. ad h. l. Solent enim Arabes de *celerrimo curſu* dicere *haurire* ſ. *deglutire terram*, hinc equus velociſſimus ei dicitur: *equus hauſtor.*

CAPUT XL

Jobus a Deo ad ulteriorem, ſi auderet contentionem evocatus agnoſcit culpam ſuam, 1—5. Tunc Deus pergit demonſtrare omnipotentiam ſuam, primo ex eo quod nemo imperio ejus reſiſtere poſſit, 6—14. Deinde ex creatione duorum animalium omnium maxime terribilium, Elephanti 15—23. et Crocodili 24 — Cap. XLI. tot.

1. Tum Jova Jobum allocutus dixit:

2. An qui litigat cum omnipotente, recedet *a*)? Qui

a) Ex teſtimoniis interpretum antiquorum recedo a lectione recepta prioris hemiſtichii הֲרֹב עִם־שַׁדַּי יִסּוֹר qui legerunt הֲרֹב עִם שַׁדַּי יָסוּר *Symmachi* extat fragmentum *ἆρα ὁ δικαζόμενος πρὸς τὸν ἱκανὸν περιγενήσεται. Num qui contendit cum Deo vincet?* Ex quo clarum eſt, eum non ſolum legiſſe הֲרָב ſed etiam pro יִסּוֹר, יוּכַל, ſic enim vertit idem verbum 1 Sam. 17, 9. אִם יוּכַל אִתִּי *ἐὰν περιγένηταί μου*, quod vero nimis recedit a literis receptis, nec opus eſt niſi leviori punctorum mutatione, quam exhibent *οἱ ὁ, μὴ κρίσιν μετὰ ἱκανοῦ ἐκκλίνει*, et Vulgatus: *Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcit.* Similiter Chaldæus: *num qui contendit cum eo.* Sed quoad יסור conſentit cum lectione recepta. Singularem ſenſum verborum hebr. facit Syrus: *multæ ſunt cogitationes Dei.* Quem h. l. divinare non attinet. Præfero, quod etiam faciunt *Michaelis, Dæderleinius, Hufnagelius* et *Moldenhauerus*, leviorem illam lectionis receptæ mutationem propter paralleliſmum

Qui Deum reprehendit, reſpondebit?
3. Tam vilis ego *b*), inquit Jobus,
4. Quid reſpondeam? manum ori impono.
5. Semel locutus ſum, non pergam;
Iterum, ſed nihil addo. —
6. Igitur Jova pergebat his verbis ad Jobum e tempeſtate:
7. Accinge te ut vir,
Interrogabo te, doce me:
8. An irritum facies decretum meum?
An me damnabis, ut tu juſtus videare?
9. An brachium habes uti Deus?
An voce tua tonare ut ille potes?
10. Orna te magnitudine et ſublimitate,
Indue decus et majeſtatem.
11. Sparge iræ tuæ fervorem,
Aſpice elatum et humilia eum.

12. Aſpice

leliſmum membrorum. Sic enim τὸ הָרָב reſpondet τῷ מוֹכִיחַ in altero membro.

b) Quoniam verbum קלל in ſenſu morali de ſermonibus ſ. actionibus levibus et inconſideratis, quod ego ſciam, non dicitur, ſæpe vero de ſtatu vili et abjecto, v. c. Geneſ. 16, 4. 5. 2 Sam. 6, 22. 19, 23. præfero hunc ſenſum illi, quem Vulg. dedit, *qui leviter locutus ſum*, et Symmachus: *ἰδοὺ κούφως ἐποίησα.* Aquila: *ἰδοὺ ἐλαφρύνθην*, et *οἱ ό* poſt additamentum: *οὐδὲν ὤν*. Sic quoque Chald. Syrus et Arabs: *debilis, infirmus ſum.*

12. Aſpice ſuperbum et deprime eum,
Contere impium derepente.
13. Abſconde eos in terra ad unum omnes *c*),
Redige eos in occultum.
14. Tum et ego te laudabo,
Quod dextra tua te ſervavit. — *d*)
15. Aſpice Elephantem *e*), quem una tecum feci,
Gra-

c) Phraſis tantum h. l. obvia illuſtrari poteſt ex Pſ. 22, 16. Eſ. 25, 12. indicat haud dubie totalem deſtructionem et interitum, ex quo nunquam reſtituantur. — Poſterius membrum æque difficile: פְּנֵיהֶם חֲבוֹשׁ בַּטָּמוּן *facies eorum contine ſ. coerce in abſcondito.* Non male, uti arbitror, פָּנִים de ſplendore et dignitate externa explicatur, et de omnibus rebus, quibus impii ſuperbiunt, aut aliis prævalent. Sic פָּנִים dicitur Cap. 13, 8. 14, 20. de toto ſtatu hominis externo; et ſenſus: fac ut omnis eorum memoria cum illis intereat. Sic quoque diverſum quid dicitur a priori membro, nec iterum de ſepulcro aut morte impiorum ſermo eſt.

d) Hæc concluſio contrarium ſimul involvit: ſi Jobus hoc non poſſet efficere, eum perquam temerarie agere, quod providentiam divinam reprehendat.

e) In textu legitur בְּהֵמוֹת quod nomen generis eſt animalium, numerus autem pluralis excellentiam ſ. præſtantiam hujus animalis, quod deſcribitur, indicat. (*Glaſſius* p. 58.) Nomen ejus verum non affertur, ſed ex more orientalium differendi, de quo ad Cap. 39, 13. dictum

Digitized by Google

Gramine paſcitur inſtar bovis.

16\. Quantum robur habet in lateribus?
Quas vires in firmitate ventris ſui?

17\. Stringit proboſcidem ſimilem cedro,
Nervi femorum ejus ſunt implicati.

18\. Oſſa ſunt ſicuti tubi ahenei,
Aut tanquam ferrum cuſum.

19\. Eſt ille operum divinorum præſtantiſſimum,
Gladio eum accinxit ejus conditor *f*).

20\. Mon-

dictum eſt, animal ipſum tantum per attributa ſua deſcribitur. Hæc autem omnia ita comparata ſunt, ut plerique interpretes conſentiant, de Elephante ſermonem eſſe. *Bochartus* quidem in Hieroz. P. II. Lib. IV. c. 15. p. 754. et *Ludolphus* in Hiſt. Aethiop. L. I. Cap. XI. et in Comment. p. 155. de Hippopotamo locum explicant. Sed natura ejus fera et crudelis non convenit characteribus verſ. 15. et 20. allatis, qui ſubindicant animal naturæ minus feræ, neque homini, neque aliis animalibus timendum. Cujusmodi eſt Elephantus; huic omnes characteres allati conveniunt, excepto ultimo verſ. 24. de quo deinceps.

f) Verti hæc verba ex lectione textus recepti, et ſub *gladio*, qui datus dicitur Elephanto, ut plerique interpretes, intelligo *dentes prominentes*, quibus ſæpe utitur tanquam gladio ad arbores ſecandas aut ad alios uſus. Neque tamen nego, quod *Michaeli*, *Hufnagelio* aliisque viris doctis videtur, non ſatis aptam eſſe hanc ſenten-

20. Montes ei pabulum proferunt,
Ubi alia animalia terreſtria degunt.
21. Sub loto ſilveſtri g) cubat,
In arundine et locis uliginoſis latet.
22. Tegit eum lotus umbra ſua,
Et rivorum ſalices eum cingunt.
23. En! rapide fluat fluvius, non timet,

Securus

tiam priori membro. Sed idem ego fateor, mihi non ſatisfacere conjecturas ad alium aptiorem ſenſum aut nexum exſculpendum allatas. Concederem in ſententiam *Dœderleinii*, inde ab hoc verſu ſubjectum orationis mutari, atque in ſequentibus ſermonem eſſe de hippopotamo, iterum ejus nomine ſuppreſſo. Sed obſtare videtur ſequentis verſus membrum poſterius, quod haud dubie de natura hujus animalis pacifica aliis non timenda agit, quæ non eſt hippopotami, cf. *Schultenſium* ad h. l. p. 1156. Obiter obſervo non ſatis accuratam eſſe imaginem hippopotami æri inciſam, quam dedit *Ludolphus* in Hiſt. Aeth. l. c. Dentes enim ejus maxillares, prælongi illi quidem, tamen non ex ore prominent, ut duo illi prægrandes elephanti, ſed ore teguntur; neque niſi eo aperto conſpiciuntur, auctore fide digno *Sparrmanno* in Itinerario p. 564.

g) צאל *lotum cyrenaicum* eſſe ſ. *connarum alexandrinum*, probavit *Schultenſius*. *Celſius* hoc vocabulum omiſit.

Digitized by Google

Securus eſt, etiamſi Jordanus *h*) erumpat ad os
usque.

24. Num laqueis capi palam poteſt?
Et nares ejus perforari? — *i*)

25. Num crocodilum hamo trahere potes *k*)?

O 2 Aut

h) *Jordanus* non proprie intelligitur. Nam prope eum neque Elephanti neque Hippopotami vivunt; ſynecdochice dicitur pro flumine magno et rapido.

i) Hoc eſt unicum attributum, quod Elephanto ex omnibus reliquis non convenit. Capitur laqueis, ſed nares ei non perforantur. Olim hoc factum eſſe non conſtat, atque adeo parum probabile eſt. Equidem *Schultenſium* ſecutus verti per interrogationem negativam, Attamen vel ſic præſupponitur, modum capiendi Elephantum illis temporibus fuiſſe incognitum. — *Hufnagelius* conjectat, fortaſſe אַף ſequentem verſum debere incipere. Syrus quidem non expreſſit אַף, nam vertit: *num reti capitur?* Nec tamen ad ſequentem verſum traxit, hic enim incipit: *capies draconem reti?* Igitur prorſus omiſit אַף. At legerunt reliqui interpretes antiqui omnes, et cum יִנְקָב conſtruxerunt.

k) Inde ab hoc verſu ad finem ſequentis capitis aliud animal idque fluviatile deſcribitur. Quod Crocodilum eſſe Nili et Euphratis incolam, dubio caret. Pluribus de eo egit *Bochartus* in Hieroz. P II. Lib. V. Capp. 16. 17. 18. At Leviathan non eſt nomen proprium Crocodili, ſed nomen generale omnium aquatilium animalium,

Aut fune linguam ejus ligare?
26. Num impones naribus ejus funem junceum?
Aut ſpina perforabis ejus maxillam?
27. Num ſupplicabit te multis verbis?
Aut loquetur tecum ſubmiſſe?
28. Num tecum pactum inibit,
Ut ſervum eum adhibeas perpetuum?
29. An ludes cum eo tanquam cum ave?
Aut filo eum alligabis pro puellis tuis?
30. Num parabunt de eo piſcatores convivium?
Aut partientur eum inter mercatores *l*)?
31. An telis cutem ejus trajicies?
Aut inſtrumentis piſcatoriis caput?
32. Injice modo ei manum tuam,
Memor periculi non iterabis *conflictum*.

CAPUT XLI

1. En! quam perit ſpes ejus!

Quam

malium, præſertim ſquamatorum. Igitur iterum ex attributis, uti ad antecedens *Behemoth* obſervatum eſt, nomen verum divinandum.

l) Pro diverſa verbi כָּרָה ſignificatione variæ quoque ſunt interpretum ſententiæ. Mihi quidem placuit explicatio, quam Chaldæus iam dedit, et quæ *Schultenſio* aliisque interpretibus probatur. Phraſis hoc ſenſu obvia eſt 2 Reg. 6, 23.

Quam, precor, ad aſpectum ejus foret conſternatus!
2. Non audet eum excitare,
Et is coram me conſiſtet?
3. Quis mihi prævalebit, ut pacem petam?
Mea ſunt quæcunque ſub cælo exiſtunt. — a)

a) Paucis dicam, quid mihi de hoc loco difficili, de quo interpretes tam varie ſentiunt, videatur. — Fingit poeta Jobum metu expalluiſſe ad verba ultima præcedentis capitis; quibus ad pugnam cum crocodilo ingrediendam a Deo evocabatur. Propterea cum quadam ironia verſu primo Deus ſodales Jobi, aut reliquos, qui aderant, alloquitur: *En! ſpes*, ſc. pugnandi cum crocodilo, *eum fruſtratur*, dum nomen modo beſtiæ commemoro et robur ejus deſcribo. — In poſteriori membro הֲגַם affirmative explico, ut ſæpe hujusmodi interrogationes ſumuntur; *nonne etiam*, pro *utique certe*. — Verſ. 2. et 3. eſt argumentatio a minori ad majus: Is qui non ea eſt audacia, ut crocodilum a me creatum et me longe inferiorem et imbecilliorem, excitare et pugnam cum eo inire ſuſtineat, hic, inquam, quomodo coram me illius creatore, illo longe majore et potentiore, conſiſtere poterit? verſ. 3. *quis me anteverteт?* קִדֵּם in utramque partem dicitur: h. l. in malam, ut 30, 27. et Amos 9, 10. *Antevertere* ſ. *præcurrere* idem eſt quod *ſuperare*, tropo a curſoribus ſumto, ut Græcorum *παρέρχεσθαι*. — וַאֲשַׁלֵּם lege mutatis punctis וְאֶשְׁלֹם *et pacem ineam*; quod ipſum de crocodilo quoque dictum eſt verſu 28.

4. Non tacebo membra ejus robuſta,

Vires

capitis præcedentis, aliis tantum verbis: *num foedus tecum inibit*? ad quæ ſine dubio reſpicitur. Quod cum a crocodilo expectandum non ſit, quam temere actum eſſet, ſi quis a Deo illius creatore id expectaret? Hoc dicunt verba poſterioris hemiſtichii: Ego non ſolum crocodili, ſed omnium omnino rerum creator ſum et dominus. Summa igitur totius loci eſt hæc: Nonne maxima eſt ſtultitia, rem creatam timere, ita ut palleſcas, ſi modo ejus deſcriptionem audias: eum vero, qui tot beſtias terribiles creavit et tanto robore inſtruxit, non modo non timere, ſed etiam cum eo altercari, eum ad certamen provocare et victoriam ſperare? Quomodo, de quo, ſi cum beſtiis res eſſet, deſperas, a Deo te conſequi poſſe confidas, omnium rerum creatore ac domino? — Nonnullos interpretes offendit maxime in hac pericopa, quod hi verſus Jobum redarguentes, interrumpant deſcriptionem crocodili, quæ in ſequentibus continuatur; propterea eos ad finem totius pericopæ tanquam ejus concluſionem trajiciendos eſſe conjectarunt. Sed ſtare poſſunt ſuo loco, ſi obſervetur, finiri hoc loco primam illius deſcriptionis partem, quæ tantum agit de immanis hujus beſtiæ robore et feritate periculoſa, quam nemo adire, nedum laceſſere poſſit ſine vitæ diſcrimine. Quo argumento abſoluto quis incommodum dixerit, addi ſtatim concluſionem ſive argumentationem ad Jobi temeritatem redarguendam? Altera pars hujus deſcriptionis agit tantum de

ſtru-

Vires et ſtructuræ elegantiam.
5. Quis veſtem ejus detraxit?
Quis eum duplo freno domuit?
6. Fauces ejus quis aperuit?
Ordines dentium terrorem injiciunt.
7. Tergum ſcuta ſunt robuſta,
Ita clauſa, ut ſigillo coarctata videantur.
8. Unum alteri ita junctum eſt,
Ut ne auram quidem transmittant.
9. Ita ſibi invicem compacta cohærent,
Ut nullo modo poſſint divelli.
10. Sternutatio ejus ſplendore lucet,
Oculi auroræ lumini ſimiles ſunt.
11. Ex faucibus prodeunt faces,

ſtructura corporis beſtiæ, non minus artificioſa quam terribili. Huic non addidit poeta concluſionem. Quod tantum abeſt, ut reprehendendum mihi videatur, ut potius artem et ingenium poetæ admirer. Sic enim poſtquam crocodili corpus hujusque ſtructuram immanem vividis coloribus ita depinxerat, ut terrorem in animis lectorum excitaret, deſinit, et Jobi ſupplices preces, quæ ſtatim ſequuntur, ſatis probant, quem effectum illa deſcriptio in ejus mente produxerit. Sic canticum Deboræ deſinit etiam in deſcriptione quadam, non addita ulteriore explicatione, quæ ingenio aut etiam affectui lectoris relinquitur. Quod poetæ artificium omnes pulchri ſenſum habentes admirantur.

Digitized by Google

Scintillæ igneæ projiciuntur.

12. E naribus prodit fumus,
Tanquam ollæ æſtuantis et aquæ ferventis.

13. Flatus ſicuti carbones ardet,
Flamma ex ejus ore manat.

14. Collum valet robore,
Præcedit eum terror.

15. Singula membra compacta ſunt,
Et immota ei adhærent.

16. Pectus durum eſt inſtar lapidis,
Immo catillo durius.

17. Eo ſe efferente timent fortes,
Si maris fluctibus erumpit, in fugam ſe convertunt *b*).

18. Qui

b) In textu recepto legitur מִשְּׁבָרִים quod vulgo derivatur a שֶׁבֶר *deſtructio, excidium*, et de damnis explicatur, quæ crocodilus infert, cauda ſua homines et animalia proſternens. At ſi de his ſermo eſſet, ſine dubio affixum haberet pronomen מִשְּׁבָרָיו ut in præcedenti מִשֵּׂתוֹ. Placet propterea duplex conjectura elegans *Dœderleinii*, qui vel legi vult מְשַׁבְּרִים *qui animo alias confidunt*, et ſic reſpondet τῷ אלים vel diviſum מִשֵּׁבֶר יָם *quodſi mare frangit*, diviſis fluctibus erumpit: et ſic reſpondet τῷ מִשֵּׂתוֹ. Optio ſane eſt difficilis. — In verbo יִתְחַטָּאוּ minus eſt difficultatis. Ex ſignificatione primaria *aberrare a ſcopo*, apte ſane de

fuga

18. Qui aggredi eum velit, nihil neque gladio,
Neque haſta, nec telo, nec ſpiculo efficiet.
19. Ferrum pro palea,
Et æs pro ligno putrido habet.
20. Non eum fugant ſagittæ,
Fundæ lapides ſunt ipſi ſtipula.
21. Inſtar ſtipulæ æſtimat fuſtem,
Ridet lanceæ commotionem.
22. Sub eo ſunt acumina ſicuti teſtæ,
Subſternit ſibi acumina pro luto.
23. Efferveſcere facit profundum ſicuti ollam,
Mare mutat in unguentum *bene mixtum*.
24. Poſt eum lucet via,
Mare incaneſcere credas.
25. Nihil eſt in terra ei ſimile,
Factus eſt, ut ſit imperterritus.
26. Altiſſima quæque deſpicit,
Rex eſt omnium aquatilium *c*).

fuga in partem oppoſitam explicatur, qua homines periculo evadunt, quoniam Crocodilus difficulter tergum convertere poteſt.

c) Lectio textus recepti habet בְּנֵי שַׁחַץ h. e. animalia ferocia, ut Cap. 28, 8. Sed quoniam ſermo eſt de animali aquatico, præferenda videtur lectio, quam verſiones antiquæ exhibent בְּנֵי שֶׁרֶץ quo nomine omnia

CAPUT XLII

Jobus iterum fatetur ſe peccaſſe et culpæ commiſſæ veniam petit. Qua impetrata etiam pro ſociis ſuis, quorum ſermones Deus improbat, intercedit, et ſic Deo reconciliatus priſtinam felicitatem recuperat et longævus moritur.

1. Tum Jobus hunc in modum Jovæ reſpondit:
2. Novi te poſſe omnia perficere,
Et decreta tua non poſſe impediri.
3. Quis eſt, qui conſilium *providentiæ tuæ* imperſcrutabile improbare audeat,
Propterea fateor me deſipuiſſe.
Captum meum longe excedit. Nihil intelligo.
4. Audi quæſo, ego loquar,
Te interrogabo doce me *a*).
5. Te ipſum auribus audivi,
Oculisque meis vidi:
6. Propterea improbo jam ea quæ dixi,
Atque in pulvere et cinere pœnitentiam ago. —

7. Poſt-

hujus generis animalia in codice hebræo vocari ſolent. Sic Syrus: ܥܠ ܟܠܗ ܢܘܢܐ qua voce etiam alias שֶׁרֶץ expreſſit. Chaldæus עַל כֹּל בְּנֵי כוּרֵי *in omnes piſces*, et οἱ ὁ, βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασι. Placuit hæc lectio quoque *Michaeli*, (Biblioth. Or. P. VIII. p. 223.) *Hufnagelio*, *Moldenhauero*.

a) Reſpicit verba Dei Cap. 38, 3. 40, 7. quæ alio ſenſu ad ſe transfert.

7. Poſtquam igitur Jova hæc omnia cum Jobo erat collocutus, dixit Eliphaſo Themanitæ: Vehementer iraſcor tibi et duobus ſociis tuis. Nam non æque recte de me eſtis locuti, ac cultor meus Jobus *b*). 8. Igitur ſumite ſeptem juvencos, totidemque arietes; et Jobum cultorem meum accedite et ſacrificia pro vobis facite. Jobus vero ille meus pro vobis intercedat. Ejus enim tantum rationem habebo, quo minus pro temeritate veſtra vobiscum agam. Vos enim non recte de me locuti eſtis, ut Jobus meus. 9. Igitur Eliphaſus Themanita, Bildadus Suchita et Zopharus Naamathita fecerunt quemadmodum Jova juſſerat, atque hic quoque interceſſionis ejus rationem habuit. 10. Jobo vero, ejus calamitate mutata *c*), duplum

b) Nempe recte Jobus locutus erat de Deo ejusque providentia, de diſtributione boni et mali inter homines, quam ab arbitrio Dei pendere aſſeruerat. Contra ſodales ejus bonis ſemper bene et malis male evenire defenderant.

c) Verba textus שָׁב אֶת שְׁבוּת אִיּוֹב nonnulli interpretes ad literam intelligunt, ac ſi bona Jobi direpta eſſent reſtituta. Quod vero mihi parum probabile videtur. Quid enim prædones impulerit, ut rapinam ſuam reſtituiſſent? Formula videtur eſſe proverbialis, qua mutatio fortunæ indicatur et metaphora ſumta a rebus præda abductis, quoniam hujusmodi latrocinia inter populos nomadicos ſæpe accidebant. Convenit formula,

duplum eorum omnium, quæ habuerat, reſtituit. 11. Venerunt quoque ad eum cognati et cognatæ ejus et antea noti, et cum eo in ejus ædibus convivantes eum ſuper tot malis, quæ Deus in eum adduxerat, conſolati ſunt; eique ſinguli ſingulas Keſitas *d*), ſingulasque inaures dederunt. 12. Poſtea Jova

la, quam Latini uſurpant e re nautica petita, *colligere naufragium*, qua etiam reparatio magnæ calamitatis aut malorum illatorum indicatur. Cicero in Orat. pro Sextio Cap. 6. *Sed neceſſe eſt — — me totum ſuperioris anni reip. naufragium exponere: in quo colligendo* etc. *et reficienda ſalute communi omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, conſilia verſata.* Hinc non ſolum bonorum direptorum compenſationem ſub illa formula intelligendam putem, ſed etiam priſtinæ valetudinis reſtitutionem ex morbo lethali, omniumque omnino rerum, quæ antea Jobi proſperitatem conſtituerant.

d) קְשִׂיטָה quid ſit, incertum. Præter h. l. vocabulum legitur Geneſ. 33, 19. Joſ. 24, 32. Omnium minime probabilis eſt explicatio, in qua mire conſentiunt verſiones antiquæ, *ovis;* quod profecto munus nimis leve fuiſſet inter homines paſtores. Qui de *moneta* explicant, non cogitant pecuniam ſignatam eo tempore nondum in uſu fuiſſe. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 18. ſub Keſita ſpeciem quandam vaſorum pretioſorum intelligit, quorum certum pretium fuerit ex auro aut argento fabricatorum, quæ ut alia hujus generis loco mone-

Jova Jobum magis quam antea fortunavit, ita ut haberet quatuordecim ovium millia, ſex millia camelorum, mille paria boum et mille aſinarum. 13. Habuit quoque ſeptem filios et tres filias. 14. Quarum unam Jemimam, alteram Keziam, tertiam Kerenhappucham vocavit. 15. Quibus Jobi filiabus nullæ pulchritudine pares in illa regione erant. Iis pater hæreditatem inter fratres ſuos dedit *e*). 16. Vixit poſtea Jobus centum et quadraginta annos; viditque natos et nepotes ad quartam usque generationem, tandemque ſenex et plena ætate mortuus eſt.

monetæ in uſu fuerint, atque ideo quoque ut munera eſſent oblata. Ejusdem generis fuit נֶזֶם *naſi aut auris annulus*, nam utrumque ſignificat, qui ut קְשִׂיטָה muneris loco Jobo ab amicis dabatur.

e) Additur hoc ad magnitudinem divitiarum Jobi indicandam. Nam apud Iſraelitas et Arabes filii tantum parentum hæredes ſunt. Sed homines divites non obſervant hunc morem.

PRO-

PROVERBIA
SALOMONIS

CAPUT I

1. Sententiæ Salomonis, filii Davidis, regis Iſraelitarum *a*):

2. Ad

a) Vocabulum מָשָׁל in hoc libro uſurpatur in ſpecialiori ſignificatione, qua de peculiari quodam carminum genere dicitur, breviori illo et ad morum diſciplinam maxime pertinente. Nam in ſenſu latiori dicitur etiam de quovis carmine ſtilo ſublimiori aut poetico dicto aut ſcripto, ut Num. 21, 27. Pſ. 49, 5. Eſ. 14, 4. Apud Hebræos autem non minus atque apud alios Orientis populos illud docendi genus per ſententias breves et acutas obtinuiſſe, collectio probat in hoc libro ſervata. Harum ſententiarum auctor perhibetur Salomo rex ſapientiſſimus. Neque ego hanc traditionem in dubium vocare auſim, et cum *Grotio* aut *Eichhornio* ſtatuere (Introduct. in V. T. P. III. p. 260. ed. ſecundæ) admixta eſſe complura aliorum ſapientum ἀποφθέγματα, quoniam et hæc Salomonis ſapientia non indigna videbantur. Etenim argumentum, quod Vir Illuſtris maxime urget, non ſatis probare ſuam ſententiam arbitror. Nimirum exiſtimat, unius hominis vel ingenioſiſſimi intellectum non ſufficere ad ſententias

hujus

2. Ad ſapientiam et diſciplinam diſcendam,
Ad intelligenda ſcite dicta.
3. Ad comparandam ingenii maturitatem,
Juſtitiam, æquitatem, probitatem.
4. Ad conciliandam imperitis calliditatem,
Adoleſcenti doctrinam et circumſpectionem.
5. Sapiens qui ad eam attendit, eruditione creſcet,
Et

hujus generis tam multas, tam varias dicendas aut proferendas. Ingenium vel feraciſſimum langueſcere, et acumen maximum hebeſcere, ſi nimis intendantur. At enim vero in vi facultatum animi multum valere uſum et exercitationem, quis ignorat? Orientalium autem populorum dicendi et ſcribendi rationem ſemper eſſe ornatam luminibus et figuris illuſtratam, ſatis conſtat. Minime igitur ab ipſa ingenii humani natura abhorrere videtur, unum hominem, eximiis animi dotibus inſtructum, eumque in hoc dicendi genere exercitatum, ſive potius ei adſuetum ſuffeciſſe his ſententiis, quæ in hac collectione leguntur, proferendis. Sed quid rationibus pugnemus, aut quæramus, quid fieri potuerit, quid non? cum hiſtoria omnem dubitationem removerit. Atqui 1 Reg. 5., 12. narratur, Salomonem שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים מָשָׁל *tria millia ſententiarum dixiſſe.* Qui numerus longe excedit eum, quem collectio hoc libro ſervata conſtituit. — Cæterum quæ de natura ſ. ratione ἀποφθεγμάτων et de difficultate interpretandi ſcitu cognituque neceſſaria ſunt, more ſuo erudite et ſolide expoſuit *Dœderleinius* in Scholiis ad libros poeticos.

Et prudens ſolertiam ſibi comparabit,

6. Ad ſententias et ænigmata,

Ad prudentum dicta quæſtionesque implicatas recte intelligendas *b*).

7. Religio principium eſt ſapientiæ *c*).

Sapientiam et diſciplinam ſtulti contemnunt. —

8. Admitte, mi fili, diſciplinam patris tui,

Neque deſere legem tuæ matris.

9. Inſtar coronæ gratiam conciliabunt tuo capiti,

Et cervicem ut torques ornabunt. —

10. Mi fili, ſi te ſeducere voluerint peccatores, noli aſſentiri.

11. Si dixerint: veni nobiscum, vitæ aliorum inſidiabimur,

Abſcondemus tendiculas innocenti nihil tale merenti.

12. De-

b) Sex verſus priores hujus capitis ſunt tantum libri inſcriptio. Solent enim Orientales ſcriptores, uti olim occidentales, longiores præfigere titulos libris ſuis, qui argumentum eorum pluribus exponunt et commendant.

c) Summa totius libri. Religio h. e. pietas et virtutis ſtudium eſt id, quo ſapientiæ diſcipulus carere non poteſt. Dirigit omnem aliarum rerum cognitionem ad rectum finem, et ad eam conſervandam et augendam, imo ad univerſam intellectus noſtri conformationem multum confert. Sapiens ſine religione et virtutis ſtudio deſtruit magis, quam prodeſt.

Digitized by Google

12. Deglutiamus eos, ſicut ſepulcrum viventes,
Homines integros, ut quos terra recipit.
13. Omnis generis pretioſas opes inveniemus,
Præda domos noſtras implebimus,
14. Tuam quoque partem accipies,
Una crumena erit noſtrum omnium. —
15. Noli, mi fili, in eorum via incedere,
Cohibe pedem tuum ab eorum tramite.
16. Properant enim ad malum,
Neque adeo dubitant cædem committere.
17. Fruſtra expanditur rete in ipſo avium conſpectu d):
18. At illi inſidias nectunt in ſuam perniciem,

Suæ

d) Diſſentiunt interpretes in explicatione hujus verſus. Mihi quidem ſic videtur: Deeſt applicatio ſimilitudinis, uti ſæpe, ſic fere inſtituenda: Rete tibi tenditur, ſed jam admonitus de iſto periculo volucres imitare, quæ cum viderunt rete ſibi tendi, aucupum ſpem fruſtrantur atque avolant. — Quod ad vocabulum מְזֹרָה attinet, vulgo quidem hoc derivatur a זָרָה *ſparſit*. Sed parum accurate. Aliud enim eſt *ſpargere*, aliud *expandere*. Recte vero, uti arbitror, *Schultzius* ad Lexicon Coccejì confert arab. ضرى quod a *Golio* p. 2222. explicatur *æqualiter diſtendit*, *uti implendo fit utrumque*. Idem vero fit quoque in retium expanſione: hinc h. l. eſt participium Paul מְזֹרָה *expanſum*.

Suæ ipſi vitæ inſidiantur.

19. Sic ſane accidit omnibus qui injuſto lucro inhiant.
Perniciem infert ſuis poſſeſſoribus. —

20. Sapientia foris clamitat,
Vicatim vocem ſuam edit e).

21. In locis maxime frequentatis clamat,
In portarum ingreſſibus, per urbem in hunc modum verba facit:

22. Quousque, o imperiti, amabitis imperitiam,
Et deriſores deriſionem appetent,
Et ſtulti odio habebunt ſcientiam?

23. Admittite diſciplinam meam,
Copioſe vobis doctrinam meam impertiam,
Meaque præcepta vobis nota faciam. — f)

24. Propterea quod clamo et vos renuitis,
Quod manum meam extendo, neque eſt qui attendat,

25. Quod conſilium meum rejicitis,
Meamque diſciplinam repudiatis:

26. Ego viciſſim in calamitate veſtra ridebo,

Illu-

e) Eleganti proſopopœia, cujus ſimiles ſunt infra Cap. 8. et 9., ſiſtit Salomo ſapientiam ut mulierem, quæ ſcholam ſuam aperiat in loco publico, uti olim moris erat, ad quam omnes obvios invitet.

f) Mora aliqua interpoſita, cum nullos inſtitutionis ſuæ cupidos inveniat, ſeque a prætereuntibus contemni videat, indignatur ſocordiam hominum, et contemtoribus mala prædicit metuenda.

Illudam cum venerit terror veſter.

27. Cum aderit tanquam vaſtatio terror veſter,
Cum calamitas veſtra tanquam procella advenerit,
Cum vos invaſerit anguſtia et anxietas.

28. Tunc me invocabunt, ſed non audiam,
Studioſe me quærent, ſed non invenient.

29. Eo quod ſcientiam oderunt,
Nec religionis fuerunt obſervantes.

30. Conſilium meum rejecerunt,
Repudiarunt meam diſciplinam:

31. Dignam igitur ſuis laboribus mercedem accipient,
Fructusque conſiliorum ſuorum abunde percipient.

32. Averſio impiorum eos perimit,
Atque incuria ignavorum eos perdit.

33. Sed qui mihi morem gerit, ſecurus eſt,
Quietus a timore mali.

CAPUT II.

1. Mi fili, ſi ſermones meos admittes,
Et præcepta mea apud te recondes;

2. Ut aurem præbeas ſapientiæ,
Animumque applices ad prudentiam;

3. Quin ſi intelligentiam deſiderabis,
Et prudentiam cupide anquires;

4. Si eam tanquam argentum
Et theſauros reconditos inveſtigabis:

5. Tunc religionem diſces,

 Dei-

Deique cognitionem tibi comparabis *a*).

6. Nam Jova dat ſapientiam,
Ex ore ejus ſcientia et prudentia venit.
7. Hic probis ſolidam ſervat fortunam,
Protegit integre viventes.
8. Qui virtutis ſemitam obſervant,
Et viam proborum tenent.
9. Tunc juſtitiam, jus, æquitatem,
Omnesque bonas artes accurate cognoſces.
10. Si ſapientia menti tuæ inſederit,
Et ſapientia animo tuo placuerit,
11. Te ſolertia cuſtodiet,
Prudentia te tuebitur,
12. Ut te retineat a via mala,
Ab iis qui perverſe loquuntur.
13. Qui, omiſſis rectis ſemitis,
Per vias tenebricoſas incedunt.
14. Qui malefacere gaudent,
Atque exultant in perverſitate ſua.
15. Quorum viæ tortuoſæ ſunt,
Et orbitæ obliquæ.
16. Te ab aliena muliere defendet,
A peregrina, quæ verbis utitur blandis.

17. Quæ

a) Hæc enim quam plurimum confert ad virtutis ſtudium efficaciter commendandum, ad mores hominum melius effingendos et efformandos, quam ſit apud eos qui luce illa revelationis divinæ ſunt deſtituti.

17. Quæ deſerit ducem juventutis ſuæ *b*),
Fœderis domini ſui oblita.
18. Nam deorſum ad mortem declinat domus ejus,
Et ad manes ejus viæ.
19. Nullus eorum, qui ad eam ingrediuntur, redit;
Nullus vitæ viam rurſus aſſequitur.
20. Efficiet ut in proborum via incedas,
Et ſemitam juſtorum teneas.
21. Nam probi terram incolent,
Atque integri in ea erunt ſuperſtites.
22. At impii e terra exſcinduntur,
Et perfidi ex ea ejiciuntur.

CAPUT III

1. Mi fili, legis meæ ne obliviſcare,
Mea præcepta mente retine.
2. Nam tibi longam vitam parabunt et felicem,
Tuamque proſperitatem augebunt.
3. Pietate et fide nunquam deſtituare,
Collo tuo has virtutes illiga,
Et tabulæ mentis tuæ inſcribe.

b) h. e. primum maritum, de quo etiam אֱלֹהֶיהָ in altero membro intelligo, non, ut plerique interpretes ſolent, de Deo in quem perjurium committat. Tunc enim abeſſet haud dubie affixum.

4. Sic enim gratiam et benevolentiam conſequeris,
Cum apud Deum, tum apud homines.
5. Confide Jovæ toto corde,
Neque tuæ prudentiæ innitere.
6. Eum in omnibus rebus tuis reſpice,
Atque is omnem tuam vitam dirigat.
7. Ne tibi videare ſapiens,
Reverere Jovam, malum fuge.
8. Hoc corpori tuo a) ſanitatem
Et membris corporis robur dabit. — b)
9. Honora Jovam tuis facultatibus,
Et primitiis totius tui proventus:
10. Tunc horrea tua copioſe erunt impleta,
Et muſto tua torcularia circumfluent.
11. Diſciplinam Jovæ, mi fili, ne contemnas,
Nec faſtidias ejus correptionem.

12. Quem

a) Lectio textus recepti habet לְשָׁרֶּךָ *umbilico tuo*, quæ non niſi duram admittit explicationem. Veram lectionem haud dubie prodit Syrus interpres, qui habet לְבְסָרֶךָ *carni tuæ*. Legit nempe לִשְׁאֵרֶךָ. Idem legiſſe videntur οἱ ό, *τότε ἴασις ἔσται τῷ σώματί σου*; cf. Cap. 4, 22.

b) hebr. וְשִׁקּוּי לְעַצְמוֹתֶיךָ *et irrigatio oſſibus tuis:* h. e. medullæ loco erit. Elegans tropus: medulla oſſium eſt alimentum, qua ſi ſatis ſunt conſperſa ſive referta, valent. cf. Job. 21, 24. *oſſa ejus medulla irrigantur.* De verſionibus antiquis vid. *Dœderleinius.*

12. Quem Jova diligit, eum caſtigat,
Atque tamen eo, ut pater filio, delectatur. — *c*)

13. O felicem hominem, qui ſapientiam invenit,
Qui intelligentiam impetravit!

14. Melior eſt ejus negotiatio negotiatione argenti,
Et proventus ejus auro puriſſimo præſtat.

15. Ea eſt gemmis pretioſior,
Nec quidquam poteris expetere, quod ſit cum ea comparandum.

16. Vita longæva ei ad dextram eſt,
Ad ſiniſtram divitiæ et honor.

17. Ejus viæ omnes amœnæ ſunt,
In tramite ejus eſt proſperitas.

18. Ea vitalis arbor eſt ipſam tenentibus;
Qui eam prehenderunt, ſunt beati. —

19. Sapientia Jova terram fundavit,
Prudentia cælum condidit.

20. Ejus ſcientia mare ortum eſt

c) *οἱ ό*, ex quibus Paulus in epiſtola ad Hebr. 12, 6. hunc locum citat, membrum ſic vertunt: *μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται.* Nimirum pro כְּאָב *ſicuti pater* legerunt כָּאַב *afflixit.* Syrus et Chaldæus repetunt יוֹכִיחַ *et ſicut pater, qui caſtigat filium.* Equidem non arbitror lectionem receptam ſollicitandam eſſe, quæ commodum ſenſum offert, immo aptiorem, quam altera, quæ fere tautologiam ſapere videtur.

Et nubes rore fluunt.

21. Mi fili, nunquam ex oculis tuis dimitte,
Fortiter tene ſapientiam et ſolertiam:

22. Vitam dabunt menti tuæ,
Ornamentum erunt tuo collo.

23. Tunc tuto iter facies,
Nec pes tuus impinget.

24. Si cubitum abis, non timebis,
Tibi dormienti ſuavis erit ſomnus.

25. Non eſt, quod repentinum terrorem,
Nec malum, quod impii tibi intendant, formides:

26. Nam Jova eſt fiducia tua,
Is pedem tuum cuſtodiet, ne capiatur. —

27. Ne detrahas munus egentibus,
Cum tibi facultas fuerit diſtribuendi.

28. Ne dicas amico tuo: abi, redi, cras tibi dabo,
Cum quod petit, ſit apud te.

29. Ne machinare amico tuo malum,
Cum is apud te ſecure agat.

30. Ne contende cum quoquam ſine cauſa,
Qui de te male meritus non ſit.

31. Ne æmulare hominem violentum,
Nec mores ejus ullo modo imitare:

32. Nam improbos abominatur Jova,
Probis vero eſt familiaris *d*).

33. Male-

d) De vocabulo סוד quod h. l. legitur cf. dicta ad Pſ. 25, 14.

33. Maledicit Deus domui impii,
Piorum domicilium fortunat.
34. Deriſores deridet,
Humilibus exhibet gratiam.
35. Gloriam ſapièntes obtinent,
Stulti infamia ſunt famoſi *e*).

CAPUT IV

1. Audite, filii, inſtitutionem patris,
Eſtote ad diſcendam prudentiam attenti.
2. Nam bonam doctrinam vobis trado,
Nolite legem meam relinquere.
3. Filius patri meo extiti eximie carus,
Intime dilectus matri meæ.
4. Ita vero me docuit:
Concipe mente dicta mea,
Serva mea præcepta et felix eris.
5. Compara ſapientiam, compara prudentiam,
Noli ſermonis mei oblivisci, aut ab eo deflectere.
6. Noli eum relinquere, nam te conſervabit,
Dilige eum, te cuſtodiet.

e) Sic verto מֵרִים קָלוֹן ex origine a *Schultenſio* tradita, qua קָלוֹן non eſt a קלל ut vulgo in Lexicis traditur, ſed a קלה *uſſit, torruit* nota inuſta, h. e. infamia. Sic ineſt ſententiæ oxymoron: ſtolidos nobilitat inuſta publice infamia.

7. Præſtantiſſimum eſt ſapientia, compara ergo ſapientiam,
Atque omnes facultates tuas confer ad intelligentiam tibi acquirendam.
8. Junge tibi eam et te evehet,
Te decorabit, ſi eam fueris amplexatus.
9. Addet tuo capiti ſertum gratiæ,
Coronam decoram tibi largietur.
10. Audi, mi fili, et admitte mea dicta,
Vitam tunc feliciſſimam diu ages.
11. Sapientiæ viam tibi oſtendo,
Rectos tramites te duco.
12. Cum incedes, non prementur tua veſtigia,
Et ſi curres, non impinges.
13. Tene diſciplinam, nec eam neglige,
Serva eam, nam ex ea tua pendet felicitas.
14. Impiorum viam ne ingrediare,
Nec incede in via malorum.
15. Defere eam, nec unquam eam ſequere,
Studioſe eam declina.
16. Etenim non dormiunt, niſi male fecerint,
Inſomnes ſunt, niſi alios ſupplantarint.
17. Comedunt panem impietatis,
Vinum bibunt violentiæ a).

18. At

a) Opes et divitiæ impiorum ſcelere aut modo illegitimo partæ ſunt; hinc dominis ſuis nequaquam prodeſſe poſſunt.

18. At juſtorum via inſtar lucis ſplendet,
Magis magisque lucentis usque ad ſummum diem.
19. Impiorum via denſiſſimæ tenebræ ſunt,
Neſciunt quo impingant. —
20. Attende, mi fili, ad dicta mea.
Aurem præbe meis ſermonibus.
21. Noli eos ex oculis tuis dimittere,
Maneant tibi alta mente repoſiti.
22. Salutares ſunt iis qui eos inveniunt,
Et toti corpori ſalubres.
23. Ante omnia mentem tuam obſerva,
Nam ex ea venit vita *b*).
24. Aufer a te oris pravitatem,
Et labiorum perverſitatem procul a te remove.
25. Oculi tui ſemper ſcopum intueantur,
Lumina tua ad plana coram te ſint directa.
26. Expende tramitem pedis tui,
Et omnes viæ tuæ ſtabilientur.
27. Nec ad dextram deflecte, nec ad ſiniſtram,
Retine pedem ab omni malo.

CAPUT V

1. Mi fili, attende ad ſapientiam meam,

Aurem

b) ſc. ſi recte eſt diſpoſita; e contrario mors eſt pernicies, ſi mala eſt, uti Jeſus dicit Matth. 15, 19. ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ. κ. λ.

Aurem præbe meæ prudentiæ,
2. Ut caute et circumſpecte agas,
Et ſenſum honeſti *a*) labia tua conſervent.
3. Mel quidem deſtillant labia alienæ mulieris,
Et fauces ejus oleo ſunt molliores.
4. Tandem vero amara eſt tanquam abſinthium,
Acuta tanquam gladius anceps.
5. Ejus pedes ad mortem deſcendunt,
Ejus greſſus tendunt ad inferos.
6. Iter vitæ nequaquam ingreditur,
Nutant ejus orbitæ, nec curat *b*).
7. Jam igitur, filii, audite me,
Ne deſerite mea præcepta.
8. Longe abſit ab ea via tua,
Nec appropinques ad oſtium domus ejus.
9. Ne tradas alienis bonam tuam famam,
Et annos tuos crudeli:
10. Ne viribus tuis alieni ſatientur,

Et

a) דַּעַת h. l. pro admonitione, quæ ſequitur de ſcortatione vitanda, recte a *Dœderleinio* explicatam puto de ſenſu illo honeſtatis et pudoris naturali in juvene. Quo per colloquia impudieæ mulieris amiſſo plerumque ad majorem corruptionem ruitur.

b) hebr. לֹא תֵדָע. Sic verbum ידע explicat h. l. *Schultenſius*, et infra, coll. Deut. 33, 9. Cap. 9, 13. 19, 2.

Et robur tuum *c*) pereat in domo peregrina.

11. Ne tandem lamentari cogaris,
Viribus exhauſtis et corpore emaciato:

12. Quomodo odi diſciplinam!
Et admonitionem animo faſtidivi!

13. Cur doctoribus meis non obtemperavi?
Nec præceptoribus meis aurem præbui?

14. Parum abeſt quin ſummæ ignominiæ ſim expoſitus,
In cœtu populi et coram magiſtratu. — *d*)

15. Bibe aquam ex tua ciſterna *e*),

Et

c) hebr. עֲצָבֶיךָ proprie *nervi*, *tendines*, ab origine عصب *vinxit*, *conſtrinxit*, reſpondet præcedenti כֹּחַ.

d) Hic ſenſus verbis Hebræis ſubeſſe videtur, quæ ad literam ſic ſonant: *Parum abeſt, quin ſim in omni malo in medio cœtus et congregationis.* Quoniam malum, de quo conqueritur juvenis ille infelix, ei evenit in cœtu et congregatione, atque illud de cœtu univerſi populi Iſraelitici, hoc vero in ſpecie de ſenioribus ejus dicitur, Exod. 12, 3. 16, 22. Num. 1, 2. 16, 2. 11, 11. probabile videtur ſub illo totam civitatem, ſub hoc judices ſ. magiſtratum intelligi, cujus erat animadvertere in adulterum. Debeo hanc explicationem *Dœderleinio*, qui tamen prius de judicibus, poſterius de cœtu populi explicat. Uſus tamen vocabuli עֵדָה meam ſententiam probare videtur.

e) Commendatur matrimonium legitimum. — Tropus, quo mulier cum puteo, liberi ex ea nati cum aqua

ema-

Et latices ex tuo puteo.

16. *Tunc* dimanabunt ſcatebræ tuæ foras,
In plateas aquarum rivi *erumpent*.

17. Erunt tibi ſoli, nec alienis tecum *f*).

18. Sit fons tuus felix,
Et lætare de uxore tuæ juventutis.

19. Cerva illa amabili et ibice gratioſa *g*)!
Amoribus ejus ſemper delecteris, ſuavitate ejus diu fruaris.

20. Cur implicaberis, mi fili, amoribus alienæ,
Et amplecteris ſinum extraneæ?

21. Oculis Dei patent viæ hominis,
Attendit ad omnes ejus tramites. — *h*)

22. Suis ipſe capitur criminibus impius,
Suorumque peccatorum funibus conſtringitur.

23. Mo-

emanante comparantur, in aliis quoque locis obvius eſt, Num. 24, 7. Eſ. 48, 1. 51, 1. linguæ orientis privus, occidentalibus minus probatus aut pulcher habitus.

f) Caſto juveni caſtum quoque matrimonium promittitur.

g) De priori horum animalium cf. *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. 18. p. 895. de poſteriori idem l. c. Cap. 23. p. 915. et *Michaelis* in notis ad verſ. germ. Propter naturalem pulchritudinem cum eis comparantur mulieres. Qui tropus, ut præcedens ſub lit. e) notatus, ex genio regionis et populi eſt dijudicandus.

h) Igitur occulta quoque adulterii peccata eum non latent.

23. Moritur tandem ſine correctione,
Nam ſtultitiæ ſuæ multitudine inerrat.

CAPUT VI

1. Mi fili! ſi pro amico tuo ſtipulata manu fidejuſſeris:
2. Irretitus es tuis verbis,
Captus es eo quod promiſiſti.
3. Fac hoc quod dico, mi fili *), ut libereris,
Nam veniſti in poteſtatem amici tui,

Inſta,

*) Hujus verſionis auctor ſuaſorque mihi fuit *Arnoldi* Vir Cel. in libro eruditiſſimo ſæpe a me deinceps laudando, cui titulum fecit: Symbola ad Exegeſin et Criticam Vet. Teſt. (*Zur Exegetik und Kritik des Alt. Teſt. Erſter Beytrag. Anmerkungen über einzelne Stellen der Sprüche Sal. Frf. 1781.*) In hoc libro obſervat verſionem τῶν ό et Vulgati: ποίει υἱὲ ἃ ἐγώ σοι ἐντέλλομαι, *Fac ergo fili, quod dico*, ſibi non videri additamentum aliquod paraphraſticum, ſed verſionem vocabuli hebraici אֵפוֹא quod illi interpretes verterint tanquam Futurum verbi cujusdam פּאא. Atque id ipſum verbum ſupereſſe in lingua Arab. in qua فاه eſt, *eloqui, dicere.* Ad objectionem, quod minus recte hæc verba conferantur, quorum poſterius habeat He mobile, prius Aleph quieſcens, reſpondet primo: quod He mobile in verbis Arabicis interdum ex He quieſcente ortum ſit; deinde utramque literam crebro permutari. Quod utrumque compluribus exemplis illuſtrat.

Inſta, urge amicum tuum *a*).

4. Ne concede ſomnum tuis oculis,
Nec quietem tuis palpebris.

5. Elabere veluti caprea de manu,
Aut ut avis e manu aucupis. —

6. Adi formicam, piger!
Adſpice ejus agendi rationem, et ſape!

7. Hæc, quanquam nec ducem, nec præfectum, nec dominum habet:

8. Tamen parat æſtate cibum ſuum,
Congerit meſſis tempore alimentum.

9. Quo-

a) Verba textus ſunt: הִתְרַפֵּס וּרְהַב רֵעֶיךָ. Quod ad prius attinet, ſatis facilis videtur nec nimis quæſita explicatio, quam *Geierus* dedit: conjugationem Hitpael habere interdum ſignificationem verbi frequentativi ut הִתְהַלֵּךְ *crebro calca terram*, h. e. frequenter adi amicum. Fortaſſe ex eadem ratione vertit Vulgatus *feſtina*. Singularem lectionem exhibent οἱ ό, ἴσθι μὴ ἐκλυόμενος h. e. לֹא הִתְרַפֵּה nam לֵךְ quod præcedit, legerunt לֹא. Lectio non contemnenda eſſet, ſi pluribus teſtimoniis firmaretur. Syrus et Chaldæus hæc verba omittunt. Poſterius verbum רְהַב οἱ ό vertunt παρόξυνε, ſimiliter Aq. et Theod. παρόρμησον, *inſiſte*, *urge*, Syrus et Chald. גְרֵג *excita*. Tandem in ultima voce רֵעֶיךָ literam Jod omittunt 26. Codd. *Kennicotti* et verſiones antiquæ omnes. Hinc non eſt, quod tantopere laboremus in ea ſervanda aut explicanda.

9. Quousque, piger, cubabis?
Quando ſurges ex iſto tuo ſomno?
10. Paulisper dormias, paulisper dormites,
Paulisper manus complices ad dormiendum:
11. Et irruet inſtar graſſatoris paupertas,
Atque indigentia uti homo ſcutatus. —
12. Homo perditus, vir nequam eſt qui ore perverſo utitur,
13. Qui annuit oculis, loquitur pedibus, docet digitis *b*).
14. Mente perverſa machinatur malum,
Serit omni tempore diſſidia.
15. Itaque de improviſo veniet ejus exitium,
Subito peribit ſine remedio. —
16. Hæc ſex odit Jova, Iſta ſeptem abominatur *c*):
17. Elatos oculos, linguam mendacem,
Manus, inſontem fundentes ſanguinem.
18. Mentem improbos conatus machinantem,
Pedes properantes curſu incitato ad maleficium.
19. Teſtem falſum mendacia proferentem,
Et ferentem inter fratres diſſidia. —

20. Serva,

b) Videntur hæ formulæ deſcribere hominem fictum et ſannionem, qui omnibus corporis ſui membris utitur ad illudendos alios.

c) Videtur eſſe modus numerandi proverbialis, cujus tria alia exempla occurrunt in hoc libro Cap. 30, 15. 18. et 29. et ſimiles Job. 5, 19. Amos 1, 3.

20. Serva, mi fili, præceptum patris tui,
Nec deferas legem matris tuæ.
21. Alligata ſint pectori tuo ſemper,
Et collo tuo ſint annexa.
22. Hæc te ambulantem ducant, cubantem cuſtodiant.
Cum expergefactus fueris, tecum colloquantur.
23. Nam illud præceptum inſtar lucernæ, illa lex inſtar lucis *tibi ſunt*,
Illæ admonitiones urgentes viam vitæ *oſtendunt*.
24. Ut tibi caveas a muliere alterius,
A blanda lingua peregrinæ;
25. Ne pulchritudinem ejus concupiſcas,
Nec capiaris ejus oculis.
26. Pretium mulieris meretricis eſt panis *d*),
Sed mulier adultera vitæ inæſtimabili inſidiatur.
27. Num fovebit aliquis ignem in gremio ſuo,
Quo non ejus veſtes comburantur?
28. Num incedet aliquis per carbones,
Quin ejus pedes adurantur?
29. Sic eſt qui cum alterius uxore congreditur,
Non impunis erit, quisquis eam attigerit.

30. Non

d) Opponuntur ſibi h. l. ſcortum, ſ. proſtibulum ſui copiam faciens cuique pretio ſoluto, et adultera, cujus conſuetudo vitæ eſt perniciosa propter zelotypiam maxime mariti, de qua verſ. 34. 35.

30. Non tanta eſt contumelia furis *e*),
Quando furatus, eſt ut famem expleret.
31. Deprehenſus reddit ſeptuplum,
Aut omnes domus ſuæ facultates.
32. Sed qui rem habet cum muliere, demens eſt.
Se ipſum perdit, qui hoc fecerit.
33. Plagam et ignominiam experietur,
Nec probrum ejus unquam delebitur.
34. Nam zelotypia flagrantem mariti iram excitat,
Non parcit in ulciſcendo.
35. Nullius redemtionis rationem habet,
Nec donis quamplurimis placatur.

CAPUT VII

1. Audi, mi fili, mea dicta,
Et præcepta mea apud te reconde.
2. Cuſtodi mea præcepta et felix eris,
Et legem meam tanquam pupillam oculorum tuorum.
3. Alliga ea tuis digitis,

e) Comparatur turpitudo et damnum furti cum ignominia et damno adulterii, atque hoc longe majus eſſe oſtenditur. Fur, ſi reſtituere ablatum poteſt, vitam ſuam ſervat et commiſerationem quandam expetitur. Non ita homo adulter. — Adverbium negativum לא ponitur h. l. pro particula comparativa, ut Prov. 8, 10. et in N. T. 1 Cor. 1, 17. Plura exempla vid. in *Glaſſio* p. 418. edit. noſtræ.

Inſcribe ea tabulæ cordis tui.

4. Appella ſapientiam ſororem tuam,
Et cognatam voca prudentiam *a*).

5. Ut te cuſtodiat ab uxore peregrina,
Ab aliena quæ blandis utitur ſermonibus.

6. Cum per feneſtram ædium mearum
E pergula *b*) proſpectarem:

7. Vidi inter imperitos,
Obſervavi inter juvenes adoleſcentem excordem.

8. Transeuntem per plateam juxta angulum,
Et verſus illius ædes ſpatiantem.

9. Sub veſpertinum diei crepuſculum,
Media nocte et caligine.

10. Et ecce! ei obviam venit mulier

Habitu

a) Solent Orientales nomina neceſſitudinis uſurpare ad intimam familiaritatem aut conjunctionem indicandam. Job. 17, 14. *Mater mea ſoror et ſoror putredo.* Cap. 30, 29. ſe fratrem draconum et ſtruthionum ſodalem vocat, cf. *Schultenſius* ad h. l.

b) hebr. אֶשְׁנָב quod h. l. tantum et Jud. 5, 28. obvium. In utroque loco jungitur *feneſtræ*, hinc idem ſignificare dicunt Lexica vulgaria. Sed rectius *Faber* in Archæol. Hebr. p. 438. explicavit ex arab. شنب *frigiditas recens* et in ſpecie *id quod ſuavem halitum affert.* Hinc אֶשְׁנָב *locus ad recentem auram captandam aptus* (ein Erker). cf. *Lette* in Obſervatt. philol. ad Cant. Deboræ verſ. 25.

Habitu meretricio et mente aſtuta.
11. Garrula erat et petulans,
Quæ domi manere non poterat.
12. Nunc in foro, nunc in plateis,
Et juxta angulos inſidiabatur.
13. Hæc prehendit eum, oſculatur,
Et vultu impudenti dicit:
14. Epulas ſacrificales paratas habeo,
Solvi hodie vota mea.
15. Ideo tibi obviam ſum egreſſa,
Ut te viderem; et bene eſt quod te inveni.
16. Stragulis ſtravi lectum meum,
Tapetibus ex lino ægyptiaco.
17. Conſperſi lectum meum myrrha, aloe et cinnamomo.
18. Veni, inebriemur amoribus usque in craſtinum,
Indulgeamus amoribus.
19. Nam vir domi non eſt. Longum iter ingreſſus.
20. Secum tulit pecuniæ crumenam,
Revertetur demum ad interlunium. —
21. Pellexit eum multis ſuis artibus,
Blanditiis labiorum ſuorum eum impulit.
22. Sequitur eam confeſtim,
Ut bos ad cædem abit.
Aut ut aſſilit ad rete cervus c).

 23. Donec

c) Verba textus ſunt וּבְעֶכֶס אֶל מוּסַר אֱוִיל quæ ab his,

23. Donec transfigat ei ſagitta jecur.

Ut

his, qui lectionem receptam defendunt, ſic explicantur: *ut compes* venit, (repetito יָבֹא quod præcedit) *ad caſtigationem ſtulti*. Sed primo dubitatur, an Hebræi de compede verbum בא adhibuerint, deinde quæ ſequuntur: *donec transfigat ſagitta ejus jecur*, non commode de juvene explicari poſſunt. Tandem conſenſus complurium interpretum antiquorum in lectione אַיָּל *cervus* pro אֱוִיל *ſtultus*, quam *οἱ ό*, Syrus, Chaſd. exhibent, quæ reliquis membris tam apta eſt, ut et in lectione מוֹסֵר *vinculum* pro מוּסַר *diſciplina* ſ. *caſtigatio*, probat lectionem receptam h. l. eſſe deſerendam. Tantum de verbo עֶכֶס dubitari poſſit, an hoc recte a Symmacho per *σκιρτᾷν* *ſaltare*, *ſalire*, vertatur, cum potius ex Jeſ. 3, 16. appareat et a *Schrœdero* in libro de veſtitu mul. Hebr. ad illum locum probatum ſit, עֶכֶס eſſe *conſtringere aliquid atque vincire*. Sed *Arnoldi* h. l. multorum exemplorum inductione probavit, verba, quorum ſignificatio primaria eſt apud Orientales *flectere*, ſecundario quoque eſſe, *ſaltare*, *currere*. Atque ſi hæc diſpliceant, quanquam cuique non pertinacius repugnanti placere poſſunt, conferri jubet Arab. عكش *incurrere*, *irruere in aliquid*. Hinc etiam in verſione pro *aſſilit* poni poteſt *incurrit* ſ. *irruit*, quod cum altero عكس omnino in ſignificationibus convenit. Cæterum hanc hujus loci explicationem non novam eſſe, ſed ab *Huntio* Anglo olim doctiſſimo allatam, diſci poteſt ex

Michaelis

Ut properat avis ad laqueum,
Neſciens hic agi vitam ſuam. —
24. Jam igitur, o filii, audite me,
Attendite ad ſermones meos.
25. Ne unquam ad ejus viam declines,
Aut ad ſemitas ejus oberres.
26. Nam multos confoſſos dejecit,
Et complures ſunt quos occidit.
27. Ejus domus via eſt ad inferos,
Deducens ad conclavia mortis.

CAPUT VIII

1. Clamat ſapientia, et prudentia vocem ſuam emittit *a*).
2. In faſtigio editorum locorum,
Juxta viam, inter ſemitas conſiſtit.
3. Ad latus portarum, ad introitum urbis,
In ingreſſu oſtiorum perſonat:
4. Vos viros alloquor!
Vox mea ad homines eſt directa:
5. Diſcite, imperiti, ſolertiam,
Vos, ſtulti, animum advertite!

Michaelis Bibl. Or. P. IX. p. 136. Certius modo eam probavit et ab objectionibus vindicavit *Arnoldi* l. l. dignus qui legatur.

a) cf. not. *e*) ad Cap. I.

6. Audite, nam præſtantia eloquar,
Quæ proferam, recta ſunt.
7. Vera loquor, abhorreo ab omni impietate.
8. Juſti ſunt omnes ſermones mei,
Nihil eſt in iis contortum aut perverſum.
9. Omnes ſunt plani intelligentibus,
Et recti, ſcientiam aſſecutis.
10. Appetite diſciplinam meam, non argentum,
Ac ſcientiam potius, quam aurum lectiſſimum.
11. Quia melior ſapientia eſt corallis,
Cum hac, quæcunque expetantur, non ſunt conferenda.
12. In promtu mihi eſt calliditas,
Et cognitio prudentiæ apud me eſt.
13. Jovam cultu, ſcelus odio proſequor *b*).
Superbiam, arrogantiam, malos mores et os perverſum odi.
14. Mihi eſt conſilium et animi firmitas,
Mihi eſt prudentia, mihi fortitudo.

15. Per

b) Sic verto ex conjectura *Dœderleinii*, qui recte obſervat lectionem receptam *timor domini odit malum* ſenſum dare nimis frigidum. Hinc acute conjectat, legendum eſſe יָרֵאתִי et שָׂנֵאתִי. Mirum eſt hujus lectionis nullum extare neque in verſſ. neque in Codd. a *Kennicotto* collatis; neque conjecturam adeo facilem et probabilem ulli interpretum, quod ſciamus, in mentem veniſſe.

15. Per me reges regnant,
Et conſiliarii leges juſtas ferunt.
16. Per me principes imperant,
Et ingenui omnesque terræ judices.
17. Ego amo qui me amant,
Meque, qui ſtudioſe quærunt, invenient.
18. Penes me ſunt divitiæ et gloria,
Opes perennes et duraturæ *c*).
19. Melior eſt meus fructus auro eoque puriſſimo,
Meusque proventus argento lectiſſimo.
20. Per juſtitiæ viam, per medios juris tramites duco *d*).

c) De עָתֵק non dubitatur. Conſentiunt fere omnes interpretes, excepto *Michaele*, (qui vertit *libertas*, vid. *Golius* p. 1520.) עתק cum הון conſtructum eſſe *durabile* et *manens*, quam ſignificationem pluribus illuſtravit *Schultenſius* ad h. l. Ultimum וּצְדָקָה facile quidem eſt, ſi vertatur ex vulgari ſignificatione, *juſtitia*. Aſt dubitari poteſt, num h. l. recte ſic explicetur, quoniam partim priori membro non bene reſpondet, partim v. 20. ut ſapientiæ attributum laudatur. Aſſentior propterea *Dœderleinio*, qui *opes juſtas* idem eſſe putat, quod *fidæ*, *veræ*, quæ opponuntur fallacibus הון שֶׁקֶר. Uti apud *Virgilium* Georg. 2. 461. *juſtiſſima tellus* dicitur, quæ præſtat, quod pollicetur.

d) Plerique interpretes אֲהַלֵּךְ: intranſitive explicant *ambulo*. Sed quia ſapientia jam oſtendit, non quod ipſe agat, ſed

21. Ut rem mei amantibus tradam poſſidendam,
Ut theſauros eorum impleam. —
22. Me Jova poſſedit in prima mundi creatione *e*),
Ante opera ſua, inde ab extremis temporibus.
23. Ab æternitate conſtituta ſum,
Principio, ante ortum terræ.
24. Cum nondum eſſet mare, genita ſum,
Cum fontes nondum eſſent aquis gravidati.
25. Priusquam defixi montes eſſent,
Ante colles ego genita ſum.
26. Cum nondum feciſſet terram ejusque circuitus,
Et ſummitatem terræ habitabilis.
27. Cum cælum aptaret, ego aderam,
Cum globum ſuper profunda circinaret.
28. Cum æthera ſuperne firmaret,
Cum fontes maris ſtabiliret.
29. Cum mari poneret terminum ſuum,

Ita

ſed quod agere faciat alios, et quæ aliis afferat emolumenta, melius videtur reddi intranſitive, *ambulare facio* ſ. *duco*. Sic dicitur הלך quoque Job. 24, 10.

e) Pluribus proſequitur et exornat Salomo inde ab h. l. usque ad verſ. 31. ea quæ jam Cap. 3, 19. 20. dixerat: Deum ſumma ſapientia mundum creaſſe. Cæterum de παρερμηνείας totius hujus loci, quem patres maxime antiquæ eccleſiæ, pie quidem ſed parum ſubtiliter aut accurate, de æterna filii Dei generatione et de creatione per eum totius univerſi explicarunt, dignus eſt, qui legatur *Dœderleinius* in Scholiis ad h. l.

Ita ut aquæ ejus oram non tranſirent,
Cum deſcriberet fundamenta terræ:
30. Ego ei artifex aderam et quotidiana oblectatio,
Exhilarabam eum perpetuo.
31. Delectabar terra ſua,
Mihi voluptati eſt verſari cum humano genere.
32. Jam igitur, o filii mei, audite me,
Beati ſunt, qui inſtituta mea ſervant.
33. Admittite diſciplinam meam et ſapite,
Ne eam rejiciatis!
34. O beatum hominem! qui me audit,
Qui excubat ad fores meas,
Et quotidie obſervat oſtiorum meorum poſtes.
35. Nam qui me invenit, vitam invenit,
Et obtinet a Jova favorem.
36. Qui aberrat a me, ſibi ipſi eſt infeſtus,
Qui me oderunt, amant mortem.

CAPUT IX

1. Sapientia domum ſuam exſtruxit *a*)

Ex-

a) Sub alia imagine ſiſtitur ſapientia, nempe tanquam regina, quæ palatium ſplendide exſtructum inhabitet, in quo convivium paravit, ad quod omnes, pauperes quoque, invitet. Tota allegoria ex moribus orientalium explicanda eſt, neque in ſingulis ejus partibus, quæ tantum ad fictionis perfectionem et ornatum pertinent, argutandum.

Exciſis ſeptem ejus columnis.
2. Paravit convivium,
Libavit vinum, inſtruxit menſam.
3. Mittit pediſſequas ſuas,
Et clamat ex locis urbis altis atque elatis:
4. Qui ſtultus eſt, huc divertat!
Et ex cordibus dicit:
5. Agite! comedite cibum meum,
Bibite vinum, quod temperavi.
6. Deſerite ſtultos et vivite,
Atque incedite in via prudentiæ.
7. Qui arguit hominem profanum, accipit ignominiam.
Qui impium increpat, macula adſpergitur.
8. Noli increpare profanum, ne forte te oderit,
Increpa ſapientem et te diliget.
9. Da ſapienti et ſapiet magis,
Doce juſtum et creſcet in doctrina.
10. Initium ſapientiæ eſt timor Domini,
Et ſcientia ſanctiſſimi intelligentia.
11. Nam per me multi erunt dies tui,
Et addentur tibi anni vitæ.
12. Si ſapiens fueris, ſapiens eris tibi,
Si illuſor fueris, ſolus pœnas lues. —
13. Stultitia, garrula, veſana, omnium rerum ignara *b*),
14. Sedet

b) Imago præcedenti oppoſita; Stultitia nempe, quæ et ipſa

14. Sedet pro foribus domus ſuæ,
In throno, in elato urbis loco,
15. Vocat tranſeuntes, iter in via recta facientes:
16. Qui ſtultus eſt, huc divertat *c*)!
Et amentem ſic alloquitur:
17. Aquæ furtivæ dulces ſunt,
Et panis clandeſtinus ſuavis. — *d*)
18. Ille vero ignorat, manes ibi degere,
Atque invitatos ab ea in profundis inferni.

CAPUT X

Sententiæ Salomonis *a*):

1. Filius

ipſa tanquam mulier ſiſtitur, quæ etiam dapes ſuas afferat prætereuntibus, ſed noxias et perniciosas iis, qui eis fruuntur.

c) Obſervetur elegans mimeſis in hac ſtultitiæ acclamatione. Iisdem utitur verbis, quibus Sapientia verſ. 4. homines ad ſe invitarat.

d) Senſus troporum non eſt difficilis; Voluptatum et rerum illicitarum fruitio augetur eo, quod vetitæ ſint et clam peragantur. Idem illud eſt, quod Ovidius dicit: *Nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata. Sic interdictis imminet æger aquis.*

a) Incipit altera pars libri. Priora novem capita præfationem ſ. introductionem quandam conſtituunt, in quibus ſapientiæ et virtutis præſtantia univerſe commendatur, et ſapientiæ diſcipulus, ab illecebris voluptatum

ut

Digitized by Google

1. Filius ſapiens patrem exhilarat,
Filius ſtultus mœror eſt matris ſuæ.
2. Nihil proſunt divitiæ improbe partæ,
Sed liberalitas *b*) eripit e morte.
3. Jova explet piorum deſideria *c*),
Cupiditatem vero impiorum repellit.
4. Pauper fit, qui agit manu remiſſa,
Strenua manus ditat.

5. Qui

ut ſibi caveat, in primis admonetur. Non improbabilis videtur *Eichhornii* ſententia (in Introduct. in V. T. P. III. p. 458. edit. ſecundæ) novem illa capita olim ut peculiarem libellum fortaſſe ab ipſo Salomone édita fuiſſe, collectorem autem horum ἀποφθεγμάτων eum collectioni ſuæ, utpote argumento ſuo minime alienum, præfationis loco præpoſuiſſe. Quidquid ſit, nova quæ ſequuntur et quorum auctor Salomo perhibetur מְשָׁלִים ἀποφθέγματα ſunt proprie ſic dicta, quorum ſingula ſingulos verſus abſolvunt, neque plures verſus uti in prioribus capitibus cohærent.

b) hebr. צְדָקָה ſæpe ſignificat *beneficentiam*, e. c. Pſ. 51, 16. 112, 9. et in N. T. 2 Cor. 9, 10. Eadem fere ſententia repetita legitur Cap. 11, 4.

c) Ad verbum eſt: *non deſiderare* ſ. *cupere facit Jova appetitum probi*. Sic رغب apud Arabes (*Golius* p. 1008.) נֶפֶשׁ autem h. l. non *anima* verti poteſt propter הַוָּה *deſiderium*, *cupiditas*, ex ſignificatione τοῦ הוה هوى *concupivit*, *deſideravit*.

5. Qui æſtate colligit, prudenter agit,
Qui dormit meſſis tempore, turpem ſe præbet.
6. Bene precantur viro bono *alii*,
Sed os impii claudit malevolentia *d*).
7. Memoria juſti eſt laudata,
Sed nomen impiorum fœtet.
8. Sapiens admittit præcepta,
Sed ſtultus garrulus præceps ruit.
9. Qui recta via incedit, eſt ſecurus,
Qui fraudes nectit, pœnas dabit *e*).
10. Qui annuit oculo, affert dolorem *f*),
Et ſtultus nugator præceps ruit.
11. Fons vitæ eſt os juſti,

Os

d) ſcilicet, quo minus et ipſe laudet virum bonum.

e) In textu eſt: יִוָּדֵעַ quod de pœnis, quas quis ſentit aut experitur, dici, probavit *Schultenſius*, cf. obſervat. ad Pſ. 14, 4. *Dœderleinius* eleganter conjectat legendum eſſe יֵרוֹעַ *timet* a רוֹעַ *timere* ex ſignificatione Arab. vid. *Golius* p. 1063. Parallelismus membrorum et Cap. 11, 15. favent conjecturæ. Attamen dubitavi eam in verſione ponere propter conſenſum antiquiorum interpretum in lectione recepta.

f) *Annuere* ſ. *nictare oculis* eſt geſtus hominis alios illudentis. cf. 6, 13. Is dolorem affert h. e. nocet, ſc. ſibi; nam in altero membro pœna, quam nugator luit, opponitur.

Os impii claudit malitia *g*).

12. Odium excitat rixas,
Sed aliorum peccata lubenter excuſat amor.

13. Ex ſermonibus ſapientis percipitur ſapientia,
Verberibus caſtigandus eſt ſtultus.

14. Sapientes condunt ſcientiam,
Os ſtulti eſt contritio propinqua *h*).

15. Divitiæ divitis ſunt ei urbs munita,
Deſtructio pauperum eſt eorum egeſtas.

16. Juſtus quæſtu, quem fecit, prodeſt.
Injuſtus proventu ſuo peccat.

17. Qui emendationem admittit, *aliis quoque* viam vitæ monſtrat.
Qui rejicit diſciplinam, ſeducit alios.

18. Qui tegit odium, mentitur.
Qui effert calumniam, eſt nequam.

19. In multitudine verborum non deeſt prævaricatio,
Sed qui coercet labia ſua, prudenter agit.

20. Ut argentum probatum eſt lingua juſti,
Cor impiorum pro nihilo eſt.

21. Labia

g) ſc. quo minus bona et utilia, ut vir probus, proferre poſſit. cf. v. 6.

h) Alterum membrum ex altero eſt ſupplendum: ſapiens ſcientiam apud ſe reconditam *profert in aliorum utilitatem.* Stultus *ea ſcientia carens* nil niſi inutilia imo noxia profert. cf. obſervat. ad Pſ. 1, 6.

21. Labia juſti paſcunt multos,
Sed ſtulti ob mentis penuriam moriuntur.
22. Benedictio Jovæ ditat,
Nec habet ſecum conjunctam moleſtiam.
23. Ut gaudet impius de patrando facinore,
Sic ſapiens de prudenter factis.
24. Quod timet impius, venit ei ut proventus;
Deſiderium juſti fructus percipit *i*).
25. Quum irruerit tempeſtas, non eſt impius;
At pius habet fundamentum æternum.
26. Sicuti acetum dentibus *k*) et fumus oculis *nocet*,
Sic

i) Acumen ſententiæ eſt in uſu vocabulorum tropicorum בּוֹא et נָתַן. *Illud* dicitur de proventu ex agris, vineis et hortis, ut ſubſtantivum תְּבוּאָה e. c. Hagg. 1, 6. 2 Sam. 9, 10. Hoc idem ſignificat quod בּוֹא omiſſo ſubſtantivo פְּרִי cum quo alias conſtruitur, e. c. Pſ. 1, 3. Levit. 25, 19. 26, 4. Hinc *formido* impii tanquam ſemen futuræ infelicitatis conſideratur, cujus proventum impii ſuo tempore metunt. *Deſiderium juſtorum* eſt ſpes, quam in Deo ejusque promiſſionibus ponunt. Qua non excidunt, ſed fructus aliquando largos adipiſcuntur. Sic *Schultenſius*.

k) Acetum nocet dentibus, dum eos ſæpe inhabiles reddit ad manducandum (Germanice dicitur: *er macht die Zähne ſtumpf*). Saltem in hominibus bene multis hoc fit. Nam non omnes hoc incommodum ſentiunt ex

 eſu

Sic piger illis, qui eum mittunt.

27. Timor Jovæ auget dies vitæ,
Sed anni impiorum abbreviantur.

28. Expectatio piorum ſit lætitia,
Sed ſpes impiorum perit.

29. Arx munita eſt integro religio,
Terror peccatori.

30. Juſtus in æternum non nutabit,
Impii vero terram non habitabunt.

31. Os juſti progerminat ſapientiam,
Lingua autem perverſe loquens exſcinditur *l*).

32. Labia juſti amant gratiam,
Os impii perverſitatem.

CAPUT XI

1. Fraudulentam trutinam abominatur Jova,
Sed pondus integrum ei placet.

2. Superbiam ſequitur ignominia,
Cum modeſtis eſt ſapientia.

3. Probos ſua ducit integritas,
Perfidos ſua perdit malitia.

4. Nihil proſunt divitiæ tempore calamitatis,

Sed

eſu aceti aut fructuum acidorum. Quo obſervato oppoſitio facilis eſt et vera.

l) Vocabula tropica ſumta ſunt ab arbore, quæ, ſi bona eſt, fovetur et nutritur. Si mala, feræ ejus propagines aut fructus corrupti abſcinduntur.

Sed liberalitas ſervat a morte *a*).

5. Juſtitia integri ejus viam complanat,
Impietate ſua cadit impius.

6. Juſtitia probos ſervat,
Et pravitate ſua capiuntur perfidi.

7. Cum morte hominis impii perit ſpes *ejus*,
Et expectatio opum fallit.

8. Juſtus ex anguſtia liberatur,
Et venit impius in locum ejus.

9. Sermonibus ſuis perdit hypocrita alios,
Sed prudentia bonorum eripiuntur.

10. Proborum felicitate lætatur civitas;
Cum pereunt impii, exultat.

11. Piis votis bonorum evehitur civitas,
Et ore impiorum evertitur.

12. Spernit alios homo ſtultus,
Vir prudens tacet.

13. Fraudulentus delator revelat ſecretum,
Homo fidelis tegit rem occultam.

14. Ubi nulla eſt gubernatio, corruit populus,
Salus eſt (ſc. publica) in multitudine conſiliariorum.

15. Periculo haud levi obnoxius eſt, qui fidejuſſerit pro alio,
Sed qui odit manum depangentis, eſt ſecurus *b*).

a) cf. Cap. 10, 2.

b) Vide ſimilem ſententiam Cap. 6, 1. ſeqq.

16. Mulier gratioſa conſequitur gloriam,
Viri ſtrenui potiuntur divitiis.

17. Qui ſui curam non negligit, erga alios quoque eſt benignus,
Et qui nimia in ſe ipſum ſeveritate utitur, *in alios quoque* eſt crudelis.

18. Impius laborat pro mercede incerta,
Probus ſerit cum ſpe certa lucri.

19. Firmum juſtitiæ ſtudium vitam confert;
Qui malum ſectatur, ad mortem properat.

20. Abominatur Jova mente perverſos,
Placent ei bene morati.

21. Hæredes *c*) impii non erunt impuniti,

Poſteri

c) In textu eſt יָד לְיָד quæ formula præter h. l. ſemel tantum infra Cap. 16, 5. obvia diverſimode explicatur. *Schultenſium* ſecutus ſum in verſione, qui primo in Animadverſſ. philol. ad h. l. hanc explicationem dedit, deinde in Commentario repetiit. Nimirum ex lingua perſica eam illuſtravit, in qua *e manu in manum* dicitur de eo quod jure ſucceſſionis aut hæreditatis ad alterum pervenit. Favet huic ſententiæ maxime alterum membrum, in quo *poſteri piorum* illis *hæredibus impiorum* opponuntur. Ex eadem ratione minus apta eſt eorum explicatio, qui vel de conſpiratione ſ. virium conjunctione, vel de contentionibus verba intelligunt. Quod cum probe videret *Dœderleinius*, qui hanc poſteriorem explicationem præfert, perquam ingenioſe וְזֶרַע

poſte-

Poſteri vero juſtorum periculum evadent.

22. Ut narium ornamentum decet porcum:
Ita mulierem inſipidam pulchritudo.

23. Deſiderium piorum tantum bonum eſt,
Spes impiorum omnem modum excedit *d*).

24. Alius largitur et fit ditior,
Alius præter æquum parcus eſt et fit indigentior.

25. Qui liberalis eſt, ipſe opimabitur,
Et qui irrigat, ipſe irrigabitur *e*).

26. Qui frumentum prohibet, ei populus maledicit;
Fauſta exoptant ei qui vendit frumentum.

27. Qui bono ſtudet, quærit benevolentiam *f*);
Qui malum quærit, ei eveniet.

28. Qui ſuis divitiis confidit, cadit,

poſterioris membri legit וזְרֹעַ *brachium* piorum perrumpit, *der Arm des Gerechten ſchlägt ſich durch.* At enimvero tota ſententia hoc ſenſu explicata diſplicet, nec ſatis vera videtur.

d) hebr. עֶבְרָה *excandeſcentia.* Malim legere עָבְרָה quod verbum ſæpe dicitur de perruptione et inundatione fluminis, ideoque indicat immodicum affectum ſ. impetum, quo impii ſuis cupiditatibus abripiuntur. Cum contra pii ſua deſideria voluntati divinæ ſubmittant.

e) Qui beneficus eſt in alios, aliorum beneficentiam rurſus experitur.

f) Bene merendo de aliis conſequimur laudem et favorem aliorum.

Sed tanquam frons juſti germinant.

29. Qui bona illegitima domum ſuam infert, ventum poſſidet,

30. Quod juſtus acquirit, eſt inſtar arboris vivæ *g*).

29. Inſervit ſtultus ſapienti,

30. Sapiens omnes in ſui aſſenſum rapit.

31. En! pius jam in hac vita traditur neci *h*),
Quanto magis impius et peccator!

CAPUT

g) Fruſtra laborant interpretes in nexu membrorum horum verſuum oſtendendo, quæ nullo modó ſibi reſpondent. Sed acute vidit *Dœderleinius*, primum comma tertio, ſecundum quarto reſpondere, et hinc ſententiam dicit eſſe tetracolon. At dubito an hic ipſe ordo commatum vulgaris a Salomone ſit, nam ſententiæ ipſæ verſ. 29. et 30. nullum inter ſe nexum habent, quod tamen eſſe ſolet in ſententia quatuor membris enunciata. Hinc potius arbitror ſcribarum errore membra eſſe trajecta. Sic autem ex Viri ingenioſiſſimi eleganti conjectura ſuo ordini ſunt reſtituta.

h) Vulgo ſed vario ſenſu vertitur, *rependitur juſto.* At tunc eſſe deberet לַצַּדִּיק. Non video, quid obſtet quo minus hunc ſenſum h. l. tribuamus, quem οἱ ὁ indicarunt, et quem Petrus 1 Epiſt. 4, 18. ſua allegatione comprobavit: *εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται*, h. e. nec juſtum adeo et pium in hac vita liberum eſſe a calamitatibus et afflictionibus,

CAPUT XII

1. Qui diſciplinam amat, amat ſcientiam;
   Qui odit diſciplinam, ſtultus eſt ſ. manet.
2. Bonus a Jova favorem impetrat,
   Et virum flagitioſum damnat.
3. Non ſtabilis eſt homo in impietate,
   Sed radix juſtorum ſtat immota.
4. Mulier magno animo prædita, eſt mariti ſui ornamentum.
   Et veluti putredo in oſſibus ejus eſt invenuſta *a*).
5. Cogitationes juſtorum ſunt æquæ,
   Conſilia impiorum ſunt fraudulenta.
6. Impii ſuis ſermonibus aliorum vitæ inſidiantur,
   Sed pii eos eripiunt *periculo*.
7. Evertuntur impii ut non ſint,
   At juſtorum domus perſiſtit.
8. Propter prudentiæ maturitatem homo laudatur,
   Sed perverſus contemnitur.
9. Melior eſt ignobilis et ſibimet ipſe ſervus,
   Quam is qui ſe jactat et pane caret.

R 4 10. Cu-

bus, multo minus impium aut peccatorem hoc ſperare poſſe. Verbum autem שִׁלֵּם ſignificare quoque *tradere in poteſtatem ad vexationem*, probavit *Schultenſius* ad h. l. et ad Job. 23, 14.

a) Fugiunt omnes ejus conſuetudinem.

10. Curam habet juſtus vel jumenti ſui,
Sed ipſæ miſerationes impiorum ſunt crudeles.

11. Qui colit terram ſuam, ſaturabitur pane.
Qui rebus vanis operam dat, excors eſt.

12. Cupide appetit impius arcem malorum,
Radix piorum fructus fert *b*).

13. Sermones prævaricantes laqueus ſunt perniciofus,
Vir probus evadit periculo.

14. Qui utilia loquitur, percipiet ipſe utilitatem;
Cujus manus bona conferunt, habebit retributionem.

15. Stulto ſui mores probi videntur,
Sapiens obtemperat aliorum monitis.

16. Stultus ſtatim declarat indignationem ſuam,
Callidus occultat ignominiam *ſibi illatam*.

17. Qui verax eſt, verum loquitur,
Teſtis falſus ſemper mendax *eſt* ſ. *habetur*.

18. Garrulus ſimilis eſt gladio acuto,
Sermones ſapientum medicinæ.

19. Viro veraci ſemper creditur,
Mendaci tantum ab breve tempus.

20. Fal-

b) De ſententia obſcuriori ſic mihi videtur: *Arx malorum*, quam impii optant, eſt ſecuritas a malis, quæ timent, quam vero fruſtra appetunt et deſiderant; ſecundum oppoſitionem alterius membri. Hæc ſecuritas tribuitur juſtis, vocabulo tropico *radicis*, quo conſtans et firma indicatur felicitas, coll. verſ. 3. Hæc *fructus fert* יתן ſc. פרי vid. obſ. ad 10, 24.

20 Falluntur *c*) qui mala machinantur;
Qui utilia ſuadent, lætitiam percipiunt.

21. Non deſiderat probus ullam iniquitatem *d*);
Pleni ſunt impii malitia.

22. Abominatur Jova loquentes mendacia,
Homines veraces amat.

c) hebr. מִרְמָה בְּלֵב *dolus eſt in animo.* Sic מרמה pro *ſpe fruſtrata* etiam uſurpatur Cap. 14, 8.

d) Litotes: fugit eam ſ. vehementer averſatur. Sed ſecutus ſum aliam lectionem. Nam lectio textus recepta לֹא־יְאֻנֶּה לַצַּדִּיק כָּל־אָוֶן non commodam admittit explicationem; Sive אָוֶן vertas *calamitatem*, ſententia propter innumera exempla, quæ contrarium probant, non ſatis vera videtur; Sive vertas *iniquitatem*, verbum יְאֻנֶּה *eveniet* ſ. *obveniet* non ſatis aptum eſt, pro quo יֵעָשֶׂה aut aliud ſimile eſſet adhibitum. Præferenda igitur videtur lectio יְאֻוֶּה *deſideratur*, quam οἱ ό, *οὐκ ἀρέσει τῷ δικαίῳ οὐδὲν ἄδικον*, Syrus et Chaldæus habent לא שָׁפִּיר לְגַבְרָא זַדִּיקָא מֶדֶם דְעֶתָא *non pulcrum eſt juſto quicquam iniquitatis.* Commendavit jam hanc lectionem pluribus *Schnurrerus* in Diſſertat. ad quædam loca Proverbiorum Salom. Tubingæ 1776. habita. Placuit quoque *Michaeli*, qui eam in verſ. ſua germ. expreſſit, ſed און vertit *calamitas*, der Gerechte hat kein Vergnügen am Unglück. Des Ungerechten Gedanken ſind voll davon. Minus commode, uti arbitror. Sed non attinet plura de eo h. l. dicere.

23. Prudens tegit quod ſcit,
Stultus prædicat ſtultitiam ſuam.

24 Manus ſedulorum dominatur,
Manus remiſſa fit tributaria *e*).

25. Sollicitudo animum hominis deprimit,
Sermones humani eum erigunt.

26. Explorat paſcuum ſuum probus *f*),
Impiorum via eos in errorem ducit.

27. Non excitat homo piger prædam ſuam *g*),

Pre-

e) Piger perpetuo aliorum conſilio indiget et ab aliis dependet. Quod eleganter tributum vocatur, quod pendere cogatur aliis.

f) Pro מֵרֵעֵהוּ lego מִרְעֵהוּ ut *Michaelis* et *Dœderleinius*. Sed verti quoque poteſt: *explorat probus amicum* ſ. *ſocium ſuum* מֵרֵעֵהוּ. Illud tamen præfero, quod melior eſt oppoſitio inter *paſcuum* viri probi et inter *viam* hominis impii. Senſus non eſt difficilis: Caute et circumſpecte agit probus in rebus ſuis, hinc etiam proſperum ſucceſſum habent; quod in altero membro negatur quoad impios, qui illam piorum circumſpectionem negligunt.

g) Verbum *ἅπαξ λεγ.* חָרַךְ ſatis, uti arbitror, illuſtravit *Schultenſius*. In lingua Arabica حرك eſt *movere*, *excitare*, ſpeciatim prædam excitare ex cubili, quæ ſignificatio aptiſſima eſt τῷ צַיִד quod primo quidem *venationem*, deinde vero, ut alia ſimilia, metonymice quoque de eo dicitur, quod venatione capitur. Neque

ſenſus

Pretioſiſſimæ hominis divitiæ ſunt ſedulitas.

28. In tramite virtutis eſt vita,
Via aggerata ſ. regia ad mortem *h*) ducit.

CAPUT XIII

1. **F**ilius, ſapiens fit, caſtigatus a patre *a*);
At irriſor, qui non audit increpationem.

2. Ex frugibus boni tantum comeduntur,
Appetitus peccatorum fertur in cruda.

3. Cau-

ſenſus eſt difficilis: *homo piger fugit* laborem, quo victum ſuum ſibi comparare poſſet. Cui in altero membro bene reſpondet ſtudium hominis ſeduli, qui nullam quæſtus faciendi occaſionem prætermittit; in quo vero verba transponenda ſunt הוֹן יְקַר חָרוּץ. Sic *οἱ ό* et Syrus. Similis ſententia Cap. 10, 4. cf. Repertorium pro Literat. Orient. P. II. p. 268.

b) Pro אַל haud dubie eſt legendum אֶל. Sic *οἱ ό*, Vulg. Syrus et Chald. nec non tres Codd. Erfurt. et Regiomont. poſterior. cf. *Lilienthalius* in Commentat. crit. p. 423. In explicatione vocabuli נְתִיבָה aſſentior *Schultenſio*, qui non per *ſemitam* (ein Fuſsſteig) explicat, ſed potius de *via eminenti, aggerata, regia*, ex origine verbi نتب *eminuit*. Convenit ſententia Chriſti, Matth. 7, 13. *via lata eſt, quæ ducit ad perniciem.*

a) hebr. מוּסַר h. l. non eſt ſubſtantivum, ſed participium Conjug. Hophal, in regimine, *caſtigatus patris*. Sic *Schultenſius* et *Dœderleinius*. Utiliſſimum præceptum diſſuadens parentum nimiam erga liberos indulgentiam.

3. Cautus in ſermonibus ſaluti ſuæ conſulit,
Impudenter loquax parat ſibi ruinam.

4. Appetit et tamen caret, piger,
Sed appetitus ſedulorum abunde expletur.

5. Sermones frivolos odit juſtus,
Impius putidum ſe turpemque præbet.

6. Virtus ſervat viam rectam,
Vitium lubrica facit devia.

7. Eſt qui ſe divitem ſimulet, cum nihil habeat;
Eſt qui ſe pauperem ſimulet, cum ſit opulentus *b*).

8. Vitam ſæpe ſervant homini divitiæ ſuæ,
At pauper non audit increpationem *c*).

9. Lux juſtorum clare lucet,
Lucerna impiorum extinguitur *d*).

10. Inſcitia *e*) cum ſuperbia gignit rixam,

At

b) Facit hoc homo cautus, qui temperat ſibi a luxu aut a ſumtibus minus neceſſariis, hinc non caret.

c) Divitiarum et paupertatis adjunctum exponitur. Illæ non raro homini utiles ſunt in vitæ adeo periculo. Hæc ſecurum præſtat hominem a multis vexationibus et injuriis, quibus dives eſt expoſitus a potentioribus, ſive ab hoſtibus, belli maxime calamitate.

d) Piorum felicitas conſtans eſt, immo augetur; contra impiorum fortuna mutabilis eſt et ſubito perit.

e) רַק eſt nomen a רִיק *vacuum eſſe*, hinc רֵק *ſtupor*, *inſcitia*, hinc רָקָא *ῥακά* apud Syrum Matth. 5, 22. *homo cerebro vacuus. Dœderleinius.*

At cum conſultantibus eſt ſapientia.

11. Divitiæ rerum vanarum ſtudii *f*) minuuntur,
Sed qui eas caute colligit, multiplicabit.

12. Prorogata expectatio mentem excruciat,
Arbor vitalis eſt deſiderium appropinquans.

13. Qui legem contemnit, noxam contrahet;
Qui præceptum veretur, ſalvus erit *g*).

14. Lex ſapientis eſt vitæ fons,
Ad mortis laqueos evitandos.

15. Sapientia ſe facilem et benignam præbet,
Mores malorum duri ſunt ſ. pertinaces.

16. Callidus ſcite et provide agit,
Stultus ſtultitiam prodit.

17. Nun-

f) hebr. מֵהֶבֶל multi explicant de malis artibus, quibus haud raro divitiæ comparantur. Sed hoc ſenſu, quod ſciam, alias הבל nunquam uſurpatur. Sæpe autem de ſtudio rerum vanarum et hic h. l. de luxu aliisque voluptatibus, quibus divitiæ diſſipantur. Sic alteri membro bene reſpondet. — עַל יָד de diligenti cuſtodia obvium eſt 1 Sam. 17, 22. 2 Reg. 22, 5. 9. 1 Paral. 26, 28.

g) Pro יְשֻׁלָּם *retributionem accipiet*, lego יִשְׁלַם. Melior videtur oppoſitio ad יְחָבֵל. Sic quoque legerunt οἱ ὁ, qui vertunt *ὑγιανεῖ*. Vulg. *in pace verſabitur*. Syrus ܢܫܠܡ *ſalvabitur*. Chaldæus tantum iisdem punctis legit: מְשְׁתַּלֵּם טָבְתָא *penſabitur bono*.

17. Nuncius impii incidit in malum,
Legatus bonorum ſalvus erit.

18. Paupertas et ignominia eſt aſpernanti correctionem;
Qui diſciplinam admittit, honorabitur.

19. Cupiditas interdicta delectat,
Horrent impii a malo recedere *h*).

20. Qui cum ſapientibus verſatur, fit ſapiens;
Stultorum familiaris damno afficietur.

21. Impios perſequitur malum,
Pios remunerat bonum *i*).

22. Vir bonus hæredes relinquit nepotes ſuos,
Divitiæ peccatoris ſervantur juſto.

23. Victum

h) Diſſenſus interpretum in explicatione verborum תַּאֲוָה נִהְיָה ſatis probat ambiguitatem, aut difficultatem ſententiæ. Facillima mihi videtur explicatio, quam *Arnoldi* l. l. p. 106. attulit. Verbum נָהָה in lingua arabica eſt *interdicere aliquid* in oppoſitione ad אָמַר *imperare*. Sic eſt in Corani Cap. III, 104. 110. 114. Hinc ſi legatur נְהִיָּה in forma Participii Peil, ſententia eadem eſt, quam poeta latinus habet: *nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata.* — In altero membro tunc non eſt antitheſis, ſed conſequens, quod ex priori membro facile intelligitur.

i) Sic רעה et טוֹב non in ſenſu phyſico de *fortuna adverſa et ſecunda* ſumitur. Sed in ſenſu morali de *vitio et virtute*. Illud ſecum conjunctam habet pœnam, hæc ſuam remunerationem et præmium.

23. Victum large offert ager pauperum,
Opes perduntur ſine debita adminiſtratione *k*).
24. Qui virgæ parcit, odit filium ſuum;
Qui eum amat, correctionem maturat.
25. Juſtus comedit ad appetitus ſui ſatietatem,
Impiorum venter indiget.

CAPUT XIV

1. Sapiens mulier rem familiarem auget,
Stulta manibus ſuis eam evertit.
2. Qui probe ſe gerit, Jovam metuit.
Qui ab ejus inſtitutis recedit, eum contemnit.
3. In ore ſtulti ſurculus eſt ferus *a*).

Sapien-

k) Commendatur diligentia in laboribus. Pauper agrum, qui incultus jacuit, (nam hunc proprie ſignificat נִיר Jer. 4, 3. Hoſ. 10, 12.) colere incipit, et hinc habet, unde vivat. Contra divitiæ alterius perduntur, ſi non debitam diligentiam aut prudentiam in eorum adminiſtratione adhibet. — יֵשׁ h. l. ſubſtantivum eſt, ut Cap. 3, 28. pr. *ſubſtantia*, hinc *opes* et *divitiæ*. cf. *Schultenſius* ad l. c. et de aliis explicationibus et conjecturis *Dœderleinius* ad h. l.

a) Sententia eſt perquam obſcura et ambigua. Vocabulum חֹטֶר propter alterum locum, in quo legitur, Jeſ. XI, 1. videtur recte de ſurculo germinante ex arbore intelligi. Propterea placuit explicatio ſententiæ, quam *Dœder-*

Sapientum labia eos ſervant.

4. Ubi non ſunt boves, horreum eſt vacuum;
Copia frugum eſt in multitudine boum.

5. Teſtis verax eſt, qui non mentitur.
Qui loquitur mendacia, *eſt* ſ. *habetur* teſtis mendax *b*).

6. Quærit deriſor ſapientiam, nec eam invenit *c*);
Scientia intelligenti faciſis eſt *inventu*.

7. Si vel e regione ſteteris ſtulto *d*),
Nil ſani ex eo audies.

8. Sapientia prudentis eſt ſui ipſius cognitio,
Stultitia ſtolidorum fraus eſt *e*).

9. Peccatum nectit amicitiam improborum,
Inter probos eſt animorum conſenſio.

10. Suam quisque triſtitiam cognitam habet et perſpectam,
Sed nec lætitiæ ejus conſors ſit alius peregrinus.

11. Domus impiorum delebitur,

Et

Doederleinius dedit: Os comparatur cum arbore, cujus ſurculi חֹטֶר ſunt verba, quæ in ſtulto ſunt fera, non putata, h. e. loquitur ſine prudentia. cf. 16, 31.

b) cf. 12, 17.

c) Nempe, dubitat ſine ratione. Videt difficultates, ubi nullæ ſunt. Valet hoc in primis de virtutis et religionis præceptis.

d) ſc. ut eo melius eum loquentem audias.

e) h. e. ſe ipſos fallunt. Sic מִרְמָה Cap. 12, 20. adfuit.

Et tabernaculum rectorum florebit.

12. Sæpe ſua inſtituta hominibus recta videntur *f*),
Quorum exitus ducit ad mortem.

13. Etiam in riſu dolet cor,
Et exitus lætitiæ eſt triſtitia.

14. Virtutis deſertor fructus perfidiæ ſuæ abunde percipit,
Item vir bonus operum ſuorum *g*) mercedem.

15. Imperitus credit omnia quæ dicuntur,
Cautus greſſus ſuos perpendit.

16. Sapiens timet et declinat malum,
Stultus affectu ſuo indulget et eſt ſecurus.

17. Iracundus multa temere agit,
Et homo verſutus eſt exoſus.

18. Hæreditate poſſident ſimplices ſtultitiam,

Sed

f) cf. 12, 15.

g) In textu vulgari legitur וּמֵעָלָיו *et ex ſe ipſo*, ſenſu perquam incommodo. Sed jam *Cappellus* in Crit. Sacr. Lib. IV. Cap. 17. p. 734. edit. Halenſ. recte conjectavit ex verſione græca legendum eſſe מִמַּעַלְלָיו ſive מַעַלְלָיו *ex operibus ſuis*. Vertunt enim οἱ ὁ, ἀπὸ δὲ τῶν διανοημάτων αὐτοῦ, et qui eos ſequitur Arabs: *ex operibus ſuis*. Sic quoque de hac lectione judicarunt *Hubigantius* et *Dœderleinius*, qui præterea apte citat locum Zach. 1, 6. in quo דרך et מעלל junguntur.

S

Sed callidi ſtrenue ſectantur ſcientiam *h*).

19. Submittunt ſe impii bonis,
Et impii adſtant in foro juſtis *i*).

20. Etiam familiari ſuo inviſus eſt pauper,
Dives multos habet amicos.

21. Qui amicum *pauperem* contemnit, peccat,
Sed qui ejus miſeretur, beatus eſt.

22. Falluntur qui mala cudunt conſilia,
Certum favorem conſequuntur qui bona intendunt.

23. In ſtrenuo labore eſt lucrum,
Qui intra verba ſubſiſtit, ſit egenus.

24. Ornamentum ſapientum ſunt divitiæ,
Opulentia ſtultorum eſt ſtultitia *k*).

25. Vitam

b) In priori membro נָחַל non tam eſt *accipere*, quam *rem acceptam poſſidere et tenere*, ut Jer. 16, 19. Pſ. 119, 111. In poſteriori membro כָּתַר in Hiphil *cingere ſe* eſt *ſtrenue ſectari*, *adhærere*, ut Pſ. 142, 8.

i) Malus non poteſt non admirari virtutem viri boni. In judicio maxime reveretur judicem ab omni partium ſtudio alienum.

k) In textu eſt elegans paronomaſia, quæ in lingua latina non poteſt exprimi. Etenim אִוֶּלֶת duplici ſenſu dicitur; ex ſignificatione primaria אול *craſſum eſſe* ſignificat *craſſitiem* ſ. *pinguedinem*, et hinc vel *divitias* vel *ſtoliditatem* ſ. *ſtuporem*, ut græcorum *παχὺς* et *παχύτης* et latinorum *ingenium pingue*, pro homine ſtolido, omni

acumine

25. Vitam ſervat teſtis verax,
Mendacia loquitur teſtis doloſus.

26. In timore Dei eſt firma fiducia,
Filiis ſuis præbet refugium.

27. Religio eſt fons vitæ,
Ad declinandos mortis laqueos.

28. In multitudine populi eſt gloria regis,
In defectu hominum eſt ruina principis *l*).

29. Ad iram tardus magnam oſtendit prudentiam,
Iracundus prodit ſtultitiam.

30. Vita corporis eſt animus mitis,
Putredo oſſium eſt invidia.

31. Qui tenui facit injuriam, contumelia afficit ejus conditorem,
Honorat eum, qui miſeretur pauperis.

32. Impius in calamitate ſua concutitur,

acumine deſtituto. Senſus igitur eſt: Stulti, ſi quoque divitiis abundant, tamen ingenio deſtituuntur. Plura dabunt *Schultenſius* et *Dœderleinius*.

l) Ex lectione textus recepti eſt רָזוֹן *macies, tabes*, a רָזָה *emaciavit;* hinc מְחִתַּת רָזוֹן eſſet *contritio attenuans*. Sed oppoſitio membrorum ſatis probat et commendat lectionem, quam interpretes antiqui omnes exhibent, nempe רְזוֹן. *οἱ ό, συντριβὴ δυνάστου*, Vulg. *ignominia principis*, Syrus: מַלְכָּא et Chaldæus: *conteritur* פַּרְנָסֵיהּ *gubernator ejus*.

Pius etiam in morte ſua confidit *m*).

33. In corde intelligentis requieſcit ſapientia,
Et *quod* in medio ſtultorum eſt, evulgatur *n*).

34. Virtus extollit gentem,
Opprobrium nationum ſunt vitia.

35. Gratiam regis impetrat miniſter prudens,
Iram ejus ſentit ineptus.

CAPUT XV

1. Reſponſio mollis avertit iram,
Sed oratio moleſta iram excitat.

2. Lingua ſapientum amabilem reddit ſcientiam,
Os ſtultorum ebullit ſtultitiam.

3. In omni loco oculi Jovæ
Obſervant bonos et malos.

4. Lingua ſanans eſt arbor vitalis,
Lingua lubrica ventus confringens.

5. Stultus contemnit patris diſciplinam,
Sed qui obſervat redargutionem fit callidus.

6. In domo juſti ſunt opes ſtabiles ſ. firmæ,

Pro-

m) Luculentum teſtimonium cognitionis fidelium V. T. de immortalitate animæ ſ. vita futura poſt mortem. Impius immiſſa calamitate maximo terrore concutitur et agitatur. Neſcit quo ſe vertat. At pius etiam in ſummo et ultimo malo hujus vitæ, in morte, non terretur. Novit ad quem confugiat, ad quem abeat!

n) cf. Cap. 12, 23.

Proventus impii habet quo perdatur.
7. Labia ſapientum ſpargunt ſcientiam,
Cor ſtultorum quod non rectum eſt.
8. Ab impiorum ſacrificio abhorret Jova,
At preces piorum ei placent.
9. Abominatur Jova mores impii,
Sed juſtitiæ ſectatorem amat.
10. Pœna acerba infligetur ei qui viam deſerit,
Qui odit redargutionem morietur.
11. Manes et inferi Jovæ patent,
Quanto magis corda hominum.
12. Non placet homini profano ſi reprehenditur,
Hinc non converſatur cum ſapientibus.
13. Læta mens vultum exhilarat,
Mentis dolore animus excruciatur.
14. Prudens quærit ſcientiam,
Stultus ſectatur ſtultitiam a).

 15. Omnes

a) Lectio textualis habet פְּנֵי כְסִילִים *facies ſtultorum*, pro quo Maſorethæ in margine legi volunt פִּי *os*. Dubitari non poteſt, quin illa defendi poſſit, quod *Schultenſius* ſatis docuit: *Vultus ſtultorum paſcit ſtultitiam.* Oculos emittit et exultat in libero paſcuo etc. Sed ſi quæſtio critica, uti debet, ex teſtimoniis Codd. decidenda eſt, utique conſentiunt verſiones antiquæ in lectione marginali et viginti quinque Codd. a *Kennicotto* citati. Neutra lectio ſenſum afficit. Redundat פָּנִים ſive

Pius etiam in morte ſua confidit *m*).

33. In corde intelligentis requieſcit ſapientia,
Et *quod* in medio ſtultorum eſt, evulgatur *n*).

34. Virtus extollit gentem,
Opprobrium nationum ſunt vitia.

35. Gratiam regis impetrat miniſter prudens,
Iram ejus ſentit ineptus.

CAPUT XV

1. Reſponſio mollis avertit iram,
Sed oratio moleſta iram excitat.

2. Lingua ſapientum amabilem reddit ſcientiam,
Os ſtultorum ebullit ſtultitiam.

3. In omni loco oculi Jovæ
Obſervant bonos et malos.

4. Lingua ſanans eſt arbor vitalis,
Lingua lubrica ventus confringens.

5. Stultus contemnit patris diſciplinam,
Sed qui obſervat redargutionem fit callidus.

6. In domo juſti ſunt opes ſtabiles ſ. firmæ,

Pro-

m) Luculentum teſtimonium cognitionis fidelium V. T. de immortalitate animæ ſ. vita futura poſt mortem. Impius immiſſa calamitate maximo terrore concutitur et agitatur. Neſcit quo ſe vertat. At pius etiam in ſummo et ultimo malo hujus vitæ, in morte, non terretur. Novit ad quem confugiat, ad quem abeat!

n) cf. Cap. 12, 23.

Proventus impii habet quo perdatur.
7. Labia ſapientum ſpargunt ſcientiam,
Cor ſtultorum quod non rectum eſt.
8. Ab impiorum ſacrificio abhorret Jova,
At preces piorum ei placent.
9. Abominatur Jova mores impii,
Sed juſtitiæ ſectatorem amat.
10. Pœna acerba infligetur ei qui viam deſerit,
Qui odit redargutionem morietur.
11. Manes et inferi Jovæ patent,
Quanto magis corda hominum.
12. Non placet homini profano ſi reprehenditur,
Hinc non converſatur cum ſapientibus.
13. Læta mens vultum exhilarat,
Mentis dolore animus excruciatur.
14. Prudens quærit ſcientiam,
Stultus ſectatur ſtultitiam *a*).

a) Lectio textualis habet פְּנֵי כְסִילִים *facies ſtultorum*, pro quo Maſorethæ in margine legi volunt פִּי *os*. Dubitari non poteſt, quin illa defendi poſſit, quod *Schultenſius* ſatis docuit: *Vultus ſtultorum paſcit ſtultitiam*. Oculos emittit et exultat in libero paſcuo etc. Sed ſi quæſtio critica, uti debet, ex teſtimoniis Codd. decidenda eſt, utique conſentiunt verſiones antiquæ in lectione marginali et viginti quinque Codd. a *Kennicotto* citati. Neutra lectio ſenſum afficit. Redundat פָּנִים

ſive

15. Omnes dies hominis afflicti mali quidem ſunt,
Sed læta mens perpetuum eſt convivium *b*).
16. Præſtat tenuitas cum pietate,
Quam magnus theſaurus cum perturbatione.
17. Melius eſt convivium oleris cum amicitia,
Quam bos ſaginatus cum odio.
18. Homo iracundus excitat lites,
Longanimis eas componit.
19. Homini pigro videtur via ſua ſpinis obſepita,
Sed via induſtrii eſt exaggerata.
20. Filius ſapiens exhilarat patrem,
Homo ſtultus deſpicit matrem ſuam.
21. Dementi videtur via plana ſtultitia *c*),

Vir

ſive פֶּה, uti in priori membro לֵב ex genio linguæ. Propterea in verſione omiſi utrumque. Cæterum phraſis *paſci ſtultitia* recte confertur cum ſimili, *paſcere ventum*, et reſpondet τῷ בִּקֵּשׁ in priori membro.

b) Docetur hominem miſerum et afflictum non tam infelicem eſſe, quam videatur. Læta mens et animi tranquillitas ſæpe ei majorem præſtant felicitatem, quam is habet, qui divitiis omniumque rerum copia abundat.

c) Difficilior eſt explicatio relationis mutuæ utriusque membri. Mihi quidem placuit ea quam *Arnoldi* l. l. p. 113. attulit. Ex ſignificatione verbi سمح *leniter et facile inceſſit*, ſubſtantivum cui שִׂמְחָה in noſtro loco reſpondet, eſt *facilis inceſſus* h. e. via plana. Inter-

Vir prudens recta via incedit.
22. Irrita ſunt conſilia absque conſultatione,
Sed multitudine conſiliariorum firmantur *d*).
23. Eſt quod lætetur vir ſapiens de reſponſione ſua *e*),
Et tempeſtive dictum quam bonum eſt!
24. Tenet iter vitæ ſurſum vir prudens,
Ut declinet ab inferno deorſum.
25. Domum ſuperborum demolitur Jova,
Stabilit vero terminum viduæ.
26. Abominatur Jova cogitationes malas,
Placent ei *f*) ſermones ſuaves.
27. Perdit domum ſuam avarus,
Sed qui odit dona eam ſtabilit *g*).

terpreti græco hæc ſignificatio videtur fuiſſe non ignota, vertit enim שמחה *τρίβοι*, *viæ*, quanquam in reliquis parum apte.

d) Similis ſententia adfuit Cap. 11, 14.

e) hebr. שִׂמְחָה לָאִישׁ. Lætitiam intelligo non eam, quam vir prudens ipſe percipiat, dum ſe recte reſpondiſſe ſibi conſcius eſt; ſed eam, quam propter ſalutarem effectum reſponſionis ſuæ habere poſſit. Sic melior videtur relatio poſterioris membri ad prius.

f) hebr. *puri ſunt.*

g) In textu legitur יִחְיֶה quod ſi ex vulgari ſignificatione vertas, *vivet*, deeſt oppoſitio ad prius membrum. Sed ſi legatur יְחַיֶּה et explicetur ex ſignificatione pri-

28. Probus meditatur quid reſpondeat,
Improbus effutit mala.
29. Procul abeſt Jova ab impiis,
Piorum preces exaudit.
30. Hilaritas lætitia afficit,
Et bona fama vires corporis auget *h*).
31. Qui ſalutares admonitiones admittit,
Inter ſapientes degit.
32. Qui negligit diſciplinam, ſpernit animam ſuam.
Qui audit correctionem, fit ſapiens.
33. Timor Jovæ eſt ſapientiæ diſciplina,
Et gloriam præcedit afflictio.

CAPUT XVI

1. Homo poteſt conſilia capere,
Sed a Jova precum ſuarum exauditio ei eſt expectanda.
2. Suæ hominibus actiones puræ videntur,
Sed Jova mentes ponderat.
3. Committe Jovæ res tuas,
Et ſic perficientur tua conſilia.
4. Omnia procurat Jova ſuis cultoribus,
Im-

maria *compactum*, *firmum eſſe*, tranſitive, et repetatur בית ex priori membro, tunc aptiſſime poſterius membrum priori reſpondet. cf. *Arnoldi* l. l. p. 115.

h) hebr. *impinguat oſſa.*

Impium quoque quotidie alit *a*).

5\. Abominatur Jova mente ſuperbos,

a) Sic ſententiam perquam difficilem, in cujus interpretatione viri docti valde laborant, erudite atque ingenioſe vertit *Dœderleinius*, atque in nota ſubjecta recte obſervat diſſenſum interpretum venire fortaſſe ex eo, quod ultimam vocem רָעָה habuiſſent pro adjectivo, conſtruendo cum יוֹם, quod tamen fieret contra grammatices præcepta, cum hoc ſubſtantivum ſit generis fœminini, illud adjectivum generis maſculini. Igitur רָעָה vertit ut verbum in ſignificatione, in qua ſæpe obvium eſt, *pavit;* cui reſpondet in priori membro פָּעַל quod ipſum de cura Dei pro cultoribus ſuis uſurpatur Pſ. 31, 20. Porro לְמַעֲנֵהוּ non eſt præpoſitio *propter*, ſed participium Conjug. Hiphil ab עָנָה *reſpondit;* quod etiam in lingua hebr. de *obedientia* dicitur Eſ. 53, 7. ut in arabica *voluit*, *curæ fuit*. (*Golius* p. 1661.) Sic poſterius membrum priori optime reſpondet, atque ſententiam continet graviſſimam a Chriſto prolatam Matth. 5, 46. — His addo conſenſum antiquiſſimarum verſionum Syriacæ et Chaldaicæ quoad prius membrum, quæ ſic habent: *omnia opera Dei ſunt pro his qui obediunt ei.* Poſteriori membro Syrus inſeruit verbum ܡܬܢܛܪ *ſervatur*, ad ſententiam complendam, *impius ſervatur in diem malum*, quod vero Chaldæus omittit. Nihil dico de verſione græca, quod nimis multa de ea eſſent dicenda.

Quorum et poſteri non erunt impuniti *b*).

6. Miſericordia et veritate expiatur iniquitas,
Vera religio eſt fuga mali.

7. Quando Jova favet hominis conatibus,
Etiam inimicos ei conciliat.

8. Præſtat cum probitate tenuitas,
Quam multi proventus illegitime acquiſiti.

9. Homo quidem de rebus ſuis deliberat,
Sed Jova eas diſponit.

10. Quaſi oracula ſunt, quæ rex pronunciat.
Abſit, ut in judicio peccet!

11. Statera et bilances juſtæ Dei ſunt;
Opus ejus ſunt omnia pondera crumenæ *c*).

12. Impie agere, regibus ſit inviſum,
Nam juſtitia firmatur thronus.

13. Placeant regibus ſermones pii,
Et recte ſentientes diligant.

14. Ira regis eſt ut nuntius mortis,
Sed vir ſapiens eam pacat.

15. In ſereno vultu regis vita eſt,
Ejus favor eſt inſtar nubis pluviæ autumnalis *d*).

16. Ac-

b) cf. Cap. XI, 21.

c) Apud Iſraelitas pondus et menſura a Deo erat inſtituta et definita. Immutare eam erat peccatum contra Deum, ejus auctorem.

d) Quæ terram arefactam reficit et recreat.

16. Acquirere ſapientiam longe eſt præſtantius quam aurum;
Et prudentiam comparare longe melius quam argentum.
17. Via proborum declinat a malo,
Saluti ſuæ conſulit, qui circumſpecte agit in vita ſua.
18. Calamitatem ſuperbia,
Ruinam faſtus animi præcedit.
19. Melius eſt humiliari ſpiritu cum humilibus,
Quam dividere ſpolia cum ſuperbis.
20. Qui prudenter ſe gerit, felix eſt,
Et qui Jovæ confidit, ſalutem conſequitur.
21. Diſertus vocatur ſapiens,
Sermonum ſuavitas auget doctrinam.
22. Fons vitæ prudentia eſt eis qui ea præditi ſunt,
Et laqueus ſtulto ſtultitia *e*).
23. Sapiens ſapientes quoque ſermones profert,
Et auget doctrinam aliorum.
24. Inſtar mellis puriſſimi ſunt ſuaves ſermones,
Et guſtui dulces et corpori ſalubres.

25. Sæpe

e) Sic ſententiam difficiliorem vertit et explicat *Arnoldi* h. l. cui *Dæderleinius* aſſentitur. — מוּסָר h. l. in ſenſu deteriori dicitur pro *pœna* ſ. *laqueo*, ut 7, 22. 15, 10. Sic contra vulgarem ſententiam interpretum אִוֶּלֶת eſt ſubjectum poſterioris membri, et reſpondet שֵׂכֶל in priori membro.

25. Sæpe probantur homini ejus viæ,
Quarum exitus ducit ad mortem *f*).
26. Homo importunus ſibi ipſi moleſtiam faceſſit,
Clitellas ei imponit os ſuum *g*).
27. Homo impius malum parat,
Super labiis ejus eſt ignis vehemens *h*).
28. Calumniator excitat contentiones,
Et delator divellit familiares.
29. Homo malitioſus decipit alterum,
Et ducit eum per viam non bonam,
30. Obſtipat oculos ſuos ad excogitandas perverſitates;
Comprimit labia, decrevit malum.
31. Honeſta corona eſt canities

In

f) Adfuit hæc ſententia Cap. 14, 12.

g) Nexus utriusque membri non ſatis aptus videtur, ſi prius de induſtria hominis laborioſi explicatur, et poſterius de damno, quod ille experiatur propter oris ſui imprudentiam. Sed ſi ſubjectum eſt homo importunus aliis moleſtus, quam ſignificationem עָמֵל haud dubie habuit, ut Pſ. 7, 17. et prædicatum *ſibi ipſi moleſtus eſt* ſ. *nocet:* in poſteriori membro *damnum illud* ejusque cauſa efficiens phraſi tropica indicatur. Formulam ipſam *Schultenſius* ex lingua arabica et latina, in qua *clitellæ* eodem ſenſu dicuntur, more ſuo docte illuſtravit.

h) Arab. ضرب *percuſſit*, dicitur quoque de igne vehementiore. cf. Jac. 3, 5.

In via virtutis inventa.

32. Præſtantior eſt longanimis quam fortis,
Et qui animo ſuo imperat, quam qui urbem capit.

33. In gremium conjicitur ſors,
Sed a Jova eſt omnis ejus deciſio.

CAPUT XVII

1. Melius eſt fruſtum ſiccum cum pace,
Quam domus plena conviviis jurgioſis.

2. Servus prudens imperat filio immorigero,
Et inter fratres partem hæreditatis accipit.

3. Conflatorium argentum, catinus aurum,
Et corda probat Jova.

4. Malus eſt qui attendit malis ſermonibus,
Mendax eſt qui auſcultat dicta perverſa *a*).

5. Qui pauperem deridet, vituperat ejus creatorem,
Qui gaudet calamitate, non impune feret.

6. Corona ſenum nepotes,
Et gloria filiorum ſunt eorum patres.

7. Non decet ſtultum loqui de rebus magnis,
Quanto magis principem *non decet* mentiri.

8. Lapis pretioſus eſt munus ei qui illud accipit,
Quocunque ſe vertit *b*), proficit.

9. Qui

a) Scilicet cum approbatione. Qui hujusmodi ſermonibus lubenter intereſt, prodit animum jam corruptum.

b) ſc. munus. Siſtitur enim per proſopopoeiam ut perſona,

9. Qui tegit offenſiones, conciliat amicitiam;
Qui eas conſulto commemorat, auctor eſt diſcordiarum inter familiares.

10. Reprehenſio gravius afficit ſapientem,
Quam ſi percutias ſtultum centies.

11. Rebellis tantum quærit malum,
Sed legatus crudelis mittitur contra eum:

12. Minus periculoſum eſt occurrere urſo catulis ſuis orbato,
Quam ſtulto in ſtultitiæ ſuæ impetu.

13. Qui malum pro bono rependit,
A domo ejus malum non recedit.

14. Ut fiſſio aquarum, ita eſt initium rixæ.
Antequam *tota contentio* erumpat, litem dimitte.

15. Qui ſontem abſolvit et inſontem damnat,
Utrumque æque deteſtatur Jova.

16. Quid prodeſt pecunia ſtulto?
Ut emat ſapientiam? Sed caret intellectu.

17. Omni tempore amici ſe diligere debent;
Frater ad fortunam adverſam naſcitur *c*).

18. Stultus eſt, qui temere fidejubet pro altero.

19. Con-

ſona, cui aditus ubique patet. Sic non eſt continuatio tropi in priori membro, ſed nova imago, qua utilitas muneris pingitur.

c) Eſt Dei voluntas, ut amici ſeſe mutuo adjuvent tempore calamitatis.

19. Concupiſcit plagas, qui rixis delectatur;
Qui ore eſt inſolente, quærit ruinam *d*).
20. Qui perverſa mente eſt, bonum non conſequetur.
Qui verba ſua contorquet, incidit in malum.
21. Qui ſtultum gignit, ſibi mœrorem parit,
Nec fatui pater gaudebit.
22. Cor lætum vultum facit ſerenum *e*),
Animus afflictus exſiccat oſſa.
23. Impius munus clam accipit,
Et pro eo jus inclinat.
24. Præſens eſt intelligenti ſapientia,
Stultis vero longe remota.

25. Filius

d) *Arnoldi* l. l. p. 125. recte obſervat, verba prioris membri אֹהֵב פֶּשַׁע reſpondere verbis מְבַקֵּשׁ שָׁבֶר in poſteriori membro, igitur illa minus accurate verti: *amat peccatum* ſ. *perfidiam;* ſed ex ſignificatione verbi פשע primaria, quæ eſt *frangere*, *confringere*, ſubſtantivum פשע ſynonymum eſſe τοῦ שבר atque indicare damnum, quod homo rixoſus et contentioſus ſentiat atque experiatur. In poſteriori membro, phraſin: מַגְבִּיהַּ פִּתְחוֹ *exaltans oſtium ſuum*, intelligo de ſermonibus ſuperbis et inſolentibus, quibus alii offenduntur et ad rixas et contentiones provocantur. cf. Pſ. 141, 3. Mich. 7, 5. et ſupra Cap. 13, 3.

e) De vocabulo ἅπαξ λεγ. גהה legatur *Schultenſius* ad h. l. Significatio primaria apud Arabes eſt جهي *nituit*, *ſerenus fuit*.

25. Filius inſipiens patri eſt ægritudo,
Et mœror ſuæ matri.

26. Mulctare inſontem non bonum eſt,
Multo minus flagris cædere nobiles propter virtutem *f*).

27. Qui verbis parcit, prudens eſt,
Et moderatus ſapiens.

28. Stultus adeo, dum ſilet, ſapiens habetur;
Qui labia ſua concludit, prudens eſt.

CAPUT XVIII

1. Suis opinionibus inhæret *ἰδιογνώμων a*) ſ. homo ſuæ ſententiæ,

De

f) Pro tyrannico orientis imperio (Deſpotiſmus) non raro fit, ut propter recte facta viri boni mulcta, aut etiam mortis ſupplicio afficiantur. — Ad poſterius membrum vel לֹא טוֹב *non bonum*, h. e. peſſimum, repetendum eſt; vel alia particula negativa, ut אַף כִּי quam in verſione poſuimus.

a) In explicatione ſententiæ paullo obſcurioris aſſentior eis qui ejus ſubjectum נִפְרָד explicant de homine cui ſua tantum placent; qui de omnibus aliter ſentit et judicat ac alii homines, atque has ſuas opiniones pertinaciter defendit. Sic *Coccejus*, *Geierus*, *Schulienſius*, *Dœderleinius*. Nec putem opus eſſe h. l. lectionis receptæ mutatione, quæ placet *Michaeli* ex auctoritate verſionis græcæ,

De rebus quanquam certiſſimis rixatur.
2. Non delectatur ſtultus intelligentia,
Immo potius retegit omnia animi ſui ſenſa.
3. Improbus comitem habet contemtum,
Atque ignominioſus opprobrium *b*).
4. Viri *ſapientis* ſermones ſunt ut aquæ profundæ,
Fons

græcæ, quæ habet: *προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμενος χωρίζεσθαι ἀπὸ φίλων.* Nimirum hi interpretes pro לְתַאֲוָה legerunt תֹּאֲנָה habentque pro more conſentientes Arabem et Vulgatum: *occaſionem quærit qui vult recedere ab amico.* Sed receptam lectionem exhibent Syrus, Chald. Aquila et Symmachus, uterque habet *εἰς ἐπιθυμίαν.* Tam parum igitur præferenda videtur hæc eorum lectio, quam explicatio verbi נִפְרָד quæ placet *Schnurrero* in laudata Diſſertat. ad quædam Proverbiorum loca p. 22. Nam hoc verbum abſolute poſitum nihil aliud ſignificat, quam *ſeparationem.* Ellipſis autem מֵרֵעִים *ab amicis* durior videtur. Nec locus Cap. 19, 4. qui pro hac ſententia citatur, aliquid probat, quoniam ibi מֵרֵעֵהוּ legitur et ſic in aliis objectum ſeparationis ſemper additur, v. c. Cap. 16, 28. 17, 9. Duo autem reliqua adjuncta *τοῦ* נִפְרָד hujus ſententiæ: *quærit deſiderium* et *rixatur de omni re certa,* optime conveniunt *ἰδιογνώμονι.*

b) Dehortatur a conſuetudine cum hominibus improbis et malæ notæ. (קָלוֹן) Verendum eſt, ne et ipſi prorſus eis ſimiles habeamur.

Fons ſapientiæ fluvium emittit continuo manantem *c*).

5. Perſonarum reſpectum habere, peſſimum eſt,
Sic enim juſtus cauſa cadit in judicio.

6. Stultus immiſcet ſe rixis *d*),
Os ejus invitat ſ. provocat percuſſiones.

7. Os ſtulti eſt ei contritio,
Labia ejus eum illaqueant.

8. Verba delatoris ſunt tanquam buccellæ ſuaves cupide deglutiendæ,
Deſcendunt ad interiora ventris *e*).

9. Qui

c) Poſterius membrum prius accuratius determinat et declarat. Scilicet aquæ profundæ, quæ exhauriri non poſſunt, cf. 20, 5. ſunt ſermones ſapientis, ſemper utiles et ſalutares aliis; ut fluvio ſcaturienti, ſecundum membrum poſterius, nunquam aqua deeſt, ſemper aliam ebullit.

d) hebr. יָבֹאוּ בְרִיב Sic 1 Sam. 25, 26. בֹּא בְדָמִים *cædi ſe immergere.* In altero membro קרא proprie eſt *invitare.*

e) Vocabulum hebr. מִתְלַהֲמִים h. l. tantum obvium et infra Cap. 26, 22. ubi eadem ſententia repetita legitur, optime haud dubie et veriſſime illuſtravit *Schultenſius* ex lingua arabica, in qua להם eſt *avide deglutire.* Subſtantivum igitur ex conjugatione octava formatum, ſignificat aliquid quod cupide abſorbetur et deglutitur. Sic ſenſus verborum perquam commodus eſt: verba delatoris ſunt tanquam ſuaves buccellæ, ſ. fruſtula, quæ

9. Qui remiſſus eſt in opere ſuo,
Frater eſt profuſoris *f*).
10. Firma turris eſt Jova,
In quam fugit pius et protegitur.
11. Opes divitis ſunt urbs munita —
Et murus præaltus — uti ei quidem videtur.
12. Ruinam præcedit faſtus animi,
Et gloriam humilitas.
13. Qui reſpondet, antequam audiat,
Stultitiam prodit, ipſique eſt ignominioſum.
14. Animus viri morbum tolerat ſ. perfert,
Sed animum ægrum quis ſuſtinet?

quæ dantur deglutienda, quæque leniter deſcendunt in penetralia ventris. In poſteriori membro וְהֵם referendum eſt ad verba delatoris. — In animadverſſ. philol. *Schultenſius* ex ſignificatione ejusdem verbi in quarta conjugatione *inſpiravit*, verterat: *verba delatoris ut ſi inſtincta forent*, numine quodam afflata, *ita deſcendunt in penetralia ventris;* quæ ſententia jam *Cappello* in mentem venerat. Sed in Commentario illam explicationem huic præferendam judicavit, maxime propter ultima verba חַדְרֵי בָטֶן. Miror *Dœderleinium* aliter ſentire atque hanc illi prætuliſſe.

f) Simillimus eſt ei qui fortunas ſuas diſſipat. Idem igitur fatum eum manet et expectat: nempe paupertas, ad quam uterque, hic profuſione, ille deſidia et ignavia, pervenit.

15. Mens prudentis ſcientiam comparat,
Sapientum auris ſtudet ſcientiæ.
16. Donum homini aditum patefacit,
Immo ad magnates eum deducit.
17. Juſtus videtur, qui primus cauſam denunciat;
Sed ſi alter venerit, tunc inquire.
18. Lites ceſſare facit ſors,
Et inter potentes dirimit.
19. Frater rebellione offenſus magis invictus eſt, quam arx munita.
Contentiones *inter fratres*, ſunt tanquam repagula arcis *g*).
20. De fructu oris ſaturatur venter hominis,
Proventum labiorum ſuorum percipit *h*).
21. Mors et vita ſunt in poteſtate linguæ,
Amatores ejus *i*) guſtent antea fructum.
22. Qui invenit uxorem, invenit bonum,
Et impetrabit favorem a Jova *k*).

23. Sup-

g) h. e. difficulter effringendæ. Apte citat *Schultenſius* dictum *Taciti*: acerrima ferme proximorum odia, et Græcorum proverbium: χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν.

h) cf. Cap. 12, 14. 13, 2.

i) h. e. qui vel ad bonum vel pravum uſum linguæ inclinant, explorent ante uſum ſermones ſuos.

k) Recte diſputavit *Dœderleinius* contra *Kennicotti* κρίσιν minus neceſſariam, qui (in Diſſertat. II. p. 182. verſ. lat.)

23. Suppliciter loquitur pauper,
Dives dure reſpondet.

24. Qui multos habet amicos *l*), habet eos in damnum ſuum.
Sufficit unus amicus, magis deditus quam frater.

CAPUT XIX

1. Melior eſt pauper probus, quam fallax dives *a*).

 2. Im-

lat.) addendum eſſe cenſebat טֹבָה *bonam* ſc. mulierem; quoniam, ſcilicet, ſine hac reſtrictione ſententia non vera eſſet. Sed, ut alia omittam recte a *Dœderleinio* dicta, hæc modo adſcribam: Salomo commendat conjugia legitima contra vagos et illicitos amores et *πορνείαν*, quæ cum Deo exoſa ſit, fieri non poteſt, quin qui matrimonium legitime contrahunt, benevolentia Dei digni habeantur.

l) hebr. אִישׁ רֵעִים *vir amicorum*. Idiotiſmus eſt centies obvius, cf. Cap. 19, 6. — לְהִתְרֹעֵעַ *ad perdendum* Eſ. 24, 19.

a) Pro שְׂפָתָיו mihi quoque videtur דְּרָכָיו legendum, ut plerisque interpretibus recentioribus. Sic triginta Codd. *Kennicotti*, Syrus et Chaldæus habent, et locus parallelus Cap. 28, 6. Sed quod pro כְּסִיל ſcribendum ſit עָשִׁיר, minus probabile. Unde ſcribarum error in duabus vocibus, quarum neutra alteri ne in unica quidem litera ſimilis? Satis probaſſe arbitror *Schultenſium*

2. Imprudens ſtudium nocet *b*);
Qui nimium feſtinat, impingit.
3. Stultitia hominis lubricam facit ejus viam,
Et tunc Jovæ iraſcitur.
4. Divitiæ multos conciliant amicos,
Pauper ab amico ſuo deſeritur.
5. Teſtis falſus non impune feret;
Qui mendacia loquitur, non evadet.
6. Multi gratiam quærunt hominis liberalis,
Omnes amant virum munificum.
7. Pauperem omnes ſui fratres oderunt, quanto magis amici ab eo recedunt,

Per-

ſum ex origine vocis *ſpiſſum, adipoſum eſſe*, eam quoque *opulentum, divitem*, i. q. עָשִׁיר ſignificaſſe.

b) *Schultenſii* explicationem, qua גַּם h. l. non ſit particula, ſed ſubſtantivum, *vigor currendi*, ab arab. גמם *multus fuit, abundavit*, in dubitationem vocavit *Arnoldi* l. l. p. 133. ex ea ratione, quod hæc ipſa particula aliquoties initium ſententiæ facit, e. c. Cap. 14, 13. 20. 17, 26. 20, 11. Sed aliam ab amico communicatam ſententiam attulit, qua idem ſenſus obtinetur. Nempe ſi נֶפֶשׁ ſit ſubjectum, et explicetur per *cupiditatem vehementiorem*, quo ſenſu alias quoque ſumendum eſt, ex ſententia *Schultenſii*, Cap. 13, 2. 4. 16, 26. 28, 25. Hanc explicationem ego in verſione expreſſi. — In poſteriori membro ſententia exemplo e vita communi illuſtratur.

Perſequitur verba, quæ nunquam ſunt *c*).

8. Qui acquirit ſapientiam, ſe ipſum diligit;
Qui cuſtodit intelligentiam, bonum invenit.

9. Teſtis falſus non impune feret,
Qui mendacia loquitur, peribit *d*).

10. Non decet ſtultum deliciarum affluentia,

c) Editiones nonnullæ pro לֹא in margine aliam lectionem exhibent, nempe לוֹ *ei ſunt*, ſc. verba, h. e. qui verbis fidebat, verba ſibi data experietur. Senſus a textuali lectione non differt; hanc exprimunt Chaldæus, Syrus et Vulgatus. De quindecim locis, in quibus ſecundum Maſoram pro לֹא legendum ſit לוֹ, egit *Cappellus* in Critica Lib. III. Cap. 10. et de noſtro loco §. 19. p. 272. edit. Halenſ. ubi tamen minus accurate dicit, Chaldæum habere לֹא שְׁרִיר *non reliquum*. Chaldæus in Polyglott. Angl. habet לֹא שְׁרִיר *non firmus*, et cum Syro pro more conſentit, niſi quod pro אֵיכָא *ubi?* quod impreſſum extat, fortaſſe legendum eſt אֵינָא quod Syrus habet. Contra, Syrum emendem ex Chaldæo דְּמָרֵךְ pro דְּמָרְכָן quod eſt contra grammaticam, cum præcedat אֵינָא. *Is qui perſequitur verba ejus*, ſc. amici, qui verba dederat, לֹא שְׁרִיר *non firmus erit.* Sic ſenſus eſt ab Hebræo non valde diverſus. Sed hæc obiter.

d) Adfuit ſupra verſ. 5. ubi tantum pro יֹאבֵד legitur לֹא יִמָּלֵט.

Quanto minus ſervum dominari principibus *e*).

11. Prudentiæ eſt, eſſe longanimem;
Honori eſt, ignoſcere peccato.

12. Inſtar leonini fremitus eſt ira regis,
Et quaſi ros in herbas ejus favor.

13. Patris miſeria eſt filius inſipiens,
Et ſtillicidium expellens mulier rixoſa.

14. Domus et opes ſunt hæreditas paterna,
A Jova vero *expetenda eſt* uxor prudens.

15. Pigritia ſoporem injicit,
Homo negligens eſuriet.

16. Qui ſervat præcepta, ſervat vitam ſuam;
Qui non curat vias ſuas, morietur.

17. Mutuat Jovæ, qui largitur pauperi;
Quæ huic dantur, ille retribuet.

18. Caſtiga filium tuum, dum ſpes eſt;
Tunc mortem ejus non optabis.

19. Iracundus *f*) pœna eſt afficiendus;

Si

e) Neuter fortuna ſecunda recte uti novit. Sæpius hoc in Oriente evenit. Nec tamen apud nos exempla deſunt hominum, qui ex infima conditione ad ſummos honores evecti fortuna ſua abutebantur. — תַּעֲנוּג *deliciæ faſtoſæ*, Eccleſ. 2, 8. Deut. 28, 54. Mich. 2, 9.

f) Lectionem marginalem גדל textuali גרל præferendam eſſe vix dubitem, cum antiqui interpretes hujus nullum indicium prodant, niſi quis dixerit eos τὸ Chetib eadem

Si eum pœnæ ſubtraxeris, denuo peccabit.
20. Audi conſilium, ſuſcipe correctionem,
Sic tandem fies ſapiens.
21. Multa homo in mente ſua agitat conſilia,
Sed conſilium Jovæ manet, ſc. immutabile.
22. Homini liberalitas æſtimationem conciliat.
Melior eſt pauper, quam dives mendax.
23. Timor Jovæ ſalutaris,
Satur pernoctabit ſecurus a malo.
24. Immittit piger manum in paropſidem,
Sed ad os eam non reducit.

eadem ratione intellexiſſe, qua *Schultenſius* illud explicavit. Nempe quoniam thema גרל ſignificat *lapidoſum*, *aſperum*, exiſtimat גְּרָל־חֵמָה ſignificare quoque *iracundum*, ideoque a Keri quoad ſenſum non differre, atque hoc tantum eſſe explicationem a Maſorethis adjectam lectionis illius difficilioris. — At enim vero etiam de lectione ultimæ vocis dubitari poteſt, num תּוֹסִף *addes*, an יוֹסִף *addet*, legendum ſit. Tertiam perſonam legerunt interpretes antiqui omnes. Exprimunt eam quoque recentiſſimi, *Michaelis*, *Dœderleinius*, *Struenſeeus*, ſine nota. Attamen illa quoque explicationem admittit: *Si exemeris iracundum pœna* תּוֹסִף *tu amplius addes*, ſive potius: *addere debebis*, h. e. iterum iterumque ei erit parcendum. Senſum tamen eſſe faciliorem, ſi tertia perſona legatur, nemo neget; hanc quoque in verſione expreſſi.

25. Deriſorem ſi percuſſeris, ſimplex fit aſtutus;
Prudentem ſi redargueris, reddetur intelligentior.
26. Patrem perdit, matrem fugat
Filius, qui eis pudori eſt et ignominiæ.
27. Abſit, mi fili, ut audias inſtitutionem,
Quæ te a præceptis ſapientiæ ſeducat.
28. Teſtis nequam jus deridet,
Os impiorum deglutit iniquitatem.
29. Paratæ ſunt deriſoribus pœnæ *g*),
Et contuſiones tergo ſtultorum.

CAPUT XX

1. Deriſorem facit vinum, tumultuantem facit ſicera;
Nemo, qui ei indulget, eſt ſapiens.
2. Rugitus tanquam leonis eſt ira regis,
Qui eum provocat, facit hoc cum vitæ ſuæ periculo.
3. Glorioſum eſt homini, ceſſare a lite,

Stultus

g) Pro שְׁפָטִים *οἱ ό* legerunt vel שׁוֹטִים *flagella* vel שְׁבָטִים *virgæ*. Vertunt enim *μάστιγες*. Quisque videt, quam bene reſpondeat hæc lectio *τοῖς* מהלמות in altero membro. Longius recedit a vulgari lectione Syrus: *parati ſunt dolores his qui fovent lites et plagæ populo ſtulto*; ex quo tamen, miſſis reliquis, divinare licet eum legiſſe שפטים. Chaldæus conſentit, uti plerumque fit, ſi nimium receſſerit Syrus, accurate cum textu hebræo, nec non Vulgatus: *parata ſunt deriſoribus judicia*.

Stultus tantum rixandi libidinem fovet.

4\. Propter pluvias autumnales *a*) piger non arat,
Hinc tempore meſſis mendicabit, dum nihil habet.

5\. Inſtar profundæ aquæ eſt in hominis mente conſilium,
Quod tamen vir prudens exhaurit.

6\. Multi homines ſolent ſuam prædicare virtutem,
Sed virum veracem quis inveniit?

7\. Vir bonus integre vivit,
O beatos ejus poſteros!

8\. Rex in throno judicii ſedens
Diſpergit *b*) oculis ſuis omne malum.

9\. Quis dicat: animus mihi purus eſt,
Mundus ſum a peccato?

10\. Diverſum pondus et diverſa menſura,
Utrumque æque inviſum eſt Jovæ.

11\. Etiam

a) hebr. מֵחֹרֶף *propter hiemem.* Sed חֹרֶף apud Hebræos latioris eſt ſignificatus atque autumnum complectitur, ſive omnes anni tempeſtates קַיִץ *æſtate* excepta. Hoc loco in ſpecie *pluvia autumnalis* intelligitur, de qua etiam Arabes vocabulum uſurpant, quo tempore, quod in Novembrem incidit, agri ſunt conſerendi. cf. *Michaelis* in Suppl. ad Lexica hebr. ſub h. v. p. 937.

b) hebr. מְזָרֶה *ventilat.* Verbum ex agricultura ſumtum. Separat *malum*, h. e. impios et mala machinantes, a bonis.

11. Etiam puer diſſimulatorem agit *c*) in factis ſuis;
Num adeo puri et recti ſunt ejus mores?
12. Auris audit et oculus videt,
Jova fecit utrumque *d*).
13. Ne indulgeas ſomno, alioquin fies pauper;
Aperi oculos tuos, et abunde ſatiaberis.
14. Malum eſt, malum eſt, inquit emtor,
Sic diſcedit et gloriatur *e*).

15. Au-

c) In tribus locis, in quibus præter hunc verbum נכר in conjugatione Hitpael occurrit Geneſ. 42, 7. 1 Reg. 14, 5. 6. haud dubie ſignificat *alienum ſe ſimulavit*. Propterea hunc ſenſum ſententiæ ſubjeci. Sed non ignoro, ſi illum uſum conjugationis Hitpael attendere nolimus, alium verborum ſenſum eſſe poſſe, ut ſententiam contineant non minus veram et gravem. Nempe ſi נכר ex analogia aliorum verborum in hac conjugatione vertatur *agnoſcendum ſe præbere*, docetur attendendum eſſe ad primas pueri actiones, quibus plerumque prodit, ad quas virtutes, ad quæ vitia inclinet, ut hæc coerceamus, illas vero excitemus et dirigamus.

d) Ergo etiam novit accurate omnia, quæ nos videmus et audimus. Pſ. 94, 9.

e) Emtoris fraus reprehenditur, qui rem vendendam vehementer reprehendit, et deinde ſimplicitatem venditoris ridet et de dolo ſuo gloriatur. Sed ex altera ſignificatione vocis קנה *poſſeſſor* ſenſus eſt: rei pretium poſt ejus amiſſionem demum recte æſtimari. Juxta illud poetæ: Omne bonum præſens minus eſt, ſperata videntur magna, velut majus reddit diſtantia lumen.

15. Aurum, copia coralliorum, pretioſa ſupellex,
Eſt lingua ſapiens.

16. Aufer vadi veſtem, quia fidejuſſit pro peregrino,
Et pignus ab eo accipe pro debito alieno *f*).

17. Suavis eſt homini panis mendax,
Sed poſtea impletur os ejus lapillis *g*).

18. Conſilium deliberatum ſtabilitur,
Conſiderate gere bellum.

19. Qui revelat ſecretum, fraudulenter agit.
Cum homine garrulo noli converſari.

20. Qui patri aut matri ſuæ imprecatur,
Ejus lucerna extinguetur in denſiſſimis tenebris.

21. Opes avare ab initio acquiſitæ *h*),

Ad

f) Hoc non eſt præceptum, ſed admonitio de non temere admittenda fidejuſſione propter incommoda, quæ ex ea venire ſolent.

g) Senſus: Voluptas ex bonis illegitime partis tandem mutatur in dolorem.

h) hebr. מְבֹחֶלֶת varie explicatur. Mihi videtur recte conferri cum بخل *avarus*, *tenax fuit*. Sed lectio marginalis habet מבהלת in cujus explicatione viri docti diſſentiunt. Vulgo ex בהל *præceps fuit*, *feſtinavit* Eſth. 8, 14. *hæreditas feſtinata*, h. e. malis artibus acquiſita. Sed *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l. confert arab. بهل *maledicere*, *execrari*, cui bene reſpondet in altero membro בָּרֵךְ et ſimillima ſententia

Ad extremum minus feliciter conſervantur.

22. Ne dicas: reddam malum;
Expecta Jovam, hic te ſalvum præſtabit.

23. Abominatur Jova diverſa pondera,
Et bilanx doloſa non bona eſt.

24. A Jova greſſus viri diriguntur,
Homo enim quomodo intelligat viarum ſuarum eventum?

25. Periculoſum eſt in vota inconſiderate erumpere *i*),
Et poſt vota quærere.

26. Ventilat impios rex ſapiens,
Et ducit ſuper eos rotam *k*).

27. Lu-

tia Cap. 30, 11. — — Verſiones antiquæ omnes exprimunt τὸ Keri ex vulgari ſignificatione *feſtinandi*. Etiam Symmachus et Theodotio κληρονομία σπουδαζομένη.

i) *Schultenſius* ad h. l. et ad Job. 6, 3. 39, 33. ex uſu linguæ arabicæ docuit, verbum לוע non eſſe, ut vulgo vertitur, *abſorbere*, *deglutire*, ſed *æſtu interiore aduſtus eſt*, hinc præcipitanter aut inconſiderate loqui. Quod ipſum vitium quoad vota temere concepta reprehenditur. Cui non in mentem venit temerarium Jephtæ votum Jud. 11, 25? Alias hac in re uſurpatur verbum פָּצָה *diffregit*, *disrupit*, Pſ. 66, 14.

k) Deſcribitur rex judicium in impios exercens ſub imaginibus e re ruſtica ſumtis. Prima adfuit ſupra verſ. 8. זָרָה proprie eſt *ventilare*, h. e. paleam ſeparare a frumento. Altera ſumta eſt ex modo Hebræorum tritu-randi.

27. Lucerna Jovæ eſt animus hominis,
Quæ inveſtigat omnia interiora ventris *l*).
28. Benignitas et veritas cuſtodiunt regem,
Et benevolentia fulcit thronum ſuum.
29. Gloria juvenum eſt eorum fortitudo,
Et decus ſenum canities.
30. Vitiorum correctio *æque dolet* ac livores vulneris,
Et plagæ corpori inflictæ *m*).

CAPUT

randi. Plauſtri quodam genere utebantur, *tribula* Latinis dicto, cujus rotis ſuper frumento in area diſpoſito ductis grana excutiebantur. Scriptores hebræi ſæpe hac imagine utuntur ad ſupplicia graviora deſcribenda. Eſ. 28, 25. 30, 22. 32, 16.

l) Elegans deſcriptio *conſcientiæ* humanæ. Hanc lucernam Deus indidit homini, ut ea inveſtigare et contemplari poſſit abditiſſima ſua conſilia et cogitationes.

m) Sic *Geierus* ſententiam explicat de vitiorum emendatione et abſterſione, quam averſatur et ægre fert humana pravitas et inſtar vulnerum et plagarum intime dolentium habet. Subjectum igitur eſt תַמְרוּק בְּרָע. Verbum מרק de vaſorum lotione et purificatione uſurpatur, Levit. 6, 21. Subſtantivum autem תַמְרוּק de mundationibus mulierum Eſth. 2, 12. בְּרָע poteſt de abſtracto et concreto explicari, nec obſtat Beth præfixum, quod etiam in ſtatu conſtructo ſolet adhiberi, ut Pſ. 9, 10. לְעִתּוֹת בַּצָּרָה. Hæc explicatio placuit etiam *Schultenſio*. Qui tamen dubius hæret inter aliam,

quæ

CAPUT XXI

1. Voluntas regis eſt in manú Dei,
Quam ut aquæductum quocunque vult derivat.
2. Sui cuique mores probantur,
Sed Jova mentes accurate examinat *a*).
3. Juſtum et æquum facere Jovæ gratius eſt quam ſacrificium.
4. Faſtus et inſolentia,
Quibus ſe valde felices putant impii, erroris cauſa ſunt *b*).

5. Stre-

quæ eſt complurium interpretum, quæ etiam *Dæderleinio* placuit, ſecundum quam hic ſenſus verbis ſubeſt: *Mali homines non niſi plagis et ictibus altius adactis emendari ſe patiuntur.*

a) Adfuit ſupra Cap. 16, 2.

b) Sententia ob breviloquentiam paullo obſcurior. Primum membrum, *altitudo oculorum*, non habet difficultatem. Sed ſecundum רְחַב לֵב *latitudo cordis* quid ſit, difficilius eſt. Quoniam ſuperbiæ etiam Pſ. 101, 5. jungitur, videtur illam inſolentiam et jactantiam judicare, qua homines impii ob fortunam ſuam ſecundam intumeſcunt. — Tertium נִיר רְשָׁעִים *lucerna impiorum* non tertiam partem ſubjecti conſtituit, ſed ad duo priora pertinet; propterea quoque non habet particulam copulativam præfixam; et lætitiam illam indicat, quam ipſi impii percipiunt ex illa ſplendente fortuna,

qua

5. Strenuorum conatus afferunt abundantiam;
Nimis feſtinantis, egeſtatem.

6. Qui theſauros acquirere ſtudet fraudibus,
Vaporem proſequens incidit in laqueos mortis *c*).

7. Per-

qua ſe jactant. — Prædicatum eſt חטאת in cujus explicatione haud dubie ad primariam vocis ſignificationem reſpiciendum, *aberratio a ſcopo ſ. ſeductio in errorem.*

c) Lectionem receptam non niſi difficilem admittere explicationem, probat diſſenſus doctiſſimorum interpretum. Genuinam textus lectionem mihi ſervaſſe videntur *οἱ ό*, qui vertunt: *μάταια διώκει ἐπὶ παγίδας θανάτου*, cum quibus ex parte conſentit Vulgatus: *vanus et excors eſt et impingitur ad laqueos mortis.* Apparet utrumque loco מבקשי legiſſe בְּמֹקְשֵׁי et *τοὺς ό* pro נִדָּף *impellitur* רֹדֵף *perſequitur.* Prioris vocis lectio extat quoque in codice poſteriori *Lilienthalii* (cf. Comment. ejus critica p. 426.) atque in R. Sal. Jarchi codice, qui in Commentario ſuo ad h. l. teſte *Hubigantio* ſic habet: מוקשי מות הם לו *laquei mortis ſunt illi.* Ex recentiſſimis interpretibus tantum *Arnoldo* hæ lectiones placuere, qui in libro ſæpe laudato p. 140. de h. l. agit, atque recte quoque obſervavit verbum רֹדֵף accipiendum eſſe in ſignificatione, quam grammatici prægnantem dicunt, *perſequitur et incidit.* His addidit Vir Doctiſſimus elegantem explicationem *τοῦ* הבל quod putat dictum eſſe h. l. de vapore illo aquæ non abſimili ſuper arena deſerti apparente, quo peregrinatores aquam ſitientes ſæpe cum vitæ

U ſuæ

7. Pernicies impios abripiet,
Nolunt enim recte facere *d*).
8. Qui pravis moribus eſt, gravi onere premitur *e*).
Sed qui recte agit, purus eſt.
9. Præſtat in angulo tecti degere,
Quam cum uxore rixoſa in iisdem ædibus *f*).
10. Animus impii malum concupiſcit,
Erga amicum adeo eſt immiſericors.
11. Cum mulctatur deriſor, ſapit incautus;
Cum inſtituitur ſapiens, ſcientiam comparat *g*).
12. Juſtus curam habet domus impii,

Quo

ſuæ periculo falluntur. Sed hæc in ipſo libro legiſſe non pœnitebit.

d) Hæc quoque ſententia, ut multæ aliæ, diverſas admittunt explicationes pro diverſo ſenſu, qui verbis ſubjicitur. Equidem שֹׁד paſſive accipio pro vaſtatione, quam impii propter pertinaciam in malo ſibi conſciſcunt. יגורם derivo à גָּרַר traxit, coll. Habac. 1, 15. Alii aliter.

e) hebr. וָזָר. Jam *Cappellus* vidit ſententiam eſſe minus concinnam, ſi illud וזר derivatur a זָר *alienus*, cum particula copulativa compoſitum. Poſt illum *Schultenſius* pluribus probavit وزر ſignificare *faſcem* et *onus* criminum, quo quis ſit *onuſtus*.

f) hebr. בֵּית חָבֶר *domus ſocietatis*.

g) Similis ſententia Cap. 19, 25.

Quo minus præcipites ruant impii in perniciem *h*).

13. Qui aurem obturat ad clamorem pauperis,
Ipſe viciſſim clamabit, nec exaudietur.

14. Donum clam datum avertit iram,
Et munus inſinuatum fervorem.

15. Lætantur probi jus ſ. æquitatem exercere,
Terrentur eo improbi.

16. Homo qui a via prudentiæ aberrat,
Apud inferos requieſcet.

17. Pauper fit voluptarius;
Qui vinum et unguenta amat, non diteſcet.

18. Pro redemtione pii datur impius,

h) In interpretatione ſententiæ obſcurioris aſſentior *Arnoldo*, qui eleganti conjectura ejus difficultates maxima ex parte tollit. Nempe pro מְסַלֵּף legit מִסַּלֵּף infinitivum conjugationis Piel præmiſſa præpoſitione מִן quæ ſæpiſſime vim habet prohibitivam *ut non* ſ. *quo minus*. Verbum vero סלף etiam intranſitive dici, cum ex Prov. 13, 6. tum ex uſu ejus in lingua arabica ſatis probari poteſt. Sed tranſitiva quoque ſignificatio ſecundum hanc explicationem locum habere poteſt: *quo minus præcipitem det*, ſenſu non diverſo, qui eſt: probus, quantum poteſt, avertit damnum ſ. calamitatem impiorum. Unus ſcrupulus ſupereſt mihi paullulum moleſtus. Nempe repetitio vocis רשׁעים quæ non ſolum otioſa eſt, ſed etiam *κακοφωνίαν* facit in elocutione.

Et pro rectis prævaricator.
19. Melius eſt habitare in deſerto,
Quam cum muliere contentioſa et irritabili.
20. Opes pretioſæ et unguenta ſunt in ædibus ſapientis,
Sed homo ſtultus ea abligurit.
21. Qui juſtitiæ et liberalitati ſtudet,
Is vitam, felicitatem et gloriam conſequitur.
22. Urbem fortium expugnat ſapiens,
Et dejicit tutam munitionem.
23. Qui os ſuum et linguam ſuam cuſtodit,
Is cuſtodit ſe ipſum ab angoribus.
24. Superbe arrogans profanus habetur,
Sic quicunque in affectu vehementiori agit *i*).
25. Pigrum ſua deſideria occidunt,
Nolunt enim manus ejus laborare *k*).
26. Semper avarus concupiſcit,
Sed probus largitur, nec denegat.
27. Impiorum ſacrificia nefaria ſunt,
Quanto magis, ſi cum aſtutia offeruntur.
28. Teſtis mendax tergiverſatur *l*),

Sed

i) Uterque ſine ratione et conſilio agit.

k) Piger multa deſiderat, multa optat. Sed propter fugam laboris ſemper intra vota ſubſiſtit, donec tandem mors ei ſupervenit. Bene *Lutherus:* der Faule ſtirbt über ſeinem Wünſchen.

l) Miſſis aliorum explicationibus et conjecturis circa ſententiam

Sed qui veritati ſtudet, cum fiducia loquitur.

29. Impius pertinax eſt,

Probus caute et circumſpecte agit.

30. Non ſapientia, non prudentia, non conſilium

Valet aliquid contra Jovam *m*).

31. Paratur equus ad diem pugnæ,

Sed a Jova venit victoria.

CAPUT XXII

1. Longe præferenda eſt bona fama divitiis,

Et benevolentia præſtat argento atque auro.

2. Dives et pauper ſibi occurrunt *a*),

Jova eſt creator omnium.

tentiam paullo difficiliorem, dicam tantum de ea quæ mihi in mentem venit. Antitheſis videtur eſſe in verbis יֹאבֵד et יְדַבֵּר. Sed nulla eſt, ſi illud ex vulgari ſignificatione *peribit* vertitur. At enim vero אבד ſignificat quoque أَبِدَ *obſcure et intricate locutus eſt*, (*Golius* p. 3.) quod ipſum eſt attributum hominis mendacis, qui ad pallianda ſua mendacia obſcure et intricate loquitur, cui Latinorum *tergiverſari* reſpondet. Sed לנצח *puræ putæ veritati* (ut cum *Schultenſio* loquar) auſcultat, is ידבר *παῤῥησιάζει*, ſine tergiverſatione loquitur.

m) Nemo poteſt conſilium aut voluntatem Dei impedire.

a) Optime de mutua conſuetudine explicatur. Deus vult, ut homines ſe mutuo auxilio adjuvent.

3. Cautus malum videt et vitat,
Incauti pergunt et pœnam dant.
4. Præmium modeſtiæ religioſæ,
Sunt divitiæ, gloria et vita.
5. Spinæ et laquei ſunt in via hominis perverſi;
Qui ſuæ ſaluti proſpicit, ab eis recedit.
6. Imbue puerum ad vitam ſuam *futuram*,
Etiam cum ſenuerit ab ea non recedet.
7. Dives pauperibus imperat,
Servit creditori debitor.
8. Qui ſerit iniquitatem, metet infortunium;
Et baculus conſummabit laborem *b*).

9. Homo

b) Ex lectione recepta ſenſus non niſi difficilis et priori membro minime reſpondens datur: שֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ *virga* ſ. *baculus iræ ejus conſumetur.* Quæ vulgo de inhumanitate atque inſolentia hominis impii explicantur, cujus tandem pœnam det. Sed hæc nemini facile placebunt, niſi qui pertinacius lectionem vulgarem defendere velit. Veram eamque elegantem lectionem ſervarunt οἱ ό, qui vertunt: πληγὴν ἔργων αὐτοῦ συντελέσει. Legerunt igitur unius literæ mutatione עֲבֹדָתוֹ. Secundum hanc lectionem tropus prioris membri continuatur. Poſt ſementem et meſſem ſequitur frugum excuſſio, quæ fiebat adhibito שֵׁבֶט *baculo*, Eſ. 28, 27. Sic quoque poſt reliqua fata manet improbum pœna ſive flagellum. Obſervavit hanc lectionem *Hubigantius*. Poſt quem eam

adducto

9. Homo benignus proſperabitur,
Suis enim rebus pauperem adjuvat.
10. Expelle ſcurram et exibit diſſidium,
Et ceſſabit contentio et ignominia.
11. Qui mentis puritatem amat,
Ejus ſermones quoque puri ſunt, et rex eſt ejus amicus.
12. Oculi Jovæ cuſtodiunt prudentem,
Conatus autem perfidorum evertit.
13. Dicit piger: leo foris eſt,
In media via interficior *c*).
14. Gurges profundus eſt os alienæ mulieris;
Cui Jova iraſcitur, in eum incidit *d*).
15. Stultitia inſidet pueri animo,
Virga caſtigatrix eam expellit.
16. Qui pauperem opprimit, ejus opes auget;
Qui diviti dat, fit egenus *e*).

adducto Eſaiæ loco ornavit et tantum non probavit *Dœderleinius* in Scholiis ad h. l.

c) Timet periculum, ubi nullum eſt.

d) Illecebræ mulieris meretricis ſunt periculoſæ. Infelix eſt qui eis capitur.

e) Deus reſtituit pauperi, quæ ei aliorum injuria erepta ſunt. Dives contra opibus ſuis vi et injuria partis non diu fruitur. Litera ל in utroque membro non de conſilio, ſed de eventu eſt explicanda.

17. Præbe aurem tuam et audi dicta ſapientum *f*),
Mentem adhibe meæ diſciplinæ.
18. Pulchrum enim eſt, ſi ea in pectore cuſtodias,
Si ea parata habeas in labiis,
19. Ut in Jova fiduciam tuam ponas;
Et jam quoque te doceo.
20. Nonne tibi jam ſæpius *g*) præcepta dedi,
Tum ad conſilia capienda, tum ad ſcientiam comparandam?
21. Demonſtrando tibi vera et certiſſima præcepta,
Ut recte reſpondere poſſis, qui te conſulunt.
22. Ne diripias pauperem, quia pauper eſt,
Neque opprime tenuem in judicio;
23. Deus enim eorum cauſam aget,
Et qui eos defraudant, iterum defraudabit.
24. Ne amicitiam contrahas cum homine iracundo,
Nec multum verſeris cum irritabili,

25. Ne

f) Inde ab hoc verſu alia incipit dicendi ratio, videturque eſſe nova ſententiarum collectio. Inde a capite decimo ſententiæ inter ſe non ſunt connexæ. Singuli verſus ſingulas continent ſententias. Jam vero usque ad caput quintum et viceſimum frequentiores occurrunt imperativi, atque ſententiæ ipſæ per verſus aliquot habent connexionem quandam.

g) Lectio textualis שִׁלְשֹׁם *nudius tertius*, h. e. antea, marginali eſt præferenda, et ſenſus: non nova præcepta tibi propono, ſed quæ ſæpe jam a me ſunt allata.

25. Ne forte mores ejus diſcas,
Et ſic te ipſum in periculum deducas *h*).
26. Ne ſpondeas pro aliis,
Nec fidejubeas pro debitis;
27. Ne, ſi ſolvendo non ſis,
Lectus tibi tuus ſubtrahatur.
28. Ne transferas terminum antiquum,
Quem fecere majores tui.
29. Vidiſti virum ſtrenuum in negotiis ſuis,
Is regibus debebat miniſtrare, nec verſari inter obſcuros.

CAPUT XXIII

1. Cum confederis ad cibum capiendum cum principe,
Probe conſidera, cum quo verſeris.
2. Nam cultrum gutturi tuo admoves *a*),
Si appetentior fueris.
3. Ne concupiſcas ejus cupedias,
Nam eſt cibus fallax. — *b*)

h) Duo iracundi homines ſibi ipſi ſunt timendi, dum uterque in impetu iracundiæ perdere alterum poteſt.

a) Dictio eſt proverbialis, cujus ſimiles ſunt in aliis linguis. Senſus: Præſentiſſimum vitæ periculum incurres, ſi intemperantius te geſſeris.

b) Multitudo ciborum et occaſio appetitus explendi ſuadent ſummam cautionem, ne quid committatur, quo vel princeps offendatur, vel quod ab aliis in perniciem noſtram poſſit converti.

4. Ne labores ut dives fias,
Deſiſte ab iſta tua prudentia *c*).
5. Num te defatigabis in eo quod non conſequeris?
Habent alas divitiæ, ut aquila in cælum avolabunt. —
6. Ne cibum capias apud invidum,
Nec concupiſcas ejus cupedias:
7. Nam ut ſuum ipſius appetitum abhorret *d*):
Sic te quoque ad edendum et bibendum invitabit, ſed non ex animo.
8. Buccellam, quam comediſti, evomes,
Et perdes verba tua ſuavia. —
9. Audiente ſtulto ne loquare,
Nam prudentiſſimos tuos ſermones contemnet.
10. Ne transferas terminum antiquum,
Neque in pupillorum agrum invade.
11. Nam vindicem habent potentem,
Is cauſam eorum contra te aget. —

12. Ap-

c) Quæ nempe a multis pro tali habetur.

d) Variæ ſunt interpretum antiquorum et recentiorum explicationes verbi שֹׁעֵר quorum nonnullæ valde probabiles ſunt. Equidem *Schultenſium* ſecutus ſum et נֶפֶשׁ in ſignificatu *appetitus*, quem ſæpe habet, explico de appetitu avari iſtius, quem שֹׁעֵר *abhorret*; non a ſe impetrare poteſt, ut ei ſatisfaciat. Tunc bene quoque ſibi reſpondent particulæ comparativæ et comparatio ipſa.

12. Applica diſciplinæ mentem tuam,
Et aures ſermonibus peritis.
13. Ne ſubtrahas puerum correctioni,
Nam ſi eum virga percuſſeris, non morietur *e*).
14. Dum eum virga percuties,
Animum ejus ex inferno eripies.
15. Mi fili, ſi ſapiens fueris,
Ego quoque vehementer gaudebo.
16. Exultabo præ lætitia,
Cum labia tua recta loquantur.
17. Noli æmulari peccatores, ſed potius religionem.
18. Merces enim certa tibi futura eſt,
Nec ſpe tua excides.
19. Audi mi fili, et ſapiens eſto,
Conſcientiæ tuæ obſequere.
20. Ne ſis cum potatoribus vini,
Neque cum comeſſatoribus.
21. Quia potatores et comeſſatores pauperes fiunt,
Et pannos laceros induit dormitatio.
22. Obtempera patri tuo, qui te genuit;
Ne contemnas matrem, ſi ſenuerit.
23. Veritatem eme, ne eam vendas!
Eme ſapientiam, diſciplinam et prudentiam.

24. Ve-

e) h. e. efficies juſta diſciplina, ne vitiis aſſuefiat, quibus mortis cum temporalis tum æternæ reus fiat. Quod idem in ſequenti verſu dicitur. cf. Cap. 19, 18.

24. Vehementer gaudet pater probi,
Et qui ſapientem habet filium, eo gaudet.
25. Gaudeat igitur tuus pater atque mater,
Exultetque tua genitrix.
26. Præbe mihi, mi fili, mentem tuam,
Et oculi tui ſeſe in viis meis oblectent *f*).
27. Nam fovea profunda eſt meretrix *g*),
Et puteus anguſtus mulier aliena.
28. Immo inſtar feræ rapidæ *h*) inſidiatur,

Et

f) Lectio textualis ſ. כתיב eſt תִּרְצֶנָה a רצה pro quo Maſorethæ legi volunt, aut obſervant in aliis codd. lectum fuiſſe תִּצֹּרְנָה a נצר. Utraque lectio defendi poteſt auctoritate antiquorum interpretum. Illam exhibet Symmachus, ſed ſolus. Vertit enim: θεληςάτωσαν. Hanc vero plures: Nempe οἱ ό, τηρείτωσαν. Hieronymus: *cuſtodiant*. Chaldæus et Syrus תנטרן pro qua *Kennicottus* quoque tres et viginti codices et editiones citavit. Utraque lectio ſenſum offert commodum. Aſſentior tamen *Dœderleinio*, qui textualem ut exquiſitiorem præferendam judicat. Plura de diverſa pronunciatione τοῦ Chetib pro diverſis punctis vocalibus ei ſubjiciendis dabit *Schultenſius*, quæ nolo exſcribere.

g) cf. Cap. 22, 14.

h) hebr. כְּחֶתֶף. De hoc vocabulo ἅπαξ λεγ. ejusque radice Job. 9, 12. obvia pluribus egit *Schultenſius* atque ex lexicographis arabibus docuit ختف eſſe proprie *uncare* ſ. *unco capere*, et dici de *feris*, *quæ unco impacto prædam*

Et homines contumaces, quos rapuit, dilacerat.
29. Cuinam libido? cuinam concupiſcentia *i*)?
Cuinam contentiones? cuinam ſtrepitus?
Cuinam vulnera inulta? cui rubor oculorum?
30. His qui commorantur propter vinum,
Qui coeunt ad inveſtigandam vini temperaturam.
31. Ne intueare vinum, quod rubrum eſt,
Quod in calice motum ciet et recta defluit,

32. Tan-

prædam ſuam raptare ſolent. Ex quo facile intelligitur, quam gravis et emphatica ſit comparatio meretricis cum hujusmodi fera beſtia, quæ rapit uncatis unguibus et trahit in cavernam ſuam prædam ad eam ibi dilacerandam.

i) Quanquam plerique interpretes אוֹי et אֲבוֹי habent pro particulis exclamandi, quæ in querelis adhiberi ſolent; tamen hic uſus huic loco non convenire videtur. Contextus et ſeries orationis poſtulant, ut de effectis et damnis ebrietatis cogitemus, quorum ſpecies plures Salomo in ſequentibus enumerat. *Dolere* vero ſolent et alii homines vitiis dediti, non ſoli ebrioſi. Propterea aſſentior *Schultenſio*, qui utramque vocem habet pro ſubſtantivo, et priorem אוֹי deducit ab אוה *deſideravit*, *concupivit*, ad formam גוֹי a גוה. Poſteriorem ſimili forma ab אבה ſynonymo *τοῦ* אוה. — Quartam æque difficilem ac duæ priores שִׂיחַ explicat de ſtrepitu et loquaci tumultu, qui inter compotatores eſſe ſolet a שִׂיחַ *vagari*, quod etiam de ore et mente dicitur. Qui meliora dabit, eum lubenter audiam.

32. Tandem vero ut ſerpens mordet,
Et ut baſiliſcus diffundit venenum ſuum.
33. Oculi tui concupiſcent alienas mulieres,
Et prava loqueris.
34. Eriſque quaſi qui in alto mari dormiat,
Aut qui in mali navis vertice cubet.
35. Verberarunt me, ſed non doleo,
Concuſſerunt me, ſed non ſentio;
Quando evigilavero, idem iterum quæram.

CAPUT XXIV

1. Noli invidere malis hominibus,
Neque concupiſcere eorum ſocius eſſe.
2. Nam animo ſuo pernicioſa conſilia ſtruunt,
Et ſermonibus ſuis nocent.
3. Sapientia res domeſticæ augentur,
Et prudentia conſervantur.
4. Immo peritia conclavia ædium replentur,
Omni genere pretioſarum et pulchrarum opum.
5. Vir ſapiens fortitudine,
Et vir peritus viribus pollet.
6. Hinc per viros prudentes bellum geres feliciter,
Et victoria eſt, ubi multi ſunt conſiliarii.
7. Nimis ardua eſt ſtulto ſapientia,
In conventu ſolenni loqui non audet.
8. Qui maleficia excogitat, ſceleratus vocatur.
9. Summam ſtultitiam prodit peccatum,

Homi-

Hominem profanum omnes abominantur.
10. Si animum deſpondes tempore calamitatis,
Ipſa calamitas animum tibi addat.
11. Libera eos qui morti traduntur,
Nec te ſubtrahe eis qui ducuntur ad necem.
12. Si dixeris: nihil de eo compertum habui,
Scito, qui corda probat, eum intelligere,
Et qui obſervat animum tuum, eum cognoſcere,
Et hominibus pro ipſorum opere remunerare.
13. Ut mel comedis, mi fili, quia bonum eſt,
Et favum, qui dulcis eſt palato tuo:
14. Sic ſapientiæ cognitio ſit animo tuo,
Si eam fueris adeptus, præmium habebis,
Nec ſpe tua excides.
15. Noli inſidiari more impiorum habitationi juſti,
Noli vaſtare ejus cubile.
16. Nam ſepties cadit juſtus et reſurgit,
Impii vero corruunt in malo. —
17. Cum ceciderit inimicus tuus, noli lætari;
Cum impegerit, noli exultare.
18. Ne hoc videat Jova et improbet,
Et ab illo iram ſuam in te convertat.
19. Ne æmuleris malorum *felicitati*,
Nec invideas impiorum *fortunæ ſecundæ:*
20. Nam non ad extremum usque perdurat,
Lux impiorum extinguitur.
21. Time Jovam, mi fili, et regem,

Cum

Cum rebellibus ne ſocietatem ineas!

22. Quoniam repente veniet eorum exitium,
Et ſubito adeſt ab utroque pernicies. —

23. Hæc quoque ſapientiæ ſtudioſis dicta ſunto *a*):
Perſonarum reſpectum in judicio habere, non bonum eſt.

24. Qui injuſtum abſolvit,
Hunc populus deteſtatur et execrantur homines.

25. Juſti vero judices grati ſunt,
Eis bene precantur omnes. —

26. Similis eſt ei qui alterum oſculatur,
Is qui apte reſpondet. —

27. Primo perfice foris res tuas, et præpara quæ in agro ſunt *neceſſaria*,
Et tum demum domum exſtrue *b*).

28. Ne

a) Videntur hæc verba eſſe inſcriptio brevioris appendicis ad hanc ſecundam collectionem ſ. partem totius. Nam cum ſequenti capite incipit tertia, quæ peculiarem ſuam habet inſcriptionem. Syrus vero et Chaldæus exiſtimarunt, Salomonis hæc eſſe verba, vertunt enim: *hæc ſapientibus dico. Michaelis* connectit cum altero membro hujus verſus: *auch Weiſe ſollen dis merken*, ſcilicet perſonarum reſpectum in judicio rem eſſe peſſimam. Quod nimis quæſitum videtur.

b) Præceptum eſt œconomicum de debita prudentia in re familiari adhibenda. Prima cura et præcipua converti debet in id quod magis neceſſarium eſt, quam in id quo

28. Ne ſis teſtis falſus contra alium,
Neque eum ſermonibus tuis fallas.
29. Ne dicas: par pari referam,
Reddam ei, ut *mihi* fecit. —
30. Agrum hominis pigri præteribam,
Vineam excordis, h. e. *qui laborem fugiebat*.
31. En! ſuccreverant ubique urticæ,
Superficies ejus ſpinis erat operta,
Et maceries lapidea diruta:
32. Quod cum vidiſſem, attendi,
Et in meam converti utilitatem:
33. Paulliſper dormiendo, paulliſper dormitando,
Paulliſper manus ad quietem complicando:
34. Veniet tibi inſtar prædatoris paupertas,
Et egeſtas more hominis ſcutati *e*).

CAPUT XXV

1. Hæ quoque ſunt ſententiæ Salomonis, collectæ a viris quibusdam Hiskiæ, regis Judæ *a*).

2. Glo-

quo carere poſſumus, et quod magis ad ornatum quam ad neceſſitatem pertinet.

e) cf. Cap. 6, 10. 11.

a) Incipit nova collectio, quæ, quod inſcriptio docet, debetur viris quibusdam, quorum opera pius rex Hiskias maxime utebatur ad res ſacras et eccleſiaſticas curandas. Priores igitur partes a Cap. 1—9. et a Cap.

 10—24.

2. Glorioſum eſt Deo, rem celare;
Regibus, rem ſcrutari, glorioſum eſt *b*).
3. Quam ſublime cælum, quam profunda terra,
Tam regum mens debet eſſe imperveſtigabilis.
4. Remotis ſcoriis ab argento,
Argentarius vas formare poteſt:
5. Remotis impiis a rege,
Stabilietur thronus ejus juſtitia.
6. Noli te jactare apud regem,
Neque in loco magnatum ſtare:
7. Nam melius eſt tibi dici: huc aſcende,
Quam ut coram nobilibus præſentibus humilieris.
8. Ne cito ad litigandum procede,
Perpende *c*) tecum quid agas, ignominia affectus ab altero.

9. Si

10—24. videntur jam Hiskiæ ætate locum ſuum obtinuiſſe inter libros ſacros; quibus addi voluit Hiskias ea omnia, quæ in hoc genere Salomonem auctorem habebant. Sed vel ſic quidem exiguam tantum partem ἀποφθεγμάτων regis ſapientiſſimi ſupereſſe, ſupra jam eſt obſervatum ad Cap. I, not. a).

b) In eo gloria et magnitudo Dei cognoſcitur, quod conſilia et decreta ejus ſunt imperveſtigabilia. Rom. 11, 33. 34. Sed in eo regis gloria eſt, ſi omnia inquirit, et ſi nihil, quod in terra ſua agitur, ei ignotum eſt, aut non perſpectum. *Dœderleinius.*

c) hebr. פֶּן eſt a פּוּן *anxium, ſollicitum eſſe*, quod ſemel extat Pſ. 88, 16.

9\. Si litem habes cum alio,
Noli tamen ſecretum ejus revelare;
10\. Contumelioſum tibi hoc eſſet apud alios,
Et tua infamia non avertenda.
11\. Poma aurea in vaſis argenteis *d*),
Sunt ſermones eleganti ordine ſtructi *e*).
12\. Ut inauris aurea et politum monile
Eſt is, qui ſapientem redarguit aurem lubenter
præbentem *f*).
13\. Quod nivis refrigeratio præſtat tempore meſſis *ff*),
hoc præſtat legatus fidelis cum mittentibus:

 Domi-

d) De priori hujus verſus membro data opera egit *Faber* in obſervatt. ad Harmarum P. I. p. 372. primo de verſionibus antiquorum interpretum, deinde de vocabulo מַשְׂכִּיּוֹת rariore et difficiliore. Quod deduxit a שָׂכַךְ *implicare* et legit litera Jod omiſſa מַשְׂכֹּוֹת ſub quibus intelligit *vaſa plexa* ſ. *calathos* (geflochtene Fruchtkörbe).

e) hebr. דָּבַר ex ſignificatione ſua primaria, *ſtruxit*, *ſtructa ſerie duxit*. — אפן arabice dicitur de *ordine et ornatu orationis*. vid. *Golius* p. 1824.

f) Ut iſta corpus ornant, ſic viro ſapienti laudi eſt, ſi juſtam reprehenſionem lubenter admittit.

ff) Vocabulum ἅπαξ λεγ. צִנָּה (quod nonnulli interpretes parum accurate vel de vaſe, in quo nix ſervatur, explicant; vel a צין derivant, quod in lingua arabica eſt *recondere*, et hinc vertunt *nix aſſervata*) ſatis illuſtrari poteſt

Dominos ſuos recreat.

14. Nubes et ventus ſine pluvia
Eſt is, qui ſe multum jactat de donis — quæ non largitur.

15. Conſtanti lenitudine placatur *vel ſeverus* judex;
Lingua mollis frangit oſſa *g*).

16. Si mel inveneris, comede quantum ſatis eſt,
Ne forte eo ſatiatus illud rejicias:

17. Rarus ſis in amico tuo conveniendo,
Ne forte tui pertæſus te odiſſe incipiat.

18. Mal-

poteſt *partim* ex lingua chaldaica, in qua אִצְטַנַּן eſt *frigeſcere*, צַנֵּן *refrigerare* et ſubſtantivum צִנָּא, צִנְתָּא *frigus*, vid. *Buxtorfii* Lex. Chald. ſub h. v.; *partim* ex lingua Samaritana, in qua reſpondet hebraico קֶרַח Geneſ. 31, 40. Jam *Geierus* citavit quosdam, qui locum exponerent de nive ad refrigerandum potum adhibita, quod deinde a pluribus eſt adſtructum. At *Faber* ad *Harmarum* P. I. p. 355., qui ex teſtimoniis itinerariorum hunc ipſum locum illuſtraverat, non ſine ratione dubitat, an Salomo ad hunc morem, potum nive Libani refrigerandi, reſpexerit. Potus enim non mentionem facit, tantum refrigerii ex nive. Sed adhibebant veteres etiam nivem ſimpliciter, quam æſtate biberent. De quo veterum more *Geierus* complures auctores citavit, ex quo *Faber* l. c. *Athenæum* adduxit. cf. *Schnurrerus* in Obſervatt. ad quædam loca Proverb. Sal. p. 8.

g) Manſuetudine et ſermonibus placidis ſeverus quoque et pertinax homo leniri et converti poteſt.

18. Malleus et gladius et ſagitta acuta
Eſt is, qui contra alium falſum teſtimonium perhibet.
19. Ut dens conquaſſatus et pes vacillans:
Sic confugium perfidum tempore adverſo *h*).
20. Ut is qui alteri veſtem detrahit tempore frigoris,
Aut qui acetum infundit vulneri:
Ita eſt is qui canit cantilenas animo afflicto *i*).
21. Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum;
Si ſitiens eſt, potum præbe,
22. Sic enim prunas candentes in caput ejus coacervabis *k*),

h) Auxilium, quod ab eis ſperamus, non præſtant.

i) In explicanda ſententia obſcuriori aſſentior illis interpretibus, qui, quoniam ex antitheſi apparet, comparari res, quæ alteri fiunt parum opportune, exiſtimant priora membra *paſſive* eſſe accipienda. Hinc עדה non verto *ornare*, ſed ex ejus ſignificatione in lingua Syriaca in conjugatione Aphel, *removere, tollere.* Sic quoque Syrus et Chaldæus. — Alterum hujus ſententiæ vocabulum נֶתֶר maxime difficile, verto ex ejus ſignificatu in lingua arabica نتر *vulnus graviter inflictum.* Sic οἱ ὁ, *ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον, ſicuti acetum ulceri eſt inutile.* cf. *Schultenſius* et *Dœderleinius* ad h. l.

k) Dictio videtur eſſe proverbialis, qua indicatur hoſtem conſcientiæ ſuæ morſibus incitatum iri, ut culpam agnoſcat et ab ulterioribus offenſionibus abſtineat. In hunc ſenſum Paulus quoque Rom. 12, 20. locum adduxit

Et Deus tibi rependet.

23. Ventus aquilonaris parit pluviam,
Et faciem iratam clandeſtina colloquia *l*).

24. Præſtat in angulo tecti degere,
Quam cum uxore rixoſa in iisdem ædibus *m*).

25. Quod aqua frigida eſt homini fatigato,
Hoc nuncium bonum e terra remota.

26. Fons conturbatus et ſcaturigo corrupta,
Et juſtus peccans præſentibus impiis *n*).

27. Multum mellis comedere non bonum eſt,
Contemtus honoris venit ex honore *o*).

28. Ut

l) hebr. לְשׁוֹן סָתֶר *lingua occulta*, h. l. ſi quis in conventu complurium alteri multa in aurem ſuſurrat. Hoc enim juſtam ſuſpicionem movet, ſermonem eſſe de rebus ad unum vel plures qui adſunt pertinentibus.

m) cf. Cap. 21, 9. et 17, 1. 19, 13.

n) Virtus ejus jam ſuſpecta eſt. Non prodeſſe poteſt, aut excitare alios ſuo exemplo ad bonum, uti antea.

o) Diſſenſum interpretum antiquiorum et recentiorum interpretum in explicatione membri poſterioris hujus ſententiæ pluribus expoſuit *Arnoldi* l. l. atque docte et acute, uti ſolet, dijudicavit. Nova autem, quam attulit, verborum difficillimorum explicatio tam plana eſt et facilis, ut vix dubitem, quin unumquemque ad aſſenſum abripiat, qui inter plures æque probabiles dubius hæreat, quod mihi quidem accidit. Leviſſima nempe lectionis receptæ mutatione legatur: חֵקֶר כָּבוֹד מִכָּבוֹד

Voca-

23. Ut urbs perrupta ſine muro,
Ita eſt is qui affectus ſuos coercere non poteſt.

CAPUT XXVI

1. Ut nix æſtatis et pluvia meſſis tempore *intempeſtiva eſt*,
Sic honor hominem ſtultum non decet.
2. Ut paſſer oberrare ſolet et hirundo in gyrum moveri,
Ita maledictio injuſta non nocet *a*).

Vocabulum חקר vero accipiatur h. l. in ſignificatu, quem in lingua arabica ſæpe habet, *contemtus*. Quo admiſſo ſententia eſt tam plana et facilis, quam vera et gravis: ex nimio mellis uſu venit faſtidium, cf. v. 16. Item ex honore et gloria, cujus vanitas omnium maxime ex uſu ejus multo et magno cognoſcitur.

a) Senſus: quemadmodum iſtæ aviculæ temere ſive absque effectu huc et illuc vagantur: ita maledicta temere prolata effectum non habent; metuenda non ſunt. Lectionem textualem לא præferendam eſſe marginali לו probat parallelifmus membrorum et auctoritas verſionum antiquarum, græcæ, chaldaicæ et ſyriacæ. Vulgatus tantum habet; *maledictum fruſtra prolatum in quemquam ſuperveniet*. Editiones variant. Bomberg. et Ariæ Mont. habent לו. Sed Plantin. Rob. Stephani et Munſteri nihil notarunt. vid. *Cappelli* Critica Sacr. p. 273. edit. Halenſ.

3. Flagellum equo, capiſtrum aſino *b*),
Et baculus tergo ſtultorum *neceſſarius eſt.*

4. Noli reſpondere ſtulto pro ſtultitia ſua,
Ne ei ſimilis videare.

5. Reſponde ſtulto pro ſtultitia ſua,
Ne ſibi ſapiens videatur *c*).

6. Ipſe ſibi pedes detruncat et noxia bibit,
Qui

b) *Michaelis* exiſtimat legendum eſſe ordine inverſo: *capiſtrum equo*, *flagellum aſino*, quoniam ille capiſtro, non flagello dometur, hic vero flagello excitandus ſit. Atque de hac mutationis neceſſitate adeo certus fuit, ut non dubitaret contra omnem verſionum aut codicum auctoritatem hanc conjecturam verſione ſua exprimere. Sed ſatisfactum videtur dubitationi Viri Illuſtris ab *Arnoldo*, qui obſervat, Hebræos prædicata pluribus ſubjectis communia ſingula ſingulis ſolere tribuere: quem linguæ idiotiſmum ſimili loco Joelis illuſtrat, Cap. 3, 1. 2.

c) Contradictionem, quæ videtur eſſe inter hos duos verſus, *Kennicottus* in Diſſertat. IIda ſuper ratione textus hebr. Vet. Teſt. p. 348. verſ. lat. tam inexplicabilem judicavit, ut eam neceſſario ex verſione Syriaca emendandam exiſtimaret. Addebat conſenſum chaldaicæ paraphraſeos, quem *rarum* vocat, ignarus nempe eum in libro Proverbiorum Salomonis fere perpetuum eſſe. Sed jam dudum demonſtratum eſt ab interpretibus, nullam eſſe inter has ſententias contradictionem. Quos ſi *Kennicottus* inſpexiſſet, aut ipſe judicium ſine præconcepta opinione adhibuiſſet, a criſi intempeſtiva haud dubie

Qui homini ſtulto mandata committit *d*).

7. Ut crura claudi vacillant;
Sic ſententioſe dictum ab homine ſtulto.

8. Idem eſt ac ſi lapidem tumulo ſepulcrali malefici injicis,
Si honores in hominem ſtultum conferuntur *e*).

X 5 9. Ut

dubie abſtinuiſſet. Nam addita in altero cujusque ſententiæ membro ratio haud obſcure innuit, quomodo prius ſit intelligendum. Temporis nimirum et modi, quo ſtulto reſpondetur, ratio maxime eſt habenda. Perit omne acumen ſententiarum, ſi cum Syro in altero membro legatur; *reſponde ſtulto pro tua ſapientia*, et eſt ſine dubio hæc lectio emendatio critici ſive interpretis præpropere judicantis, nullo adhibito judicio.

d) Paullo obſcurioris gnomes ſenſum malim ex lectione recepta explicare, quam ex conjectura lectionis mutatæ. — Salomo deſcribere vult incommoda, quæ quis ipſe ſentit ex mandato homini ſtulto dato. Comparatio igitur ſic eſt inſtituenda. Qui mittitur ut alterius negotia curet, ſuſcipit officium alterius et eſt quaſi pes ejus. Id igitur ſi ſtulto committimus, eundem dolorem ſentimus, tanquam ſi pedes noſtros truncaremus. Idem dolor indicatur in *altera* ſimilitudine. *Crudum, acerbum, immaturum* (חָמָס) qui bibit, dolores ſentit acerbos. vid. Cap. 10, 26. ſimilem ſententiam. Sic *Schultenſius*.

e) Recte, uti arbitror, illuſtratur hæc ſententia ex more Orientalium lapidum acervum congerendi ſuper cadavera

9. Ut ſpina, quæ agitatur in manu ebrii:
Ita ſententioſe dictum in ore ſtultorum *f*).
10. Litigator omnia turbat,
At qui imponit ſtulto ſilentium, prohibet iras *g*).

11. Ut

vera eorum, qui ſupplicio erant affecti, aut morte violenta perierant. cf. 2 Sam. 18, 17. Quemadmodum autem indecens fuiſſet, ejusmodi tumulo lapidem injicere cum voto pacis et quietis, (qui honos ſepulcris hominum bonorum tantum habebatur) ita æque ineptum eſt, honorem exhibere homini ſtulto.

f) Verbum עָלָה h. l. eſt in ſignificatione rariori a *Schultenſio* illuſtrata ex uſu linguæ arabicæ, quo dicitur, *gladius aſcendit*, h. e. vibratur ad feriendum ſuper capita aliorum. Similis loquendi modus extat Ezech. 36, 3. *aſcendiſtis ſuper labium linguæ*, h. e. fabula facti eſtis omnium ore frequentata. Spina igitur in manu ebrii alios lædit, verberat, ſauciat. Non minus incaute et imprudenter homo ſtultus acute dicto alios lædit et offendit. — Veriſſima ſententia eſt, quæ etiam ad aliarum rerum per ſe utiliſſimarum uſum incautum et imprudentem transferri poteſt.

g) Mihi quoque querelæ repetendæ ſunt omnium fere interpretum de obſcuritate hujus verſus. Venit ea haud dubie ex corrupta lectione, cujus tamen reſtituendæ propter magnum antiquarum verſionum diſſenſum exigua ſpes eſt. Recenſuit eum *Dœderleinius* atque harum lectionum ope verſionem dedit, quam ſupra poſui, quæ levi textus recepti mutatione ſenſum offert non repudian-

11. Ut canis redit ad id quod rejecit:
Ita ſtultus iterat ſtultitiam ſuam.
12. Vidiſti hominem qui ſibi ipſi ſapiens videtur,
Plus ſpei eſt de ſtulto, quam de hoc.
13. Dicit piger: leo eſt in via, leo eſt in plateis *h*).
14. Ut janua circumvertitur ſuper cardine ſuo,
Ita piger in lecto.
15. Immittit piger manum in paropſidem,
Sed nimis moleſtum ei videtur ad os eam reducere *i*).

16. Pi-

diandum. Symmachi fragmentum extat: *καὶ ὁ φράσσων ἄφρονα ἐμφράσσει ὀργὰς αὐτοῦ, et qui coercet ſtultum, coercet iram ejus.* Non difficile eſt ad divinandum, eum legiſſe: סֹכֵר כְּסִיל סֹכֵר עֶבְרָתֹם. Cum quo conſentit Theodotio, excepta voce ultima, quam ſine affixo legiſſe videtur: *καὶ φιμῶν ἄφρονα φιμοῖ χόλους, qui os ſtulti obturat, reprimit iras.* Sic enim סֹכֵר legitur Pſalm. 63, 12. ubi tamen additum eſt ſubſtantivum פֶּה *os.* Prima autem verſus vox רַב quæ varias admittit ſignificationes, derivatur a רִיב *litigare, contendere,* ut ſit participium רָב *litigator.* Senſus igitur verborum ſecundum hanc lectionem eſt: optimum remedium rixarum et contentionum avertendarum eſſe, ſi ſtulto (qui eſt idem ille רָב) ſtatim initio reſiſtatur eique os obturetur. Plura addere inſtituti noſtri ratio non permittit.

h) cf. Cap. 22, 13.

i) cf. Cap. 19, 24.

16. Piger ſibi ſapientior videtur,
Quam ſeptem qui prudenter reſpondent.
17. Prehendit auribus canem prætereuntem,
Qui ſe immiſcet cum lite aliena *k*).
18. Ut qui ludens cum aliis jaculatur ſcintillas, ſagittas et tela mortifera:
19. Ita is qui alterum decipit,
Et deinde dicit: per jocum hoc feci.
20. Ubi non eſt lignum, extinguitur ignis;
Ubi non eſt ſuſurro, ſilebit contentio.
21. Ut carbonem pruna et ligna ignis:
Ita homo contentioſus lites ſolet incendere.
22. Verba delatoris ſunt tanquam buccellæ ſuaves cupide deglutiendæ,
Deſcendunt ad interiora ventris *l*).
23. Argentum ſcoriarum teſte ſuperinductum

Sunt

k) Jungo עֹבֵר cum כֶּלֶב contra receptam diſtinctionem, ſecundum quam cum ſequenti conſtruitur. Sed illum nexum videtur ipſa ſententia requirere. Reprehenditur eorum imprudentia qui ſe immiſcent cum diſſidiis alienis, et diſſuadetur propter damnum ex ea metuendum et inevitabile. Jam vero canis a domino ſuo aut domeſticorum aliquo laceſſitus plerumque patienter perferre ſolet injuriam. Aliter vero peregrinus forte obvius aut præteriens. Hic vim ſibi illatam, quantum poteſt, ſtatim reprimit et ulciſcitur.

l) Adfuit Cap. 18, 8.

Digitized by Google

Sunt ſermones ardens ſtudium mentientes, quibus ſubeſt malus animus *m*).

24. In ſermonibus ſuis diſſimulat quidem inimicus,
Sed in pectore dolum habet repoſitum.
25. Si quoque amice tecum loquitur, noli ei fidem habere,
Nam peſſima conſilia apud ſe fovet *n*).
26. Occultat odium lætis acclamationibus,
Sed malitiam ſuam retegit in loco publico.
27. Qui alteri foveam fodit, in eam ipſe cadit;
Qui lapidem volvit, ad eundem relabitur.
28. Homo mendax odit quos perdere vult,
Et qui blanditur, parat ruinam.

CAPUT XXVII

1. Ne glorieris de die craſtino,
Neſcis enim quid hodiernus pariet.
2. Alius te laudet, non tu ipſe;
Peregrinus, non labia tua.
3. Gravis eſt lapis et ponderoſa arena,
Sed ira ſtulti eſt gravior utroque.
4. Furor eſt crudelis et ira inundans,
Sed zelotypiam quis ſuſtineat?

5. Melior

m) Utrumque eſt nullius pretii, et tamen habet bonam ſpeciem.

n) hebr. *ſeptem abominationes ſunt in corde ejus.*

5. Melior eſt increpatio manifeſta,
Quam amor occultatus *a*).

6. Vulnera ab amico inflicta fida ſunt *b*),
Oſcula inimici nidoroſa *c*).

7. Homo ſatiatus favum adeo faſtidit,
Et eſurienti amarum dulce videtur.

8. Ut avis vagans a nido ſuo,
Sic homo oberrans a domicilio ſuo.

9. Unguenta et odores delectant animum:
At dulcior ligno odorifero amicus *d*).

10. Amicum tuum et amicum patris tui ne deſeras,
Sic non neceſſe habebis fratrem tempore tibi calamitoſo adire:
Melior eſt vicinus propinquus, quam frater remotus *e*).

11. Sapiens

a) Illa bonum effectum producere poteſt, hic nihil prodeſt.

b) h. e. bono animo reprehendit, eoque ipſo fidem amicitiæ ſuæ demonſtrat.

c) h. e. in auram abeunt, ut *nidor* aſcendens. cf. Ezech. 8, 11. De verbo עתר [illegible], *nidorem emittere*, pluribus egit *Schultenſius* ad h. l.

d) Sic *Dœderleinius*, qui עֲצַת נֶפֶשׁ illuſtrat ex בָתֵּי נֶפֶשׁ Eſ. 3, 20. *vaſcula odoribus referta.* Forma vero עֵצָה pro עֵץ *lignum* reperitur Jer. 6, 6.

e) Noli credere tibi amicis opus non eſſe, quod propinquos habes. Horum auxilium ſæpe incertum eſt aut nullum.

11. Sapiens eſto mi fili, et cor meum exhilara,
Sic enim conviciatoribus potero reſpondere.

12. Cautus malum videt et evitat,
Incauti pergunt et puniuntur *f*).

13. Tolle veſtimentum ejus qui fidejuſſit pro alieno,
Et quod de negotio peregrino fidejuſſit pignus,
ab eó accipe *g*).

14. Qui alium nimiis laudibus extollit et intempeſtivis,
Aliis reprehendere videtur.

15. Stillicidium propellens in imbre vehementiore,
Sic uxor rixoſa et ut hiems procelloſa *h*).

16. Qui eam abſcondere vult, abſcondit ventum,
Unguentum dextræ ejus infuſum odore ſe prodet *i*).

17. Ferrum

f) cf. Cap. 21, 3.

g) cf. Cap. 20, 16. Fœmininum נכריה neutraliter ponitur pro negotio alieno et peregrino.

h) hebr. נִשְׁתָוָה illuſtrari poteſt ex chaldaico et ſyriaco סתוא *hyems*; quod ipſum etiam legitur Cant. 2, 3. arab. شتا eſt *hiemare*.

i) Deſcribi videtur infelix conjugium cum muliere rixoſa ex eo, quod maritus fruſtra tentet malum reprimere aut occultare, idque duplici ſimilitudine. Prior ſumta eſt a vento, quam fruſtra includere aut abſcondere tentes. Poſterior ducta eſt ab unguento, quo manus perfunditur. Fruſtra negatur factum hoc eſſe, odore quid factum ſit prodente. Sic fieri non poteſt, ut maritus malum domeſticum ſic occultet, ut aliis non innoteſcat.

17. Ferrum ferro politur ſ. niteſcit,
Et homo aliorum conſuetudine exhilaratur.
18. Qui ficum cuſtodit, fructus ejus percipiet,
Et qui dominum ſuum obſervat, honorabitur.
19. Sicut ex aqua facies faciei reſpondet,
Sic hominis indoles aliorum indoli ſimilis eſt *k*).
20. Ut infernus et orcus,
Ita oculi hominum ſunt inſatiabiles.
21. Quod conflatorium eſt argento et catinus auro:
Id homini eſt agendum cum laudatore.
22. Si tunderes ſtultum pilo inter freſſum ervum in mortario,
Tamen ſtultitia ejus non abluitur. — *l*).
23. Diligenter attende ad pecus tuum *m*),

Gre-

k) Aqua repræſentat eas facies, quæ ei obverſantur. Sic homo homini eundem reddit affectum, quem ipſe ſentit et experitur. Si comes et benigni ſumus erga alios, iidem quoque aliis officiis erga nos eſſe ſolent. Germanorum eſt proverbium: *wie man einen grüſst, ſo dankt er ihm.*

l) Alluditur ad morem antiquum veſtes purgandi et lavandi. Stipabantur et tundebantur adhibito furfure aut freſſo ervo. Sic Salomo dicit, ſtultitiam eſſe maculam, quæ vel arte adhibita corrigi non poſſit.

m) Sequitur commendatio rei pecuariæ et agriculturæ usque ad finem capitis. Quam non mirabuntur à rege ſapientiſſimo venire, qui meminerit Iſraelitarum rempubli-

Gregesque tuos cum cura inſpice.

24. Etenim divitiæ non in perpetuum durant,
Nec diadema *ſemper* ad poſteros transmittitur.

25. Prodit gramen, conſpiciuntur herbæ,
Et colliguntur pabula montium.

26. Agni tibi veſtitum præbebunt,
Atque hirci pretium agri.

27. Sufficientemque lactis copiam capræ,
In tui familiæque tuæ alimentum,
Atque ad victum puellis tuis.

CAPUT XXVIII

1. Injuſti fugiunt nemine perſequente,
Sed juſti inſtar leonis confidunt.

2. Propter rebellionem in terra multi principes exiſtunt,
Sed per hominem prudentem et peritum incolumitas refloreſcit *a*).

3. Ty-

publicam fundatam eſſe ſuper utroque. Nam cum Iſraelitæ fundos ſuos ex hæreditate paterna ſemper obtinerent, nec in perpetuum vendere poſſent, quisque dummodo rem familiarem non negligeret, habebat unde cum ſuis vivere poſſet. cf. *Michaelis* in notis ad verſ. germ.

a) hebr. כֵּן a כנן *fovit calore* et אָרַךְ *ſanavit*, proprie de vulneribus, quæ obducuntur ſ. coaleſcunt, dicitur. cf. Jeſ. 58, 8. Sic *Schultenſius*.

3. Tyrannus in pauperes *b*), et tenues opprimens,
Eſt pluvia radens, quæ victum neceſſarium aufert.
4. Legis deſertores deprædicant impium,
Sed legis obſervantes ſe iis opponunt.
5. Homines impii non intelligunt id quod rectum eſt,
Sed Dei reverentes omnia intelligunt.
6. Melior eſt pauper isque vir bonus,
Quam impius isque dives.
7. Qui obſervat legem, prudentiæ laudem conſequitur,
Sed amicus voluptariorum parentibus eſt ignominiæ.
8. Qui divitias ſuas fœnore atque uſura multiplicat,
Colligit eas liberali in pauperes.
9. Qui renuit audire legem *Dei*,
Ejus quoque preces ſunt abominabiles.
10. Qui ſeducit probos ad viam malam, in foveam ipſe incidet,
Et pii felices erunt.
11. Dives ſibi quidem valde ſapiens videtur,
Sed pauper ſapiens eum contemnit *c*).

12. Quan-

b) Pro גֶּבֶר lego גִּבּוֹר quod cum ſequenti רָשׁ conſtruendum: *Tyrannus pauperis.* — סחף præter h. l. extat Jer. 46, 15. Sed eſt in lingua Syr. et Arab. ܣܚܦ et سحف *raſit, radendo averrit.*

c) hebr. יַחְקְרֶנּוּ. Plerique vertunt: *explorat eum*, h. e. ſuperat eum prudentia, et hinc conſilia ejus intimosque animi receſſus facile poteſt explorare. Sed malim חקר h. l. accipere

12. Quando probi gaudent, ſplendent omnia;
Quando improbi prævalent, homines ſeſe occultant *d*).

 13. Qui

cipere in ſignificatione arabica حقر *contemſit.* cf. Cap. 25, 27. Sic Syrus et Chaldæus בְּסַר לֵהּ *contemnit eum:* atque ex recentioribus interpretibus *Michaelis.*

d) Difficilis eſt explicatio verbi יְחֻפַּשׂ hoc loco, quoniam vulgaris ejus ſignificatio *ſcrutari*, *perveſtigare*, non ſatis reſpondet priori membro. Antiquiores interpretes conſentiunt in ejus lectione, ſed diverſos ſignificatus ſubjiciunt: *οἱ ἐ, ἁλίσκονται ἄνθρωποι*, *capiuntur homines*, ex ſignificatione *perveſtigandi*, uti arbitror, quam clare exprimit Chaldæus מִבְּצֵי בַר נָשָׁא *inveſtigatur filius hominis*, qui præter morem ſuum h. l. a Syro diſſentit. Is enim habet: מִתְבַּצְּרָא *minuitur*, omiſſo אָדָם quod in textu legitur, videturque ad תִּפְאֶרֶת retuliſſe atque ſubſtituiſſe ſignificationem verbi arabici خفش *projecit*, *humi proſtravit.* Hunc ipſum ſenſum Vulgatus expreſſit: *regnantibus impiis ruinæ hominum.* *Michaelis: ſordidas veſtes induunt*, ex ſignificatione verbi خفس *impurus fuit*, de qua in ſupplementis ad Lex. Hebr. ſub חפשׂ. — *Dœderleinius* in Scholiis confert خفش *effudit;* hinc explicat: *in omnem licentiam temere ruit:* ſed in verſione germanica: *occultant ſe homines.* Si hic verſus ex verſ. 28. ubi eadem ſententia clarioribus verbis repetita legitur, explicari poteſt, recte utique ſic vertitur atque verbo חפשׂ quo-

13. Qui delicta ſua occultat, is non proſperabitur;
Sed qui ea fatetur et ab eis abſtinet, miſericordiam conſequetur.

14. Beatus eſt is qui ſemper caute agit,
Sed qui nihil curat, incidit in malum.

15. Ut leo rugiens et urſus eſuriens:
Malus princeps irruit in plebem tenuem.

16. Princeps imprudens multas committit injurias,
Sed qui a turpi lucro abſtinet diu dominabitur.

17. Homo propter cædem commiſſam ad ſepulcrum usque fugiet,
Nemo ei feret ſuppetias *e*).

18. Qui vitæ integræ ſtudet, ſalvus erit;
Fraudulentus, duarum viarum, cadit in una.

19. Qui colit terram ſuam, ſaturabitur pane,
Et qui ſectatur otioſos, ſaturabitur egeſtate *f*).

20. Homo fidelis larga conſequitur præmia,
Sed qui divitiis inhiat, innocens non erit *g*).

21. Per-

quoque ex ejus ſignificatione in Conjugatione Hitpael, *ſimulare ſe*, tribui poteſt. Poſui eam in verſione, ſed non commodam eſſe antitheſin bene ſentio, atque propterea me adhuc ambigere fateor.

e) Vindex ſanguinis eum proſequitur, ut nuſpiam tutus ſit, ſemper vitæ ſuæ timendum. vid. *Michaelis* Jus Moſaicum P. II. p. 385.

f) cf. Cap. 12, 11.

g) Neque impunitus, cf. 1 Tim. 6, 9.

Digitized by Google

21. Perſonarum reſpectum habere, turpiſſimum vitium eſt,
Quod tamen homines ob buccellam panis committunt.

22. Invidus anhelat divitias,
Sed derepente irruit in eum penuria.

23. Qui alium reprehendit, tandem ejus gratiam conſequitur,
Magis quam aſſentator.

24. Qui parentes ſuos ſpoliat et negat ſe in eo peccare,
Idem eſt cum latrone.

25. Homo inſatiabilis lites ſerit,
Sed qui Jovæ confidit, abundat.

26. Qui ſuæ ſapientiæ fidit, ſtultus eſt;
Sed qui prudenter ſe gerit, pericula evadit.

27. Qui liberalis eſt erga pauperes, non ſentiet inopiam;
Qui ſe ſubtrahit aliorum indigentiæ, eum omnes execrantur.

28. Dum impii evehuntur, alii ſe occultant,
Et quando pereunt, probi augentur.

CAPUT XXIX

1. Qui, reprehenſus, pertinax eſt,
Is ſine remedio peribit.

2. Si viri boni muneribus publicis admoventur, lætatur populus:
Si mali dominantur, gemit.

3. Amicus ſapientiæ, patri ſuo gaudio eſt:
Et qui ſe ſcortis addicit, perdit opes ſuas.
4. Rex juſtitia firmat regnum ſuum,
Sed qui munera amat, illud deſtruit.
5. Is qui blanditur amico ſuo,
Rete expandit ejus greſſibus.
6. Perfidia impii laqueus eſt *a*),
Juſtus vincit et lætatur *b*).
7. Juſtus cognoſcit cauſam pauperis *c*),
Injuſtus ejus cognitionem negligit.
8. Homines profani perturbant civitatem,
Sed ſapientes iſtas turbas componunt.
9. Si viro ſapienti cum ſtulto lis eſt,
Neque minando neque ridendo poterit eum placare.
10. Sanguinolenti odio perſequuntur virum integrum,
Sed probi eum ſervare ſtudent.
11. Omnem ſuum affectum profert ſtultus,
Sed ſapiens eum reprimit.
12. Princeps, qui lubenter audit mendacia,

Ami-

a) h. e. periculoſa, timenda.

b) hebr. ירון derivandum ab arab. ران *ſubigi*, in ſpecie a peccato, eique ſuccumbere. cf. *Schultenſius.*

c) Sermo eſt de judice juſto, vel cauſarum patrono, qui litem pauperis, propterea quoniam pauper eſt, non negligit, ſed cum cura eam expendit, et quantum poteſt eum juvare et ab aliorum oppreſſione vindicare ſtudet. Contrarium facit judex injuſtus.

Amicos quoque habet impios.

13. Pauper et dives una ſunt,
Utriusque vultum Deus exhilarat *d*).

14. Rex, qui juſtitiam etiam quoad pauperes exercet,
Ejus thronus in perpetuum firmatur.

15. Severa diſciplina ſapientiam producit;
Puer ſuo arbitrio relictus, matri ſuæ eſt dedecori.

16. Ubi valent impii, valent peccata,
Gaudent pii de eorum caſu.

17. Corripe filium tuum, tunc de eo quietus eſſe potes,
Tibique afferet voluptatem.

18. Sine religione *e*) populus fit diſſolutus;
Felix eſt, ſi legem *Dei* ſtudioſe ſervat.

19. Verbis non corrigitur ſervus,
Quando audit, nec reſpondet.

20. Si vides hominem præcipitem in ſermonibus ſuis,
Major eſt de ſtulto ſpes, quam de illo *f*).

d) Senſus: Ut quisque ſorte ſua contentus vivat, hoc fit Dei beneficio. Similis ſententia eſt: Cap. 22, 2. — In noſtro loco eſt אִישׁ תְּכָכִים *vir ſegmentorum* ſ. *faſciarum*, quibus veſtes divitum ornantur, a תָּכַךְ *ſecuit*. cf. *Schultenſius* ad h. l.

e) hebr. בְּאֵין חָזוֹן *ſine viſione* ſ. *revelatione*. Sed non de ea tantum eſſe explicandum, antitheſis docet.

f) Nempe ad emendationem et felicem rerum ſuarum ſucceſſum. — Simile dicendi genus adfuit Cap. 22, 29. et Cap. 26, 12.

21. Qui delicate nutrit *g*) inde a pueritia ſervum ſuum,
De eo tandem ſuſpirabit *h*).

22. Homo iracundus lites ſpargit,
Et fervidus ſæpe auctor eſt diſcordiarum.

23. Superbia hominem humiliat,
Modeſtus gloriam obtinet.

24. Qui

g) פִּנֵּק *ἅπαξ λεγ.* Chald. Syr. et Arab. eſt *delicate habere* ſ. nutrire.

h) מָנוֹן *ἅπαξ λεγ.* οἱ ό vertunt *ὀδυνηθήσεται.* Similiter Syrus: נֶהֱתָנֶח *gemet.* Derivarunt haud dubie ab אָנַן quod extat Thren. 3, 39. et Num. 11, 1. Symmachus: *ἔσαι γογγυσμὸς,* fortaſſe legit תְּלוּנָה aut ſimile vocabulum a לוּן, et Vulgatus eodem fere ſenſu: *poſtea ſentiet eum contumacem.* Priorem explicationem præfero, neque ſententiam tam difficilem aut obſcuram exiſtimem, ut lectio textus ſit corrigenda. Mihi quidem neque neceſſaria neque probabilis videtur conjectura *Huntii,* Angli olim Celeb. quanquam eam ſuo conſenſu comprobavit *Schnurrerus* in Diſſertat. ad loca quædam Prov. Sal. — Ille nimirum pro עַבְדוֹ omiſſo affixo legi vult עֶבֶד et pro מְפַנֵּק participium paſſivum מְפֻנָּק in hunc ſenſum: Qui inde a pueritia molliter nimis ac delicate habetur, ſervus erit. Cujusnam ſervus? quæſo. Nimis multa addenda ſunt ad integrandam ſententiam, quam ut conjectura et ex ea oblatus ſenſus placere poſſit. At videant et judicent alii. Plura enim per notularum noſtrarum brevitatem ſuper illa *Huntii* explicatione addere non licet.

24. Qui particeps furti eſt, ſuæ ſaluti adverſatur,
Item qui jurat, nec tamen verum fatetur.

25. Homo anxie timidus multis malis ſe implicat,
Sed qui Deo confidit, ab eis ſervatur.

26. Multi placere ſtudent principibus,
Sed Deus eſt qui æquam ſortem inter homines diſtribuit.

27. Abominatur pius impium,
Et contra deteſtatur impius pium.

CAPUT XXX

1. Verba Aguris, filii Jakæ. Sententia, quam dixit vir ille Ithieli. Ithieli et Uchali a).

2. Sane ego aliis ſum imperitior,
Nec ea mihi eſt, quæ aliis, intelligentia.

3. Non didici ſapientiam,

a) Verto verſum ex lectione textus recepti, quæ tamen non ſana videtur. Sed ex verſionibus antiquis, quarum magna eſt in reddendis verbis hebræis diverſitas, veram lectionem reſtituere non audeo. Unum illud aſſerere nullus dubito, legendum eſſe כַּמַּשָּׂא ſine ה quod errore ſcribarum, ſæpe admiſſo, propter ה præcedens repetitum eſt. cf. Cap. 31, 1. Recentiorum interpretum hypotheſes, *Michaelis* nempe et *Dœderleinii*, utut ingenioſæ ſunt, mihi tamen non ſatisfaciunt. Sed nimis prolixum eſſet, rationes, quæ aſſenſum meum retinent, hoc loco commemorare.

Nec rerum divinarum ſcientiam habeo *b*).

4. Quis aſcendit in cælum et deſcendit?
Quis comprehendit ventum pugillis ſuis?
Quis colligit aquas in veſte?
Quis ſtatuit terræ terminos ſuos?
Quod eſt nomen ejus, aut nomen filii ejus *c*)?
Noſtine hoc?

5. Omne verbum Dei purum eſt,
Clipeus eſt qui ei confidunt.

6. Noli verbis ejus aliquid addere,

Ne

b) Repeto לא ex priore membro, ut alias fieri debet, e. c. Pſ. 9, 19. 50, 8. 44, 19.

c) Senſus harum quæſtionum non obſcurus videtur. Docetur cognitionem humanam operum divinorum admodum eſſe limitatam; non eſſe hominem, qui rerum divinarum et humanarum plenam et perfectam ſcientiam habeat, aut alios his rebus inſtituere poſſit. — — Cæterum in vocabulo בן *filii* nequaquam myſterium pluralitatis perſonarum divinarum quærendum eſſe, prorſus mihi eſt perſuaſum. *Filius* uſu loquendi Hebræorum vocatur *diſcipulus*, ut 2 Reg. 2, 3. 4, 38. *filii prophetarum.* Sic Paulus Timotheum vocat *filium ſuum* 1 Tim. 1, 2. et 2 Tim. 1, 2. Contra *magiſter* et *præceptor* vocabatur pater. cf. obſervat. ad 1 Sam. 10, 12. Sic quoque *Dœderleinius* et *Struenſeeus* hæc verba intellexerunt. — Hinc miror *Michaelem* aliter ſentire atque hunc locum ex doctrina Novi Teſtamenti explicandum eſſe exiſtimare.

Ne forte te reprehendat et tu mendax reperiaris. — d)

7. Duo a te peto, quæ noli mihi denegare antequam moriar:

8. Idololatriam et mendacium procul a me eſſe jube;
Neque paupertatem, neque divitias mihi des.
Præbe mihi victum quotidianum.

9. Ne forte ſatiatus te abnegem, dicamque: quis eſt Jova?
Aut ne, paupertate preſſus, furer, aut perjurium committam. —

10. Noli calumniari ſervum apud dominum ſuum,
Ne forte tibi iraſcatur et pœnam luat. —

11. Sunt qui patri maledicant, nec matri bene precentur. . .

12. Sunt qui ſibi puri videantur, nec tamen a vitiorum ſordibus ſunt purgati.

13. Sunt quidam perquam faſtuoſi et elatis ſuperciliis.

14. Sunt quidam, quorum dentes ſunt ſicuti gladii,
Qui dentes prominentes habent inſtar cultrorum,
Ut

d) Poſſunt hi duo verſus connecti cum præcedenti quarto in hunc modum: Quoniam homines de rebus divinis exiguam et admodum imperfectam cognitionem habent, acquieſcendum eis eſt in revelatione divina. Hæc certam et indubitatam inſtitutionem offert, dummodo eam ſuis additamentis non corrumpant.

Ut devorent homines pauperes atque egenos. — *e*)

15. Monſtrum eſt, quod duas habet filias perpetuo clamantes: da! da! *f*)

Tria non ſaturantur, et quatuor non dicunt: ſatis eſt.

16. Infernus, uterus ſterilis,

Terra aquis non ſaturanda, atque ignis non dicit: ſatis eſt. —

17. Oculum, qui patrem deridet et negligit obedientiam matri debitam:

Effodient corvi torrentis et devorabunt pulli aquilæ.

18. Tria hæc abſcondita mihi ſunt,

Et quatuor non intelligo:

19. Viam aquilæ in aëre, viam ſerpentis in rupe,

Viam navis in medio mari, et viam viri ad virginem *g*).

20. Sic

e) Vitia quatuor nominantur, quorum ſola commemoratio odium erga ea excitare debet.

f) Inſatiabiles hominum cupiditates imaginibus quibusdam deſcribuntur. — Quoad formulam numerandi, in qua eſt quædam correctio, cf. Prov. 6, 16. et in libro Siracidis Cap. 27, 25. ſeqq.

g) Ex multis rebus incomprehenſibilibus, ſ. quæ ſi factæ ſunt, eas factas eſſe demonſtrari non poteſt, nonnullas Agur nominat. Acumen ænigmatis eſt in vocabulo דֶּרֶךְ *via ſ. modus et agendi ratio.* Trium quidem priorum

20. Sic quoque ſe habet via mulieris adulteræ,
Comedit, tergit os ſuum, et dicit: nihil mali patravi. — *h*)

21. Pro-

rum explicatio difficilis non eſt, ſed in quarto maxime laboratur. Diverſas interpretum ſententias ſuper hôc et reliquis qui noſſe cupiat, legat eas in *Schultenſii* commentario prolixe recenſitas et dijudicatas. Mihi quidem, quoad ultimum, omnibus aliis præferenda videtur explicatio *Dœderleinii*, quam dedit in Scholiis ad h. l. et in ſecunda editione verſionis germanicæ hujus libri: *Viam viri ad virginem* imperſcrutabilem dici, quoniam nulla certa indicia ſunt amiſſæ pudicitiæ ſ. caſtitatis in viro. Virginitatis læſæ indicia ſunt quædam, quanquam dubia. cf. Deut. 22, 12. Sed in viro, num rem habuerit cum fœmina, nulla apparent indicia. — — Præiverat *Caſtellio*, qui verſioni ſuæ, *viri veſtigium in puella*, hanc notulam adſcripſit: *ſi rem habuit cum puella.* — — At in tertia editione verſionis germanicæ hujus libri mutavit Vir Eruditiſſimus ſententiam ſuam, et vertit: *via viri in juventute.* Properant, inquit in nota ſubjecta, anni juventutis, atque exigua relinquunt in memoria ſui veſtigia. — Enimvero vix dubitem, priorem ſententiam plures habere aſſentientes, quam poſteriorem.

h) Quintum hoc additum videtur ab alio propter ſimilitudinem. Nam ab Agure dictum eſſe non poteſt propter formulam ænigmati præmiſſam, quæ quatuor, non quinque imperveſtigabilia promittit. Nimis quæſita

videtur

21. Propter tria magni motus in terra cientur,
Et quatuor ſunt intolerabilia *i*):
22. Servus, cum rex conſtituitur,
Stultus, ſi rebus proſperis utitur,
23. Mulier exoſa antea marito, ſi hujus amore iterum potitur,
Et ancilla idem jus cum domina ſua conſecuta. —
24. Quatuor ſunt admodum parva,
Et tamen magna ſolertia prædita *k*).
25. Formicæ ſunt populus non fortis,
Attamen præparant æſtivo tempore cibum ſuum.
26. Mures urſini *l*), populus imbellis,

Et

videtur ratio, quam *Schultenſius* in Commentario p. 468. affert: כֵּן *ſic*, ad iſtum plane modum ſe habet via mulieris adulteræ, h. e. *in ejus vitam et agendi rationem univerſam hæcce Quatuor recte collineant atque examuſſim quadrant.* — At enim vero convenientia omnium Quatuor nominatorum ponitur manifeſte in *uno illo*, quod eorum דֶּרֶךְ *agendi ratio* ſit imperveſtigabilis.

i) Res quatuor nominantur, quæ homini præter ſpem eveniunt felices, qua vero fortuna ſua mox abutitur.

k) Sequuntur ſententiæ de inſtinctibus naturalibus animalium, *von den Kunſttrieben der Thiere;* qui in Theologia naturali invictum argumentum præbent, mundum non poſſe eſſe caſu fortuito, ſed auctorem ejus eſſe debere ſapientiſſimum.

l) hebr. שְׁפַנִּים. De quibus vid. *Bochartus* in Hieroz.

P. II.

Et tamen ponunt in petra domum ſuam.

27. Regem non habent locuſtæ,

Et tamen celeriter egrediuntur *m)* omnes.

28. Stellio manibus dexterrime prehendit,

Atque eſt in regum palatiis. — *n)*.

29. Tria ſunt, quæ magnifice incedunt,

Immo quatuor, quæ ſtrenue gradiuntur:

30. Leo

P. II. c. 33. p. 1602. edit. Leusd. et *Michaelis* in quæſtionibus arabicis p. 260. — Non ſunt *cuniculi*, uti multi putant. Sed *majoris muris* ſpecies in Palæſtina, Aegypto et Lybia. *οἱ ὁ* vertunt: χοιρογρύλλιος. *Hieronymus: ἀρκτομῦς, mus urſinus.* Sic dictus, quia poſteriores pedes prioribus habet longiores et bipes incedit. cf. *Biel* in Lexico ſub h. v. Arabibus *Aljarbo* dicitur. Sed *Shaw* in Itinerario ſuo p. 156. verſ. germ. negat *Jarboam* eſſe שָׁפָן Scripturæ S.

m) Sic verto חֹצֵץ ex ſignificatione hujus verbi in lingua arabica ſcopo ſententiæ unice apta, quod bene probavit *Schnurrerus* in Diſſertat. ad quædam Proverb. loca p. 16. — De locuſtis vid. *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. IV. Cap. 2. *Shaw* l. l. p. 156. et recentiſſimus illarum regionum peregrinator *Volnejus* in Itinerario ſuo Syriæ et Aegypti P. II. p. 235.

n) De שְׂמָמִית data opera egit *Bochartus* P. I. Lib. IV. Cap. VII. p. 1083. et *ſtellionem* eſſe probavit. *Michaelis* exiſtimat ſpeciem eſſe ſtellionis venenatæ, quæ *Geko* vocetur, in terris meridionalibus vix ab ullo loco coercendæ. Arab. سمّ *veneno infecit.*

30. Leo, animalium fortiſſimum,
Non fugit aſpectum ullius.
31. Accinctus lumbos *o*), hircus,
Et rex in concione populi. —
32. Si quid per ſuperbiam ſtultius egeris,
Aut inſolentius te geſſeris: manum ori impone:
33. Nam fricio lactis præbet butyrum,
Compreſſio autem naſi elicit ſanguinem,
Et corrugatio narium efficit contentionem *p*).

CAPUT

o) Alterum animal non ſuo nomine inſignitur, ſed periphraſtice vocatur זַרְזִיר מָתְנַיִם *ſuccinctus lumbos.* Sub quo antiquiores interpretes omnes *gallum* intelligunt. Ex recentioribus autem *Bochartus* P. I. Lib. II. Cap. VI. p. 102. *Schultenſius* et *Michaelis equum. Dœderleinius* vero ſpeciem illam equi ſ. aſini pulcherrimi, nomine *Zecora* ſ. *Zebra* a ſcriptoribus phyſicis deſcripti; cujus imaginem vide in *Ludolfi* Commentario ad Hiſt. Aethiop. p. 150.

p) Plurimi quidem interpretes viderunt, commendari in hoc verſu *ſilentium*, quod Agur in verſu antecedenti ſuaſerat. Nam particula כִּי h. l. neceſſario cauſaliter eſt vertenda atque indicat, hac ratione rixas facillime impediri, quæ alias vitari non poſſent, ſi quis pertinacius ſtultitiam ſuam defenderet, aut alios inſolentia ſua magis ad iram provocaret. Sed recte, uti arbitror, *Schultenſius* obſervavit, quod ab omnibus, quos equidem novi, interpretibus neglectum eſt, priorem ſimilitudinem

CAPUT XXXI

1. **V**erba Lemuelis regis *a*).

Sen-

nem a præparatione butyri ſumtam, non poſſe in ſenſu deteriori accipi, uti poſterius membrum. Nam hæc duo nullo modo poſſunt inter ſe comparari: *ut preſſio lactis elicit butyrum, ita preſſio iræ elicit rixam.* Igitur prioris membri comparatio ſuadet manſuetudinem et lenitatem; poſterioris vero diſſuadet pertinaciam et vehementiam, addita applicatione in ultimo membro. Remanet tantum in hoc nexu, quem cæterum res ipſa ſatis commendat et probat, difficultas in diverſo ſenſu verbo מִיץ tribuendo et omnino in illuſtratione prioris comparationis ex uſu loquendi. Locus quidem Pſ. 55, 22. a *Schultenſio* allatus ſatis aptus eſt ad illum ſenſum vocabuli חֶמְאָה illuſtrandum, ſed hæc nondum ſufficere probe ſentio. — Acumen ſententiæ videtur tantum eſſe in repetitione verbi מִיץ ſine reſpectu ad diverſum ſenſum, quo accipiatur, quod igitur in verſione exprimi non poteſt. Hinc quoque *Schultenſius* non male מִיץ אַפַּיִם explicat de corrugatione narium, qua homines ſuperbi alios inſultant: quo ſenſu reſpondet verbo זִמּוֹת in præcedenti verſu, quod ipſum de inſolenti iſta arrogantia dicitur.

a) Multi interpretes exiſtimant hoc nomine *Lemuelis* Salomonem indicari, atque adeo *Schultenſius* probare ſtuduit, convenire cum alio nomine *Jedidjæ* ei a Nathane propheta impoſito 2 Sam. 12, 25. quoniam compoſitum

 ſit

Sententiæ, quibus eum mater ejus inſtituit:

2. O mi fili dilectiſſime! et deſideratiſſime!

3. Noli profundere vires tuas apud mulieres,
Et perdere vitam tuam inter has regum expugnatrices. —

4. Non regum eſt, Lemuel, non regum eſt bibere vinum,
Nec conſiliariorum vini cupiditas *b*).

5. Ne

ſit ex arab. למא *peculium* et אל *Deus*. At enimvero ratio reddi non poteſt, ob quam Salomo ſeſe hoc nomine inſignierit. Neque probabile videtur, matrem ejus Bathſebam auſam fuiſſe filio, haud dubie ſapientiori et prudentiori, neque a matre, ſed a Nathane propheta educato, coll. l. c. 2 Sam. 12, 25. has regulas dare de vitanda voluptate et vinolentia. — — Sed quid impedit, quo minus ſit nomen regis gentilis, cum in gente Iſraelitica hujus nominis rex non inveniatur? quæ ſententia eſt *Dœderleinii*, qui recte obſervat, inique ſentire qui exiſtiment, non fuiſſe viros ſapientes, niſi in gente Judaica. — — At quis in re prorſus incerta definire aliquid audeat? Id modo addo diverſam eſſe lectionem hujus nominis apud antiquos interpretes. Syrus legit *Muel*, non *Lemuel*. Vertit: *Verba Muelis regis prophetæ*; οἱ ό legerunt מֵאֵל et דִּבְרֵי οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ Θεοῦ. Aquila habet: ῥητὰ Λαμμοῦν. Symmachus: λόγοι Ταμουὴλ, et Theodotio: ῥήματα Ῥεβουὴλ. Vulgatus: *Verba Lamuelis*.

b) hebr. אֵן ab אָוָה *deſideravit*, *concupivit*; contracte pro אֵוֶה ut גֵּו *corpus* et מַיִן *aquæ*. Job. 9, 30.

5. Ne forte bibant et legum obliviſcantur,
Aut cauſam afflictorum pervertant.
6. Date potum fortem pereunti,
Et vinum triſtibus.
7. Ut bibant et obliviſcantur egeſtatis ſuæ,
Et calamitatis ſuæ non recordentur. —
8. Aperi os tuum pro muto,
Et cauſam age orphanorum *c*).
9. Aperi os tuum et juſtitiam rigide exerce,
Et tutor eſto pauperis atque egeni. —
10. Mulierem virtute præditam quis inveniet *d*)?
Majus eſt ejus pretium, quam margaritarum.
11. Securus per eam degit ejus maritus,
Quod lucretur, ei non deeſt.

c) Sic phraſin *ἅπαξ λεγ.* בְּנֵי חֲלוֹף *Schultenſius* explicat, ut ſit periphraſis *orphanorum*, qui *filii opis* ſ. *præſidii vicarii* dicerentur; Formulam eſſe apud Arabes uſurpatam, qua parentibus orbatos alloquerentur: חלף אלה עליך *vicem tibi præſtet Deus*, ſ. *vicarius vel ſucceſſor patris tui ſit Deus*. Qua occaſione evolvit notiones verbi خلف חלף primaria eſt *glomerare* ſ. *glomeratim volvere*; ex qua reliquæ, *ſuccedere*, *mutare*. Alii aliter. In his *Michaelis*, qui de h. l. vid. in Supplementis ad Lexica Hebr. p. 788.

d) Carmen ſequitur elegans; nova ignoti auctoris appendix, encomium mulieris probæ continens. Singuli verſus cum ſingulis Alphabeti literis incipiunt.

12. Fovet eum bono, malo ſedulo remoto,
Per omnem vitam ſuam.
13. Tractat lanam et linum,
Atque opera manuum ſuarum lubenter elaborat.
14. Eſt veluti navis mercatoris,
E terra longinqua adducit victum ſuum.
15. Surgit, dum adhuc nox eſt,
Et diſtribuit familiæ ſuæ penſum, et portiones ſuas puellis.
16. Deſtinat agrum eumque ſibi comparat,
De fructu manuum ſuarum plantat vineam.
17. Cingit fortitudine lumbos ſuos,
Et confirmat ſua brachia.
18. Sentit laborum ſuorum fructus,
Noctu adeo non extinguitur ejus lampas.
19. Manus ſuas applicat colo,
Et digitis ſuis tractat fuſum.
20. Manus ſuas extendit ad pauperes,
Expandit eas ad egenos.
21. Non timet familiæ ſuæ a nive,
Nam omnes ejus domeſtici duplici veſte utuntur.
22. Stragulas ſibi præparat,
Byſſo et purpura eſt induta.
23. Maritus ejus publice dignitate conſpicuus,
Verſatur inter proceres civitatis.
24. Interulam facit quam vendit,
Cingulum vendit mercatori.

25. Vir-

25. Virtute ita ſplendente cincta,
Contemnit futuri temporis caſus.
26. Sapientes ſermones profert,
Virtutis ſtudium commendat.
27. Attendit ad omnia quæ domi ſuæ aguntur,
Neque dat ſe pigritiæ.
28. Filii eam prædicant,
Maritus eam celebrat:
29. Multæ quidem fœminæ virtutem ſtrenue exercuerunt,
Sed tu omnes ſuperas *e*).
30. Fucus eſt gratia, vapor pulchritudo;
Mulier Jovæ reverens, hæc celebrabitur.
31. Tribuentur præmia, digna ejus virtute,
Et juſtis condecorabitur laudibus.

e) Hæc eſt laus, quæ ei a marito et liberis tribuitur.

ECCLESIASTES

CAPUT I

1. Sermones concionatoris, Davidis filii, regis Hierofolymæ *a*). 2. O ſummam vanitatem, inquit concio-

a) Non Salomonem, ſed ſerioris ætatis ſcriptorem hujus libri auctorem eſſe, poſt *Grotium*, qui id ipſum jam viderat, argumentis tam gravibus probarunt *Eichhornius* in Introduct. in Vet. Teſt. P. III p. 561. edit. 2dæ et *Dœderleinius* partim in Scholiis ad libros poeticos Vet. Teſt. partim in præfatione verſionis germanicæ, quæ prodiit Jenæ 1784, ut non niſi moroſior traditionum antiquarum defenſor illud ſit negaturus. Salva manet auctoritas canonica libri, quamquam auctor ejus ignoratur, uti Joſuæ, Judicum et aliorum. Certum eſt eum ſemper in canone Judæorum antiquo extitiſſe. Plus dubitationis habere videntur quæſtiones de ratione et modo differendi, et de titulo ſ. nomine *Coheleth* Salomoni tributo. De utroque paucis dicam ſententiam meam. Nimirum ſtilus hujus libri in nonnullis locis abruptior et obſcurior, et ſententiæ nonnullæ, quæ ſibi contrariæ videntur, viris quibusdam doctis perſuaſerunt, non *unam* perſonam loqui, ſed eſſe colloquium inter duas perſonas et quidem inter diſcipulum et præceptorem. Illum reprehendere multa, quæ in hoc mundo ſunt

cionatur, o ſummam omnium rerum vanitatem!

Z 4 3. Quam-

ſunt atque eveniunt, et conqueri de ſumma ejus imperfectione; hunc eum refutare et docere meliora, mala ſcilicet, ſive imperfectiones hujus vitæ tantas non eſſe, quam viderentur, ſi modo eis recte uteremur. — Eſt hæc hypotheſis *Herderi* in epiſtolis ſuper literis theologicis, germanice ſcriptis, P. I. p. 200. (Simile quid jam *Clericus* ſtatuit in libro: Sentimens de quelques Theologiens ſur l'hiſtoire critique du Vieux Teſt. p. 272.) quam defendit *Eichhornius* in Introduct. in Vet. Teſt. P. III. p. 572. Sed recte, uti arbitror, eam improbavit *Dœderleinius* in præfat. ad verſionem germ. hujus libri ſupra laudatam. Nullum extat in ipſo libro *clarum indicium* colloquii, aut plurium perſonarum diſputantium. Neque hoc ex eo poteſt colligi, quoniam auctor de ſe in prima perſona loquitur, et deinde convertit ſermonem in ſecunda perſona ad diſcipulum. Sic enim prophetæ ſæpe facere ſolent et omnes qui alios docere volunt, ut ex ſua experientia de rebus, quas tractant, loquantur, quas deinde transferunt ad differendum, ad regulas, ad præcepta moralia. — Deinde (quod argumentum graviſſimum videtur) parum probabile eſt, auctorem libri tribuiſſe *partes diſcipuli* dubitantis, nimis conquerentis, aut imprudenter reprehendentis, *Salomoni* regi ſapientiſſimo Cap. I—IV, 16. cui reſpondeat demum Cap. IV, 17. doctor et moderator illarum querelarum. — — Una perſona loquitur, Salomo, qui ex propriis ſuis obſervationibus atque ex pro-

3. Quamnam homo utilitatem conſequitur omni labore

propria experientia diſcipulum ſuum docet atque inſtruit de ratione ſive eventis hujus vitæ, atque his ſuis obſervationibus præcepta ſuperſtruit utiliſſima et præſtantiſſima. — — Jam quod attinet alteram quæſtionem ſupra poſitam de titulo ſ. nomine *Coheleth* Salomoni tributo, equidem aſſentior eis, qui non longe repetendam eſſe ejus ſignificationem ſtatuunt, ſed eam a קָהַל *congregavit*, unde קָהָל *cœtus* ſ. *concio* et hinc קֹהֶלֶת *concionator*, derivant. Nimis enim quæſita videtur ratio hujus nominis, quam *Simonis* dedit in Lexico hebr. ſub h. v. ex verbo arabico כהל *provectiore ætate fuit*, collato כלח *corrugato vultu fuit*. Ex quibus colligit קהלת ſignificare *ſenem*, quoniam (hoc enim ſumit tanquam certum et extra omnem dubitationem poſitum) Salomo Eccleſiaſten in ſenectute ſcripſit, *idque nominis ſub terminatione fœminina ſibi tribuiſſe videretur ad inſinuandum animum ſuum effœminatum, quo ſenex ad idololatriam a fœminis ſe pellici paſſus fuerat* etc. Quod ſane miror ſcriptum eſſe a viro judicii facultate cæterum non deſtituto. Adeo enim abſonum eſt, ut refutationem non mereatur. Quoad prius, originem verbi, tantum obſervo, minus accurate a *Simonio* conferri radices diverſarum literarum קהל et כהל aut קחל et multo minus כלח, illud enim, quod ex *Golio* diſci poteſt p. 2075. non de *ſenectute* dicitur, ſed de *ætate matura* ſ. *plene adulta*, h. e. de anno ætatis trigeſimo usque ad quinquageſimum; hinc idem verbum כהל ſignificat quo-

bore ſuo, quo in hac vita fungitur *b*)? 4. Abit ætas

 et

quoque *matrimonio junctus fuit.* Ex quibus planum eſſe arbitror, hanc originem, ut nominis rationem allatam, falſam eſſe. Et tamen placuit *Moldenbauero* (in verſione germ. quæ Lipſiæ 1772 prodiit) et fortaſſe quoque aliis. Neque in forma nominis generis fœminini de viro uſurpata laborandum eſſe exiſtimo. Non temere rejicienda videtur obſervatio grammatica, quam jam *Schultenſius* dedit in Inſtitutt. linguæ Hebr. p. 164. et *Michaelis* in Grammatica Syr. p. 159. et 172. repetiit: nomina virilium officiorum ſ. munerum etiam ſub terminatione fœminina eſſe generis maſculini. Nec objici poteſt ejusmodi nomina plerumque eſſe abſtracta, quæ pro concretis uſurpentur, uti in lingua græca *ἐξουσία* et germanica *die Obrigkeit;* extat enim locus clariſſimus et aptiſſimus ad noſtrum nomen illuſtrandum, in quo concretum quoque ejusdem formæ nominis generis fœminini de viro adhibetur. Jeſaias Cap. 40, 9. ſe ipſum vocat מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן *præconem Sionis.* cf. notam e) ad verſionem noſtram latinam prophetarum majorum.

b) Summa totius libri indicatur, quæ etiam in ejus fine repetitur Cap. 12, 8. Vanitas, inconſtantia, defectus perpetui rerum omnium hujus vitæ, quas tamen homo magni æſtimat et cupide appetit. — Ex qua *vanitate* intelligitur, hominem in hoc mundo non invenire quod cupit. Quanquam etiam omnibus viribus annitatur, ut firmum aliquid, non caducum, non cum multis malis

aut

et venit ætas, terra ſemper ſtat immota. 5. Oritur ſol et occidit ſol, eodemque ubi ortus eſt anhelans properat. 6. Ventus fertur ad auſtrum, flectitur ad ſeptentrionem, continuo circuit ventus et per circuitus ſuos redit. 7. Flumina omnia in mare defluunt, nec tamen mare impletur. Locum, quo fluunt flumina, ad eum continuo decurrunt *c*). 8. Omnes res ita fatigant, ut dici non ſatis poſſit: nec oculus viſu ſatiatur, nec auris auditu expletur. 9. Quid eſt quod fuit? Id quod erit. Quid eſt quod arte *d*) factum eſt? Id quod in poſterum quoque arte fiet? Nihil omnino novi ſub ſole exiſtit. 10. Quodſi forte ſit aliquid, de quo dicatur: en aliquid novi! tamen hoc quoque jam dudum ante tempora noſtra extitit. 11. Non eſt memoria rerum ante actarum, nec erit eorum, quæ poſt agentur, apud eos qui poſt futuri ſunt *e*). 12. Ego concionator, cum Iſraelitarum rex eſſem

aut doloribus junctum conſequatur: tamen intelliget omnem operam et laborem fruſtra eſſe inſumtum.

c) verſ. 4—8. exempla ſunt viciſſitudinum et inconſtantiæ etiam earum rerum, quarum tamen *duratio* eſſe putatur.

d) Sic עָשָׂה ex ſignificatione ſua primaria *texit* dicitur de eo, quod artifex ſtudioſe elaboravit, e. c. Jeſ. 43, 7. et infra Cap. 2, 6.

e) In perpetuo hominum ſtudio rerum novarum nihil novi

eſſem Hieroſolymæ, 13. animum meum applicui ad perquirendum et inveſtigandum ſtudioſiſſime ea omnia quæ ſub cælo ſunt. Sed moleſta hæc eſt occupatio, qua Deus concedit homines ſeſe ipſos fatigare. 14. Vidi ego omnia quæ ſub ſole exiſtunt, et en! omnia vana ſunt et voluptatem offerunt cito prætereuntem *f*). 15. Perverſa corrigi non poſſunt, nec defe-

novi eſt, ſed repetitio tantum rerum antiquarum. — Si qua nova videntur, ratio ſæpe quærenda eſt in defectu hiſtoriæ. Multa antiquitas jam novit, quæ noſtris temporibus demum inventa putantur. Noſtra attentio quoque plerumque in res præſentes directa non meminit eorum, quæ jam dudum legimus aut audivimus.

f) hebr. רְעוּת רוּחַ et רַעְיוֹן רוּחַ verſ. 17. ſunt duo vocabula huic libro propria. Forma nominum docet utraque eſſe formata a רעה et minus accuratam eſſe verſionem nonnullorum Judæorum, cujus *Hieronymus* mentionem facit, *κάκωσις πνεύματος*, *vexatio ſpiritus*, quaſi eſſet a רוע. Neque a רעע poteſt derivari, ut ſit *confractio ſpiritus*. Similia hujus formæ exempla ex verbis tertiæ He quieſcentis complura extant e. c. נִקָּיוֹן a נקה, פִּדְיוֹן a פָּדָה, גָּלוּת a גָּלָה. Sed רעה quoque diverſas habet ſignificationes. Vulgaris eſt *pavit*, quam ex antiquis ſubſtituerunt Aquila: *νομὴ ἀνέμου*, et Symmachus: *βόσκησις*, *paſtio venti*, h. e. *rerum vanarum ſtudium*, ut Hoſ. 12, 2. *Ephraim paſcitur vento*, h. e. rebus vanis addictus eſt, in quibus fruſtratur deſiderium. Sed רעה in

defectus omnes enumerari. 16. Conſilium igitur aliquando cepi, me, qui ſapientia antecellerem omnes, qui ante me Hieroſolymæ regnaſſent, et qui tanta ſapientia eſſem præditus et prudentia: 17. omni ſtudio ſapientiæ incumbere velle, ſcientiæ rerum ſplendidarum et prudentiæ ſ. eruditioni *g*). Sed intellexi hanc quoque oblectationem caducam eſſe. 18. Nam

in lingua chaldaica ſignificat *acquieſcere in aliqua re, delectari*, ut hebr. רצה. Sic οἱ ό, *προαίρεσις πνεύματος, delectatio venti*, h. e. voluptas ſ. oblectatio caduca, cito præteriens. Quam derivationem priori præfero, jungitur enim plerumque τῷ הבל. Sic quoque *Michaelis*.

g) In textu eſt דַּעַת הֹלֵלוֹת וְשִׂכְלוּת quæ complures interpretes explicant *ſtultitiam et veſaniam*. At enimvero haud ſcio an ſatis accurate. Nam הלל ex ſignificatione primaria eſt *ſplendere* et tranſitive *ſplendidum reddere*, metaphorice *laudare, magni æſtimare*. Notio autem *ſtultitiæ* ſ. *inſaniæ*, ſi unquam ei tribuenda eſt, de quo tamen dubito, venit tantum ex conjugatione Hitpael, in qua eſt *ſuperbire*, et tantum de ſpecie illa inſaniæ, nempe de *faſtu*, intelligend.. vid. Jo. Wilh. *Schrœderi* Comment. ad Pſ. X. p. 52. ſeqq. *Scheidius* ad Canticum Hiſkiæ p. 255. *Schultenſius* ad Job. 29, 3. — Quoad שִׂכְלוּת autem perperam ſumitur ſcriptum eſſe pro סִכְלוּת οἱ ό vertunt: *παραβολὰς καὶ ἐπιστήμην*. Sic quoque Syrus, Arabs et Chaldæus. Vulgatus tantum habet: *erroresque et ſtultitiam*.

18. Nam in multa ſapientia multum eſt tædii, et qui ſibi prudentiam auget, auget ſibi dolorem.

CAPUT II

1. Deinde ita apud me cogitavi: age! guſtabo voluptates et fruar bonis ſ. jucundis *a*). — Sed hoc quoque vanum eſſe deprehendi. 2. Riſui dixi: magnum ſplendorem habes *b*); et lætitiæ: quid præſtas? 3. In-

a) Cum Salomo videret, ſapientiam ſ. rerum multarum cognitionem ſibi non præſtare puram nec interruptam oblectationem, aliud capit conſilium, ſenſuum nempe oblectamenta cum ſtudio ſapientiæ ſ. meditationibus philoſophicis conjungendi atque in illis quoque animum ſuum exercendi. Conſilium et propoſitum ſane utiliſſimum et homine ſapiente dignum, quod pluribus diſerte expoſuit *Dœderleinius* in notis ad verſ. germ. Sed mox intelligebat rex ſapiens, neque hanc conjunctionem deſiderio ſuo omni ex parte ſatisfacere.

b) In textu recepto legitur una voce מְהוֹלָל ſed melius fortaſſe legatur duabus מַה הֹלֵל. Sic Syrus et Arabs interrogative legerunt. Ille: *quæ utilitas?* num ex alia lectione הוֹעִיל ut *Hubigantius* ſuſpicatur, jam non quæram: hic: *quæ cauſa oblectationis tuæ?* Sane melius reſponderet alteri membro. Nec tamen neceſſaria videtur mutatio, cujus in verſione græca et latina nullum eſt indicium. — De ſignificatione verbi הָלַל vid. notam

defectus omnes enumerari. 16. Conſilium igitur aliquando cepi, me, qui ſapientia antecellerem omnes, qui ante me Hieroſolymæ regnaſſent, et qui tanta ſapientia eſſem præditus et prudentia: 17. omni ſtudio ſapientiæ incumbere velle, ſcientiæ rerum ſplendidarum et prudentiæ ſ. eruditioni *g*). Sed intellexi hanc quoque oblectationem caducam eſſe.

18. Nam

in lingua chaldaica ſignificat *acquieſcere in aliqua re, delectari*, ut hebr. רצה. Sic *οἱ ό, προαίρεσις πνεύματος, delectatio venti*, h. e. voluptas ſ. oblectatio caduca, cito præteriens. Quam derivationem priori præfero, jungitur enim plerumque *τῷ* הֶבֶל. Sic quoque *Michaelis*.

g) In textu eſt דַּעַת הֹלֵלוֹת וְשִׂכְלוּת quæ complures interpretes explicant *ſtultitiam et veſaniam*. At enimvero haud ſcio an ſatis accurate. Nam הלל ex ſignificatione primaria eſt *ſplendere* et tranſitive *ſplendidum reddere*, metaphorice *laudare, magni æſtimare*. Notio autem *ſtultitiæ* ſ. *inſaniæ*, ſi unquam ei tribuenda eſt, de quo tamen dubito, venit tantum ex conjugatione Hitpael, in qua eſt *ſuperbire*, et tantum de ſpecie illa inſaniæ, nempe de *faſtu*, intelligenda. vid. Jo. Wilh. *Schrœderi* Comment. ad Pſ. X. p. 52. seqq. *Scheidius* ad Canticum Hiſkiæ p. 255. *Schultenſius* ad Job. 29, 3. — Quoad שִׂכְלוּת autem perperam ſumitur ſcriptum eſſe pro סִכְלוּת *οἱ ό* vertunt: *παραβολὰς καὶ ἐπιστήμην*. Sic quoque Syrus, Arabs et Chaldæus. Vulgatus tantum habet: *erroresque et ſtultitiam*.

18. Nam in multa ſapientia multum eſt tædii, et qui ſibi prudentiam auget, auget ſibi dolorem.

CAPUT II

1. Deinde ita apud me cogitavi: age! guſtabo voluptates et fruar bonis ſ. jucundis *a*). — Sed hoc quoque vanum eſſe deprehendi. 2. Riſui dixi: magnum ſplendorem habes *b*); et lætitiæ: quid præſtas? 3. In-

a) Cum Salomo videret, ſapientiam ſ. rerum multarum cognitionem ſibi non præſtare puram nec interruptam obleſtationem, aliud capit conſilium, ſenſuum nempe obleſtamenta cum ſtudio ſapientiæ ſ. meditationibus philoſophicis conjungendi atque in illis quoque animum ſuum exercendi. Conſilium et propoſitum ſane utiliſſimum et homine ſapiente dignum, quod pluribus diſerte expoſuit *Dœderleinius* in notis ad verſ. germ. Sed mox intelligebat rex ſapiens, neque hanc conjunctionem deſiderio ſuo omni ex parte ſatisfacere.

b) In textu recepto legitur una voce מְהוֹלָל ſed melius fortaſſe legatur duabus מָה הֹלֵל. Sic Syrus et Arabs interrogative legerunt. Ille: *quæ utilitas?* num ex alia lectione הוֹעִיל ut *Hubigantius* ſuſpicatur, jam non quæram: hic: *quæ cauſa obleſtationis tuæ?* Sane melius reſponderet alteri membro. Nec tamen neceſſaria videtur mutatio, cujus in verſione græca et latina nullum eſt indicium. — De ſignificatione verbi הָלַל vid. no-

tam

3. Inveſtigabam, dum corpori meo vinum indulgebam. Ducebat me ſapientia, dum me ſtultitiæ dederam, donec viderem, ubi bonum ſummum eſſet, quod homines ſibi comparare poſſent pro exiguo dierum vitæ ſuæ numero. 4. Magnifica opera feci, domos exſtruxi, plantavi vineas. 5. Conſevi hortos et arboreta, in quibus omne genus arborum fructuoſarum plantavi. 6. Feci aquarum receptacula, quibus irrigaretur nemus arboribus conſitum. 7. Emi ſervos et ancillas. Nec ſolum familiam habui, ſed etiam armenti et pecoris greges majores, quam quisquam eorum qui ante me Hieroſolymæ fuerunt. 8. Congeſſi aurum et argentum, et quidquid reges et provinciæ præcipuum habent. Comparavi mihi cantores et cantatrices, et humani generis delicias cujus-

tam g) ad præcedens caput. Cæterum quoniam in ſequenti verſu Salomo clare dicit, ſe uſum rerum ſenſibilium ſibi conceſſiſſe, ſapientiæ tamen ſtudio non neglecto ad verum earum pretium eo melius cognoſcendum: plane apparet hæc verba מְהֹלָל et מַה זֹּה עֹשָׂה non eſſe per contemtum dicta, aut repudiare et condemnare hujus vitæ voluptates, (quæ ſententia eſt multorum interpretum, in his quoque *Michaelis*,) ſed commendare uſum providum ſenſibilium conjunctum cum meditatione aut inveſtigatione utilitatis, quam iſtæ res ſuaves et jucundæ a plerisque hominibus tam cupide appetitæ præſtent. Quod acute vidit *Dœderleinius*.

cujuscunque generis *c*). 9. Ita magnus factus ſum, ut

c) Non recenſebo conjecturas virorum doctorum multas et varias ſuper verbis hebraicis שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת hoc loco tantum obviis. Liceat mihi tantum h. l. repetere meam ſententiam, non quidem novam, ſed a *Ludov. de Dieu* in Critica S. ad h. l. jam allatam, a me vero etiam ad *Glaſſium* repetitam p. 52. Ille nimirum confert vocabulum ſyriacum ܫܕܐ quod *viam* ſ. *propoſitum* ſignificat, ut hebraicum דֶּרֶךְ. Igitur: *deliciæ filiorum hominis viæ et viarum* ſ. *propoſiti et propoſitorum*, ſunt: omnis generis deliciæ, quas homo ſibi proponere et adire poteſt. Repetitio ſubſtantivi ejusdem eſt hebraiſmus, quo varietas ſ. univerſalitas indicatur, ut Jeſ. 3, 1. et plura exempla in *Glaſſio* l. c. citantur. — Hanc explicationem contextui eſſe aptiſſimam, nemo neget. Nam שִׁדָּה ושדות ultimum eſt, quod in illo catalogo voluptatum humanarum ſatis longo affertur. Quid igitur melius convenit, quam vocabulum generis, quo Salomo indicat, ſibi nihil omnino defuiſſe earum rerum, quas homines tanquam ſuaves et jucundas ſectarentur. — At non diffitebor, alia loca a *Ludov. de Dieu* non eſſe allata, in quibus hoc vocabulum hoc ſenſu legatur. Ipſe timidiuſcule loquitur de conjectura ſua: *ſucturrit*, inquit, *lingua Syriaca*. Bis extat hoc vocabulum in verſione ſyriaca Geneſ. 40, 13. 21. ſed in alia ſignificatione, quæ tamen non prorſus contraria eſt. Uſurpatur ibi de *munere* pincernæ et piſtoris Pharaonis regis. Non repugnat, idem vocabulum etiam illam generaliorem habuiſſe

ut plura poſſiderem, quam ullus eorum, qui ante me Hieroſolymæ fuiſſent, et tamen ſapientiam retinerem.
10. Nihil eorum quæ oculi appetebant, eis denegavi, nec ab ullo voluptatis ſenſu animum meum retinui. Debebat enim ille lætari de labore ſuo, et hic debebat eſſe fructus omnis mei laboris *d*). —
11. Sed cum attenderem ad illa opera mea et ad labores, in quibus adeo diligenter verſatus fueram: intellexi omnia vana eſſe et caducam voluptatem, nec quidquam eſſe ſub ſole ſ. in rebus hujus vitæ perfectum.
12. Convertebam me ad conſiderandam ſapientiam et ſplendentem ſtultitiam iſtam *e*). Nam quid homo iſte, qui mihi ſuccedet, faciet? Nempe id quod dudum fecerunt. *f*)
13. Vidi quidem ſapientiæ

habuiſſe ſignificationem, cujus exempla fortaſſe in ſcriptoribus ſyriacis mox edendis favente fortuna invenientur!

d) Sic explico *verba activa* (*Glaſſius* p. 199.) quoniam Salomo loquitur de conſilio illo ſuo, quod in conjunctione ſapientiæ et voluptatum ſenſibilium ſibi propoſuiſſet verſ. 2. et 3. Conſequens hujus conſilii exponit in verſu ſequenti.

e) Sic vocat, uti videtur, ſenſuum oblectamenta in oppoſitione ad ſapientiæ ſtudium illis longe præferendum.

f) Dolet ſapiens, dum cogitat opera ſua, quibus tantum ſtudium impenderat, a poſteris neglectum iri et ſe ipſum, ut omnia, quibus perficiendis ſibi tantopere placuiſſet,

pientiæ præ ſtultitia tantam eſſe excellentiam, quanta luci eſt præ tenebris: 14. Sapiens oculorum ſuorum luce utitur, ſtultus vero in tenebris ambulat. Sed tamen ego quoque intellexi unum omnibus fatum imminere. 15. Hinc ita apud me argumentatus ſum: quando idem mihi quod ſtulto eveniet, quid ego aliis ſapientia præcello? atque ita putabam ex eo vanitatem ſ. imperfectionem ejus apparere. 16. Sapientis æque ac ſtulti non eſt diuturna memoria, tandem omnia oblivioni traduntur. Et o miſerandam ſortem! quod ſapienti æque ac ſtulto moriendum eſt. 17. Hinc vita mihi exoſa videbatur. Nam diſplicebat mihi, vana eſſe omnia quæ in hoc mundo peragantur, et caducam habere voluptatem. 18. Tædebat me quoque omnium laborum meorum, quos ego in hoc mundo tanto ſtudio elaboraveram, cum viderem me eos relinquere debere ſucceſſori meo. 19. Is vero utrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, incertum eſt; et tamen dominus erit omnium, quæ tanto labore tantaque ſapientia mihi comparavi. Ex quo vana eſſe omnia intelligitur. 20. Hinc prorſus deſperandum eſſe putavi de omni labore, cui me in hac vita dederam *g*).

21. Nam

cuiſſet, oblivioni traditum iri. Hæc eſt ſumma ſequentis diſputationis, qua auctor libri de hujus vitæ imperfectione conqueritur.

g) Senſus: Intellexi ſummum bonum non quærendum

 eſſe

21. Nam homo labores ſuos, quos ſapienter et prudenter et copioſe paravit, alii, qui nihil in eis laboravit, ut partem ſuam relinquere debet. Sequitur ergo vanum hoc eſſe, magnumque malum. 22. Quid enim reſtat homini de omni labore ſuo et animi moleſtia, quam in hac vita toleravit? 23. Omnes dies ejus ſunt dolores et indignatio, negotia ejus moleſta, ne noctu quidem animus ejus quieſcit. Quam vana iſta ſunt! 24. Non eſt hominis felicitas in eo quærenda, quod edat et bibat, et quod laborum ſuorum fructus percipiat. (Sed hoc quoque ex divina voluntate fieri intellexi.) 25. Quis enim me melius edere aut inſtare ſuſceptis *h*) ſuis poterat? 26. Sed ei

eſſe in laboribus ſapienter et feliciter perfectis, quoniam poſt mortem relinquendi ſunt aliis, qui eorum mox obliviſcentur.

h) Equidem non tam obſcurum eſſe locum putem, quam nonnullis interpretibus videtur. Qui ſine præconcepta opinione verba legit, facile intelliget ea referri ad verſ. 24. ejusque reddere rationem ſ. probationem. Suo nempe exemplo probat Salomo: non eſſe hominem felicem in ſumma rerum omnium mundanarum copia et affluentia. Ex qua relatione ad verſum præcedentem ſatis manifeſta intelligitur, non neceſſarium eſſe ut יָחוּשׁ mutetur in יִשְׁתֶּה quod in illo verſu legitur. Scriptores enim in hujusmodi repetitionibus non ſolent

ei qui Deo placet, largitur ſapientiam et prudentiam et lætitiam: peccatori autem imponit laborem cogendi et colligendi, quæ deinde in eum cui favet transfert. Ex quo, quam vana et caduca omnia ſunt, intelligitur.

CAPUT III

1. Suum cuique rei tempus eſt, et terminus certus eſt rebus omnibus, quæ ſub cælo exiſtunt *a*). 2. Tempus eſt naſcendi, tempus moriendi. Tempus eſt plantandi, et tempus plantata exſtirpandi. 3. Tempus eſt lethaliter vulnerandi, tempus etiam ſanandi. Tem-

lent ſingula verba repetere, et ſententia ipſa in verbis כי מי יאכל intelligi poteſt integra. Alterius vero membri verba ומי יחוש reſpondent verbis verſ. 24. והראה את נפשו טוב בעמלו. In ultimo autem verſu innuitur, quid ad uſum bonorum hujus vitæ maxime neceſſarium ſit, ſi vita felix dici deberet, nempe *lætitia*, h. e. animi illa tranquillitas, quæ eis, quibus fruitur, contenta vivat; quam donum Dei eſſe dicit, et de qua in ſequentibus ſæpius: e. c. Cap. 3, 12. 22.

a) Vitæ humanæ vanitas aut imperfectio alia ratione oſtenditur. Nimirum omnia, quæ in mundo eveniunt, ſunt mutationi obnoxia, omnia ad tempus durant, ſuam habent periodum, cui alius rerum ordo ſuccedit, priori ſæpe omni ex parte contrarius. Quod exemplis ex experientia quotidiana ſumtis probatur, verſ. 1—9.

Digitized by Google

pus eſt deſtruendi et tempus eſt ædificandi. 4. Tempus eſt plorandi et tempus ridendi. Tempus eſt lugendi et tempus ſaltandi. 5. Tempus eſt disjiciendi lapides, et tempus colligendi lapides. Tempus eſt amplectendi, et tempus abſtinendi ab amplexibus. 6. Tempus eſt quærendi et tempus perdendi. Tempus eſt ſervandi et tempus abjiciendi. 7. Tempus eſt diſſuendi et tempus eſt conſuendi. Eſt ſilendi et loquendi tempus. 8. Eſt amandi et odio habendi tempus. Eſt belligerandi et paciſcendi tempus. 9. Quamnam igitur utilitatem habet is, qui laborat, ex illo labore ſuo *b*)? — 10. Vidi ego illam ſedulitatem, qua Deus permittit, ut homines ſeſe ipſos affligant *c*). 11. Omnia quidem pulcherrime facit ſuo tempore, quin et mundi hujus *pulchritudinem* homi-

b) Eſt concluſio. Ad quid laborat igitur homo? quid concupiſcit? quid tam anxie deſiderat? Res, quas mox cum tædio rejicit, aliasque appetit brevi iterum repudiandas.

c) Iſta hominum ſedulitas ſæpe ſibi contraria venit a Deo. — Diſcrimen inter effectum ſ. productionem et permiſſionem Hebræi ignorant. Utrumque Deo tribuunt. Sententia tamen ipſa vera eſt. Sufficit homini ad quietem et tranquillitatem ſuam, ſi certo perſuaſus eſt, Deum rei alicujus tempus elegiſſe, eum noſſe omnia quæ cum eo conjuncta ſunt, et ſecundum hæc etiam mutationes ordinaſſe.

homines mentibus ſuis intueri poſſunt, modo opera Dei ab initio ad finem *d)* comprehendere non valent. 12. Exiſtimo optimum eſſe lætari et bene facere in hac vita *e)*. 13. Sed hoc quoque, quod homo edat et bibat et laboris ſui fructum percipiat, eſt donum Dei. 14. Intellexi, omnia quæ Deus facere decrevit, hæc ſemper fieri. Nihil addi eis, nihil detrahi poſſe. Hoc vero homines ad Dei timorem impellere debet *f)*. 15. Quod eſt, fuit, et quod erit, jam dudum fuit; immo Deus præterita reducit. — 16. Præterea vidi in hoc mundo: ubi judicium exerceri debebat, ibi eſſe impietatem, et ubi juſtitia vigere debebat, ibi injuſtitiam deprehendi. 17. Tunc ego ita apud me ratiocinabar: juſtum et impium Deus judi-

d) h. e. nexum rerum omnium.

e) Sub hac duplici conditione homo vitam agere poteſt felicem. Primo ſi contentus eſt iis quæ habet, nec plura deſiderat. Deinde ſi laboribus ſuis aliis prodeſſe cupit.

f) Bona hujus vitæ, præmia laborum et ſedulitatis ſuæ, homo certo conſequitur, quoad ea ſibi a Deo ſunt deſtinata. Felicem eventum negotiorum ſuorum a ſapientiſſima Dei directione ſ. gubernatione rerum omnium debet expectare. — Doctrina de providentia divina et doctrina de religioſo Dei cultu arcte cohærent. Certa illius perſuaſio excitat fidem noſtram, eamque, ut et obedientiam, quam Deo debemus, auget.

cabit. Eſt enim ſuum cuique tempus conſtitutum, et de omni re diſponit *g*). 18. Intelligebam hominum cauſa hoc fieri. Explorat, videt eos Deus, qui ipſi beſtiis ſimiles videntur *h*). 19. Nam eadem eſt hominis et beſtiæ conditio, in eo non differunt. Sicuti ille, ita et hæc moritur. Unum ſpiritum trahunt, nullam-

g) In textu recepto legitur שָׁם quod etiam antiqui interpretes exprimunt per *ἐκεῖ*, *ibi*. Obſcure. Admittit explicationem, ſi vertatur non ut adverbium *loci*, ſed *temporis*, ut Pſ. 14, 5. et referatur ad עֵת ex priori autem membro repetatur יִשְׁפּוֹט *quo* ſc. tempore *Deus de omnibus rebus judicabit*. Facilior tamen videtur conjectura *Dœderleinii*, legendum eſſe per Sin שָׂם *decernit, diſponit*, quod ſic dicitur Exod. 15, 25. 2 Sam. 13, 32.

h) Hujus pericopæ, usque ad finem capitis, ſcopum et nexum acute admodum perſpexit et explicavit *Dœderleinius*, cui omni ex parte aſſentior. Theſin præcedentem: Deum eſſe dominum et judicem actionum humanarum, repetit vir ſapiens, et genus humanum in eo magnum cenſet, immo in hac Dei ad homines attentione graviſſimum dignitatis ſuæ argumentum invenit, dum reliqua externa, nativitas et mors, eos beſtiis ſimiles faciunt. — In hoc nexu theſis: homines beſtiis ſimiles ſunt, nihil falſi dicit, quanquam dura videtur et paullo audacior. Ex aliis locis plane apparet, auctorem libri animi immortalitatem et futuram vitam minime negare. Reſpicit tantum *ortum*, *mortem* et *corruptionem*, quæ cum brutis homo habet communia.

Iamque homo præ beſtia habet prærogativam; omnia caduca ſunt. 20. Omnia ad unum locum abeunt; omnia ex pulvere orta ſunt, et in pulverem omnia redibunt. 21. Quis novit hominis ſpiritum *i*), qui ſurſum adſcendit? et beſtiæ ſpiritum, qui deorſum deſcendit? 22. Video non eſſe majus bonum homini expetendum, quam lætam animi tranquillitatem in negotiis ſuis. Hæc eſt ejus pars *k*). Quis enim eum ducet, ut videat id, quod poſtea futurum ſit?

i) Falſa eſt *Lutheri* aliorumque verſio: *quis ſcit, num ſpiritus hominis ſurſum aſcendat?* Sic enim auctor ſibi manifeſte contradiceret, qui Cap. 12, 7. clare aſſerat: ſpiritum hominis ad Deum abire, qui eum dedit. Neque verba poſſunt eſſe adverſarii dubitantis, nam nulla ſequitur reſponſio. Litera He ante העלה et הירדת non eſt interrogativa, ſed He articuli. Senſum verborum ſequens verſus oſtendit: Spiritus ille, qui ſe ad judicem effert, tam parum objectum eſt cognitionis humanæ, quam ſpiritus animalis, quod moritur. Quis ortum ejus novit? ejusque vires? et locum ubi poſt mortem erit? Cadaver hominis et animalis jacet proſtratum ſine halitu et vita.

k) Quoniam ſtatum futurum minus clare intelligimus, et eventus rerum noſtrarum eſt incertus: conſideratio rerum futurarum magis hominem perturbat et inquietum reddit. Quod in cognitione minus perfecta antiquæ œconomiæ magis valebat, quam in pleniore et accuratiore

CAPUT IV

1. Porro *a*) attendebam ad injurias, quæ in hac mundo committuntur. Videbam lacrimas oppreſſorum, qui nullum habebant conſolatorem. Nam qui eos opprimebant, vi prævalebant, propterea nemo eos adjuvabat. 2. Hinc ego jam dudum mortuos feliciores prædicabam quam vivos, qui adhucdum vitam agunt. 3. Utrisque vero beatiorem putabam eum qui nunquam fuit. Is enim mala hujus mundi nunquam vidit. — 4. Cum animum adverterem ad labores hominum et complura eorum negotia, intellexi invidiam eis junctam eſſe *b*). Hinc quoque vana ſunt et voluptatem offerunt admodum caducam. 5. Ignavus quidem complicat manus ſuas, et ſemet ipſe deſtruit *c*).

6. Me-

tiore doctrina, quam evangelio Chriſti debemus. — Hinc optimum eſſe auctor ſtatuit: frui bonis, quæ habes. Præſens uſus tibi certus eſt, futurus incertus.

a) Tranſit ad aliam partem miſeriæ humanæ, quæ cernitur in malis alienis. Afflictiones innocentem injuriis tyrannorum miſere vexatorum ſi quis paullo humanior et mitioris naturæ conſiderat, facile ad has querelas impelli poteſt, ut mortuos vivis feliciores judicet.

b) Invidia et obtrectatio magnum malum eſt vitæ humanæ. Tranquillitas et hilaritas viri probi valde perturbatur, ſi videt alios invidere ſuæ gloriæ ſuisque meritis.

c) hebr. *comedit carnem ſuam.* Ignavus ſe ipſe perdit et deſtruit

Digitized by Google

6. Melior eſt pugillus quietis, quam plena utraque vola laboris vanæque oblectationis. — 7. Sed amplius hujus vitæ vanitates conſideravi *d*). 8. Eſt aliquis unus, nec eſt ei aliquis ſecundus; neque filium habet neque fratrem, et tamen laborum ſuorum finem non facit, nec oculus divitiarum aſpectu ſatiatur. Sed quid ego aliis laborem, me ipſe *hujus vitæ* bonis privans? Hoc quoque vanum eſt et inſanum ſtudium. — 9. Præſtant duo uni, ſi quidem laborum ſuorum bonam mercedem habent. 10. Si cadunt, alter alterum erigere poteſt. Sed ah! iſtum unum! Si ceciderit, non habet qui eum attollat. 11. Porro ſi duo cubant, concaleſcunt. Unus vero quomodo incaleſcat? 12. Si unus ei prævalet *e*), duo tamen ei poterunt

Aa 5 reſiſtere,

deſtruit fuga laboris. Sed non minus reprehendendus eſt exceſſus in laboribus ut diteſcas. Optimum eſt via media incedere.

d) Innuit avaros, qui eo usque cupiditati diteſcendi indulgent, ut omni vitæ humanæ conſortio abſtineant. Hinc mala illa auctor exponit, quæ hujusmodi homini avaro ex illa vita ſolitaria eveniunt et mutuæ amicitiæ et conſortii varia commoda oſtendit, a verſ. 9 — 13.

e) hebr. יִתְקְפוֹ Affixum referendum eſt ad eum qui calefieri non poterat. Sed forma ejus eſt paullo rarior. Eſſe enim deberet יִתְקְפֶנּוּ. Occurrunt tamen ſimilia exempla Pſ. 35, 8. תִּלְכְּדוֹ *capiet eum.* Hoſ. 8, 3. יִרְדְּפוֹ *perſequetur eum.*

reſiſtere, nec facile funiculus triplex rumpitur. — 13. Præſtantior habetur adoleſcens pauper, ſed ſapiens, quam rex ſenex isque ſtultus, qui renuit admoneri *f*). 14. E carcere ad regnum eſt evectus, atque in ipſo regno ſuo pauper natus. 15. Video ego omnes horum temporum homines adhærere iſti adoleſcenti ſecundo, qui illi ſuccedet. 16. Ingens hominum copia eſt, quibus ſe ducem præbet, ſed qui ſuccedent, de eo non lætabuntur. Ita et hoc vanum eſt et voluptas caduca. — 17. *g*) Summa cum cura et circumſpectione accede ad ædem Dei. Nam qui accedit, ut audiat, melior eſt hominibus profanis, qui quidem ſacrificia offerunt, ſed mala patrare non dubitant.

CAPUT

f) Inconſtantia favoris populi erga principes, ideoque vanitas ſ. inconſtantia hujus felicitatis demonſtratur, quæ a multis magni habetur et expetitur. Reſpicit auctor libri haud dubie hiſtoriam aliquam illorum temporum, et regni alicujus extra Palæſtinam, in quo hujusmodi cataſtrophe evenerat. Nam de regno Iſraelitico quominus cogitemus, allatæ circumſtantiæ hujus regis et amici ſui prohibent.

g) Novum caput debebat cum hoc verſu incipere. Sequuntur enim præcepta moralia. Primo commendatur ſtudium religionis, ſed cum hac cautione, ne ei externorum rituum obſervatione ſatisfieri exiſtimemus. Inprimis diſſuadet vota temeraria, quæ ſæpe multorum malorum et peccatorum cauſæ eſſe poſſunt, v. 17—5, 6.

CAPUT V

1. Noli temere aut ore aut mente preces effutire coram Deo. Deus enim eſt in cælo et tu in terra, propterea paucis verbis utere. 2. In ſomnio multa ſibi animo repræſentant; ſic ſtultus quoque multa verba deblaterat. 3. Si Deo votum feceris, ſine mora illud ſolve. Homines profani ei diſplicent. Solve igitur quod voviſti. 4. Præſtat omnino non vovere, quam vovere nec ſolvere. 5. Noli concedere ori tuo, ut te peccati reum faciat *h*), et ne deinceps te ipſe coram ſacerdote *i*) accuſare cogaris imprudentiæ. Cur dictis tuis Deus iraſcatur et labores tuos pervertat? 6. Ut in multis ſomniis, ita in multis verbis magna vanitas eſt. Deum igitur reverenter cole. — 7. Si pauperem opprimi, jus et juſtitiam perverti vides in terra; noli hac de re multum commoveri. Altus enim obſervat altum, et altiſſimus utrumque. 8. Omnino autem magna eſt terræ felicitas, cujus rex agricul-

b) Nempe vovendo aliquid, quod per carnis imbecillitatem aut cupiditatum vehementiam non ſervatur, e. c. ſi quis votum fecerit abſtinendi per tempus aliquod aut certis diebus cibo et potu, aut utriusque ſpeciebus quibusdam, uti apud Iſraelitas Naſiræi vino abſtinebant.

i) Sacerdotum erat, de quæſtionibus ſuper votis reſpondere, Levit. 27, 2. ſeqq. propterea quoque ſacerdos מַלְאַךְ legatus Dei vocatur, Mal. 2, 7.

culturæ favet *k*). — 9. Qui pecuniam amat, pecunia non ſatiatur *l*)? Sed quis amat magnam affluentiam, *e qua* nullos fructus percipit? Sane vanum hoc eſt. 10. Quando divitiæ creſcunt, augentur etiam convictores: et quodnam commodum habent poſſeſſores, niſi oblectationem oculorum? 11. Dulcis eſt laboranti ſomnus, ſive parum ſive multum comederit. Sed ſatietas divitis prohibet ab eo quietem. 12. Malum affligens eſt, quod vidi in hoc mundo: divitiæ ſervantur in damnum poſſeſſoris: 13. Perduntur iſtæ divitiæ adverſa quadam fortuna, nec filio ejus quidquam reſtat. 14. Quemadmodum aliquis ex matris utero egreſſus eſt nudus: ita etiam, quemadmodum

k) Sic ſenſum expreſſi, qui mihi quidem eſſe videtur verborum perquam obſcurorum, in quibus nihil mutare auſim, quoniam antiqui interpretes in eorum lectione conſentiunt. Cohærere ea puto cum ultimis præcedentis verſus וּגְבֹהִים עֲלֵיהֶם *Summus*, (pluralis emir entiæ) h. e. rex, *præeſt* ſ. *attendit illis*, ſc. terræ præfecti, qui ſubditos vexant. Quod in laudem ejus dicitur, qui non permittat, ut ſubditi opprimantur. Jam in hoc verſu major adhuc laus boni regis affertur, ſi nempe agriculturæ faveat, quippe qua ſumma ejus prærogativa ſ. utilitas efficiatur, ex ſententia poetæ: o fortunatos nimium ſua ſi bona norint, agricolas!

l) Inde ab hoc verſu usque ad verſum ſextum ſequentis capitis eſt dehortatio ab avaritia. Cujus vitii ſtultitia et turpitudo variis argumentis probatur.

Digitized by Google

dum venit, redibit, et nihil omnino de labore ſuo ſecum auferet. 15. Illud vero malum eſt graviſſimum, quod eadem prorſus ratione, qua venit, etiam ſit abiturus. Quid igitur prodeſt ei in vanum laboraſſe? 16. Et tamen per omnem vitam cibum in tenebris capiebat, multa cum indignatione et inter curas affligentes. 17. Equidem bonum eſſe intellexi atque utile *m*): edere et bibere et frui bonis inter labores, quibus aliquis fungitur in hoc mundo, quamdiu ei vitam Deus conceſſerit: hoc enim ei eſt deſtinatum. 18. Eſt vero donum Dei et beneficium ejus, ſi hominem, cui divitias et opes dedit, etiam dominum conſtituit, ut edere de illis poſſit, et partem ſuam ſibi capere et de labore ſuo lætari. 19. Nam non adeo multum recordatur dierum *n*) vitæ ſuæ. Deus enim facit, ut omnia lætitiæ ejus reſpondeant.

CAPUT VI

1. Eſt malum quod vidi in hoc mundo *a*), idque magnum inter homines. 2. Homo, cui Deus divitias, opes, honores dedit, ita ut nulla re, quam deſideret, indigeat; ſed cui non ſimul poteſtatem conceſſit uten-

di

m) Inſeritur adhortatio, ut divitiis a Deo nobis conceſſis recte utamur. verſſ. 17. 18. 19.

n) ſc. triſtium ſ. miſeriæ hujus vitæ.

a) Redit ad demonſtrationem vitii turpiſſimi, avaritiæ.

di illis, ſed aliis peregrinis. Is ſane infelix eſt et morbo maligno laborat. 3. Si vel centum filios haberet, et complures annos viveret, multique eſſent annorum ſuorum dies, nec ipſe bonis illis ſe ſatiaret, nec cum honore ſepeliretur: abortum iſto homine beatiorem putem. 4. Fruſtra enim naſcitur et obſcure effertur, et memoria ejus tenebris obruitur. 5. Solem nec vidit, nec novit. Quietem habet illo *b*) meliorem. 6. Si vel bis mille annos viveret, nec bonis illis frueretur: tamen ad locum unum omnia abibunt. — 7. Omnis laborum humanorum fructus ori tantum deſtinatur *c*). Animi autem appetitus nunquam ſatiatur. 8. Quamnam habet ſapiens præ ſtulto prærogativam? aut pauper, qui ſcit prudenter cum aliis verſari? 9. Melius eſt frui quod vides, quam animæ deſideriis agitari. Hinc ſequitur vanum hoc eſſe et inane ſtudium. — 10. Omnes qui naſcuntur,

b) ſc. avaro.

c) Commendatur uſus bonorum hujus vitæ ex eo quod corpus alat, vel gratus ſit, animam vero alere non poſſit, cujus cupiditas rerum multarum cognoſcendarum ſit inexplebilis. Atque in eo homines omnes ſibi ſimiles eſſe, ſapientem æque ac ſtultum, divitem æque ac pauperem. Omnes homines laborant, ut vitæ ſuſtentationem ſibi acquirant. Igitur optime agunt, qui his quæ ſibi acquiſiverunt etiam utantur ad corpus alendum. Quod non facit avarus.

ſcuntur, dudum nomine ſuo inſigniti ſunt *d*); homines nempe vocantur, qui cum fortiore contendere non debent audere. 11. Multa verba *e*) augent miſeriam. Quamnam igitur homini afferunt utilitatem? 12. Quis enim novit, quid homini utile ſit in hac vita, paucis illis vitæ diebus, quos ut umbra transigit? quis indicare poteſt homini, quid ei deinceps in hac vita ſit eventurum?

CAPUT VII

1. Præferendum eſt bonum nomen unguento pretioſo *a*). Melior eſt dies mortis die natali. 2. Præſtat

d) In hoc et duobus ſequentibus verſibus commendatur patientia in ferenda imperfectione hujus vitæ triplici argumento. Primo, quod hominem adeo tenuis et humilis conditionis non deceat contendere cum Deo omnipotente. Deinde, quod impatientia magis mala augeantur, quam minuantur. Tertio, quod ignoremus, quam utilitatem mala illa poſſint aliquando habere.

e) ſc. murmuris aut contentionis cum Deo.

a) Bene obſervat *Dæderleinius* in notis ad verſionem germanicam, ſententias hujus capitis usque ad verſ. 13. non eſſe regulas ſ. præcepta, aut conſilia, quæ auctor ſapientiæ diſcipulo præſcribat; quomodo enim triſtitiam lætitiæ præferendam eſſe dicat, qui bona hujus vitæ eorumque uſum cum antea ſuaſerat, tum in ſequentibus commendat; ſed obſervationes ex experientia ductas,

ſtat ire in domum luctus, quam in domum convivii. In illa enim finem conſpicimus omninm hominum, et vivus ad eum animum advertit. 3. Melior eſt triſtitia, quam riſus. Nam vultum triſtem ſæpe ſequitur animus hilaris. 4. Mens ſapientis in domo luctus, ſtulti vero mens in domo lætitiæ verſatnr. 5. Melius eſt audire reprehenſionem ſapientis, quam canticum ſtultorum. 6. Qualis enim eſt ſpinarum ſub olla crepitus, talis eſt ſtultorum riſus. Quam vana igitur iſta ſint, intelligitur. 7. Oppreſſio ſapientem oſtendit in ſplendore; Dona *b*) vero corrumpunt animum. 8. Melior eſt finis rei, quam ejus initium. Præſtat longanimem eſſe, quam ſuperbum. 9. Ne ſis ad iram nimis præceps. Ira enim apud ſtultos tantum locum habet. 10. Ne dicas: qui fit, quod priſtina tempora præſentibus meliora fuerunt? Iſtud enim parum ſapienter interrogas. 11. Bona eſt ſapientia in rebus affli-

ctas, quibus doceatur, non fugienda eſſe triſtia, non appetenda tantum læta; iſta quoque homini ſæpe utilia eſſe, eumque firmare in perferenda fortuna adverſa, et cautum lætitiæ honorumque hujus vitæ uſum monſtrare.

b) *Dona* intelliguntur non tantum quæ offeruntur judicibus ad eos corrumpendos, ſed omnia omnino, quæ ad fortunam felicem, qua quis utitur, pertinent. Specie pro genere poſita. Oppreſſio, vis, injuria, qua vir bonus et ſapiens ſæpe afficitur, opponuntur.

Digitized by Google

afflictis *c*) et inprimis utilis eis qui fortuna felici utuntur *d*). 12. Sapientia defendit *e*), item divitiæ; magis tamen ſapientia. Hæc felices reddit, qui ea præditi ſunt. — 13. Attende ad opera Dei. Quis poteſt rectum facere, quod ille incurvavit? 14. Die bono animo bono ſis, et diem malum ne recuſes. Deus enim hunc illi junxit, ne homines quidquam eorum, quæ poſt futura ſint, reſcirent. — 15. Ad omnia attendi in hac vitæ meæ inanitate. Fieri ſolet, ut probus pereat in juſtitia ſua, improbus contra in impietate ſua diu vivat. 16. Ne ſis nimium juſtus, nec nimis ſapiens tibi videare *f*); cur te perdas? 17. Ne

c) hebr. עִם נַחֲלָה. Sic Jeſ. 17, 11. coll. Jer. 17, 26. Jer. 10, 10. 19. 14, 17.

d) Ad literam: *videntibus ſolem.*

e) hebr. *in umbra eſt ſapientia*, *in umbra argentum.* Metaphorice umbram pro defenſione dici, cum in lingua hebraica, tum in aliis, notum eſt. e. c. Pſ. 17, 8. 57, 2. 61, 3. 91, 1. Jeſ. 16, 12.

f) Paradoxa videtur ſententia, quoniam nemo neque in ſapientia, neque in juſtitia modum excedere poteſt. Sed explicanda eſt ex antecedenti verſu. Nempe ſi homines vident ſæpe in hoc mundo bonis mala, malis bona evenire, reprehendunt divinam providentiam. Hos igitur vocat nimis ſapientes, nimis prudentes, qui volunt, ut providentia divina juſtior ſit et ſapientior.

17. Ne ſis nimis improbus, nec ſtolidus; cur ante
tempus tuum moriare *g*)? 18. Bene eſt, ſi hoc ob-
ſervas, nec in illo negligenter agas: qui Deum timet,
iſta omnia evadet. 19. Sapientia plus roboris præ-
ſtat ſapienti, quam decem gubernatores, qui in urbe
ſunt. — *h*) 20. Nemo adeo juſtus eſt, ut ſemper
recte agat, nec unquam peccet. 21. Neque ad omnia
quæ dicuntur attende, ne audias ſervum tuum tibi
maledicentem. 22. Quippe ipſe tibi conſcius eris,
te ſæpe numero aliis maledixiſſe. — *i*). 23. Omnia
iſta ſapienter inveſtigavi. Dixi: ſapiens ero *k*). Sed
nimis remota iſta a me erant *l*). 24. Quod fuit,
remo-

g) Negando nempe omnino divinam providentiam.

h) Sapientia intelligitur ea, quæ providentiam divinam agnoſcit et veneratur. Qua qui præditus eſt, Deo quoque confidit et ab eo certius quam ab hominibus defenſionem expectat.

i) Verſſ. 20. 21. 22. commendatur moderatio in querelis de miſeria hujus vitæ. Primo admonitione de vitiis noſtris, quorum quisque ſibi conſcius eſt. Deinde exemplo, utile ſæpe eſſe aliquid neſcire. Igitur non omnia accuratius ſunt inveſtiganda, ſi verendum eſt, ne ingrata audiamus.

k) h. e. attendam ad ſapientiſſimam Dei gubernationem hujus mundi; attendam ad nexum illum rerum omnium, quo illa maxime eſt perſpicua.

l) hebr. וְהִיא רְחוֹקָה מִמֶּנִּי. Hæc verba non, ut ple-
rique

remotum eſt, et valde profundum, quis illud inveniet? 25. Animum adverti ad cognoſcendum et inveſtigandum, ad quærendam ſapientiam et intelligentiam; et ad cognoſcendam ſtultam impietatem et ſplendentem iſtam ſtultitiam *m*). 26. Tum inveni ego aliquid, quod magis quam mors acerbum erat: nempe mulierem, cujus et mens retia ſunt et ſagenæ, et manus vincula *n*). Qui Deo placet, ab ea ſervatur; improbus vero ab ea capitur. 27. En! hoc inveni, inquit

 con-

rique interpretes facere ſolent, ad *ſapientiam* refero, ſed ad id quod Salomo ſapienter volebat inveſtigare, nempe rationes providentiæ divinæ, ſ. nexum rerum. Id vero mox intelligebat nimis arduum ſibi eſſe, nimis remotum et profundum: nam in verſu 24. idem dictum eſſe videtur, remotum et profundum a nemine exquirendum et retegendum. — Genus fœmininum in his verbis, uti ſæpe, eſt loco generis neutrius.

m) Hanc ſapientiam cum Salomo propter ſummam rei difficultatem adipiſci non poſſet, volebat eam inter alios quærere. — Inveſtigare volebat philoſophus, num eſſent inter homines multi ſapientes, num multi ſtulti. — Abſtracta poſita videntur loco concretorum; nam alterum quod inveſtigare volebat, *ſapientia*, verſ. 28. in concreto enunciatur.

n) Stultitiam mox inveniebat, h. e. multos, qui peccatorum illecebris caperentur. Nam ſub *mulieris* imagine peccatum in genere ſiſti, non in ſpecie mulierem adulteram, oppoſitio et totius loci nexus ſuadere videtur.

concionator, cum utrumque conferrem, ut utrumque intelligerem. 28. Sed quod amplius quæſivi, non inveni. Inter mille viros unum inveni: inter tot mulieres ne unam quidem *o*). 29. Hoc tantum intellexi: quod Deus cum hominibus facit, rectum eſt. Sed illi multas pravas artes *p*) ſectantur.

CAPUT

o) Paucos ſapientes inter viros invenit, pauciores adhuc inter mulieres. — אֶחָד מֵאֶלֶף hyperbolice dici, minus durum videtur, quam ſententia ipſa durior ſane in ſexum muliebrem; vix aliter excuſanda, ac ſorte et conditione deteriore hujus ſexus in oriente, quam inter nos. — בְּכָל־אֵלֶּה quod a nonnullis interpretibus negligitur, refero ad אֶחָד מֵאֶלֶף.

p) Vocabulum חִשְּׁבֹנוֹת præter h. l. tantum 2 Par. 36, 15. extat, ubi de machinis bellicis regis Uſiæ adhibetur. Oppoſitio ad יָשָׁר clare docet, dici illud h. l. in ſenſu deteriori. Videntur igitur omnes artes ſ. conſilia hominum intelligenda, quæ adverſa ſunt voluntati divinæ, quibus vel improbant aut impedire ſtudent, quæ Deus facere decrevit. — Cæterum pericopam hanc obſcuriſſimam eſſe, ego quoque, uti omnes interpretes, fateor; neque ſperare poſſum, hæc, quæ ſcripſi ad ejus illuſtrationem, ſufficere, cum mihi ipſi adhuc multa obſcura ſuperſint. Sed neque aliorum hypotheſes mihi omni ex parte ſatisfaciunt, de quibus vero tam parum, quam de difficultatibus, quæ maxime hunc locum impeditum reddunt, pro inſtituti mei ratione dicere licet.

CAPUT VIII

1. Quis eſt ſicuti ſapiens? et quis novit rerum explicationem *a*)? 2. Sapientia hominis vultum exhilarat, et faciem ejus bene compoſitam reſtaurat *b*). 3. Regi obtempera vel propter jusjurandum, quod

a) h. e. Rationes providentiæ divinæ, quas homo ſapiens diligenter quidem indagat, ſed tamen ex minima parte perſpicere poteſt et intelligere.

b) Verba textus וְעֹז פָּנָיו יְשֻׁנֶּא ambiguæ ſunt explicationis, *primo* propter diverſam ſcriptionem verbi ישנא quæ ſecundum Keri eſt ישנה atque a Chaldæo et Hieronymo exprimitur, præterea quoque in undecim codicibus a *Kennicotto* citatis extat. Illam vero legerunt *οἱ ό, ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται*, *impudens vultu ſuo exoſus erit;* nec non Syrus ܢܣܬܢܐ. Sic *Michaelis: der Halsſtarrige haſſet die Welt. Dœderleinius: Dreiſtigkeit verleitet zum Unſinn*, ex ſignificatione Samaritana verbi טנא *inſanire*, coll. 1 Sam. 21, 14. — *Deinde* propter diverſam explicationem verborum עֹז פָּנִין *robur faciei*, quæ ab aliis in bono ſenſu ſumuntur de animo infracto et conſtanti, qui ſe vultu quoque oſtendat, coll. 7, 19. ab aliis in malo ſenſu de vultu fero ſ. auſtero, ex locis ſimilibus, Deut. 28, 50. גּוֹי עַז פָּנִים Dan. 8, 23. et verbum הֵעֵז Prov. 7, 13. 21, 23. Sic viri docti ſupra citati. Sed quoniam viro ſapienti feritas ſ. impudentia non commode tribui poteſt, priorem ſenſum præferendum judicavi.

Deo juraſti *c*), 3. ne e conſpectu ejus confuſus abeas *d*). Nec pravorum conſiliorum particeps fias, nam

c) Omitto primam vocem אני quæ prorſus redundat, nec niſi admodum languidam et ineptam applicationem admittit, qualis eſt illa vulgaris: *me quod attinet, ego præcipio tibi, ut os regis obſerves.* Nullus interpretum antiquorum legit ſ. expreſſit hanc vocem præter vulgatum, qui vero ſimul imperativum שְׁמוֹר mutat in participium præſentis, et ſic in prima perſona vertit, parum apte: *Ego os regis obſervo et præcepta juramenti Dei.* Lectio codicis *Kennicotti* 152. Sæc. XIV. אני דברתי eſt gloſſema. Perquam ingenioſe conjectat *Dœderleinius* hoc vocabulum אני jungendum fortaſſe eſſe priori hemiſtichio atque ſignificare *miſerum*, *afflictum* אֱנִי ex אָנָה *mœruit*, *luxit* (ut ex עָנָה fit עָנִי) hoc ſenſu: *auſteritas vultus ad inſaniam agit miſerum*, addita explicatione: homo afflictus, niſi tranquillum conſervet animum, fertur ad deſperata conſilia. Aſt tunc fortaſſe ſcriptum eſſet עֹז פָּנִים ſine affixo. — Ortum videtur illud אני ex errore ſcribarum literas easdem præcedentes repetentium.

d) Duplex eſt lectio verborum אל תבהל, *altera* futuri conjugationis Niphael, quæ eſt vulgaris, cujus ſenſum ſupra in verſione poſui et quæ ex loco Jobi optime illuſtrari poteſt Cap. 23, 15. *propterea* מִפָּנָיו אֶבָּהֵל *a facie ejus perturbor*, h. e. expaveſco ab eo ſ. propter eum. *Altera* conjugationis Piel, in qua eſt *feſtinare*; *ne feſtinanter abeas a facie ejus* (in conſtructione verborum

nam quidquid ei placet, facere poteſt. 4. Rex imperat cum poteſtate, quis ei dicat: quid facis? 5. Qui legibus obtemperat, non approbat malum. Opportunitatem rei novit ſapiens *e*). 6. Omnes enim res ſuam habent opportunitatem, quamquam homines multa mala experiantur *f*). 7. Nemo novit, quid

 futu-

rum תבהל תלך hebraiſmum eſſe, quo prius adverbialiter eſt vertendum, tironum cauſa obſervo. vid. *Glaſſius* p. 272.) Hanc lectionem habent editiones nonnullæ, *οἱ ό, μὴ σπουδάσῃς ἀπὸ τοῦ προσώπου αὐτοῦ πορεύσῃ.* Vulgatus: *ne feſtines recedere a facie ejus*, et Syrus, modo alia verborum interpunctione: *ne feſtines. Ab ejus conſpectu recede,* — Prior videtur faciliorem ſuppeditare explicationem, ſi connectatur cum præcedente admonitione de obedientia regi præſtanda: ne confuſus ſ. perterritus, ira nempe regis, ab eo abire cogaris. Tunc ſequitur novum præceptum de vitanda ſeditione ſ. rebellione: אַל תַּעֲמוֹד בְּדָבָר רָע. Quæ verba haud ſcio an ſatis recte a *Dœderleinio* vertantur: *ne reſiſtas ſententiæ malæ*, h. e. damnatoriæ. Nam primo עמד ſi eſt *reſiſtere*, conſtruitur ſequenti עַל e. c. 1 Chron. 21, 1. Dan. 8, 25. deinde דבר רע *ſententiam* indicare *damnatoriam*, vix alio exemplo poterit probari.

e) Senſus: abſtinet ſapiens a pravis conſiliis, quærit et expectat tempus opportunum, quo multa emendare, aut conſiliis eis cavere poteſt.

f) Nam hæc quoque finem habent, ad tempus modo a Deo præfinitum durant.

futurum ſit; nam quid ſit eventurum, quis ei indicat? 8. Nemo venti dominus eſt, nec poteſt eum retinere *g*), nemo in diem mortis poteſtatem habet; neque eſt in iſto prælio dimiſſio, nec ſervat improbitas ſuos. 9. Hæc omnia vidi, atque attendi ad ea omnia, quæ in mundo fieri ſolent. Ad tempus modo alii aliis in eorum damnum dominantur. 10. Nam cum ita attenderem, vidi etiam improbos ſepultos aliud domicilium ingredi *h*). Similiter e loco ſancto abierunt et oblivioni tradebantur a civitate, qui recte fecerant *i*). Hæc quoque vana ſunt. — 11. Quoniam in

g) Pro duplici ſignificatione vocabuli רוּחַ *venti* et *ſpiritus* duplicem quoque admittunt verba textus explicationem. Priorem prætuli, quia in altero membro alia ſequitur comparatio.

h) hebr. וָבָאוּ. Verbum בוא h. l. eſt in ſignificatione ſua primaria *hoſpitium ingredi*. Intelligitur *ſepulcrum* ex forma loquendi orientalibus uſurpata.

i) Membrum poſterius hujus verſus perquam difficile eſt. Mihi quidem verba אֲשֶׁר כֵּן עָשׂוּ videntur indicare ſubjectum, *recti, probi*, in oppoſitione ad τοὺς רְשָׁעִים *improbos* in priori membro. Illi *moriuntur*, יְהַלֵּכוּ *abeunt e loco ſancto*. At quis ille מְקוֹם קָדוֹשׁ? *Dœderleinius* intelligit *ſepulcrum*, cujus magna apud omnes gentes fuerit reverentia: literam מ vero negative explicat, atque hinc vertit: *negato loco ſancto obiere*. At enim vero ſi

in facta improba non ſtatim fertur ſententia, homines ad malefaciendum incitantur. 12. Quamvis peccator vel centies mala perficiat, diuque vivat, tamen ſcio tandem bene futurum eſſe eis, qui Deum timent et reverentur. 13. Non bene erit impio, nec diu ætatem prorogabit. Umbræ ſimilis eſt, qui Dei nullam habuit reverentiam. — k) 14. Magna hæc eſt hujus vitæ imperfectio, quod ſæpe piis eveniant, quæ impiis evenire debebant, et impiis ea quæ piis. Dixi: magnam hanc videri imperfectionem. 15. Laudavi igitur lætitiam. Optimum eſſe, ſi homo in hac

ſi queque concederem *ſepulcrum* eo nomine dictum fuiſſe, quod tamen aliis exemplis vix poterit probari, durius videtur ſtatuere auctorem affirmare, *viros probos* inſepultos abjectos fuiſſe, uti animalia aut homines perditos ſepultura indignos, Jer. 22, 19. Igitur ego malim intelligere locum judicii aut dignitatis et honorum, quem viri boni et de civitate optime meriti hactenus tenuerunt; ab eo abeunt et ſimul oblivioni traduntur in civitate omnia eorum recte facta. *Michaelis* alteram lectionem ſecutus eſt, quam *οἱ ό* et Vulgatus prodiderunt, nempe יִשְׁתַּבְּחוּ *ἐπῃνέθησαν ἐν τῇ πόλει ὅτι οὕτως ἐποίησαν, laudati ſunt in civitate, quia ſic fecerant*; atque ſic totum locum de impiis ſive tyrannis explicant. Attamen concedit etiam receptam lectionem, cum qua Syrus et Chaldæus conſentiunt, bonum ſenſum offerre.

k) Luculentum hic locus continet teſtimonium de certa perſuaſione futuræ poſt mortem vitæ et remunerationis.

vita edat, bibat et lætetur *l*), atque hoc ſaltem obtineat labore ſuo moleſto, quamdiu in hac vita eſſe a Deo ei conceditur. 16. Cum animum adverterem ad ſapientiam cognoſcendam, et ad negotioſam, quæ in hoc mundo peragitur, vitam conſiderandam, in qua homines ſibi noctu diuque nullum ſomnum concedunt: 17. animadverti hominem opera Dei, quæ in hoc mundo peraguntur, non poſſe percipere. Si vel omne ſuum ſtudium intendat ad ea inveſtiganda, nec tamen inveniet; ſi vel ſapientiſſimus ea perſpicere cupiat, nihil tamen poterit detegere.

CAPUT IX

1. Ad iſta igitur omnia diligenter attendebam, dum omnia accurate explorabam *a*). *Intellexi* probos et ſapien-

l) Minime commendat auctor libri in hoc loco, quo multi offenduntur, voluptatem epicuræam, ſed docet, quoniam homo vitæ ſuæ conditionem neque perſpicere poteſt, neque mutare, optimum eſſe a vanis iſtis curis prorſus abſtinere, animo eſſe tranquillo et præſenti ſua conditione contentum; frui illis bonis quæ Deus conceſſit et quamdiu illis frui licet; data ea eſſe a Deo homini hunc in finem, ut frui illis poſſit et debeat. — Idem eſt præceptum, quod ſupra in avaritia diſſuadenda dederat Cap. 5, 17.

a) hebr. לָבוּר a lexicographis vulgo parum accurate derivatur

ſapientes, eorumque facta eſſe in manu Dei *b*), tum amorem, tum odium *c*). Nihil omnino rerum futurarum homo novit *d*). 2. Idem omnibus evenit. Eadem eſt conditio pii et impii, boni et mali *e*), puri et

rivatur a ברר *purgare*, eſſe enim tunc deberet בַר ſ. בּוֹר. Rectius deducitur a بار (*Golius* p. 346.) *explorare, inveſtigare aliquid*, in ſpecie odoratu. Supra jam adfuit Cap. 3, 18.

b) Certa perſuaſio divinæ providentiæ, quæ omnia ordinet et gubernet, optimum eſt ſolatium in hujus vitæ imperfectionibus.

c) *Amor* Dei ſunt beneficia externa hujus vitæ; *Odium*, eorum ſubtractio et denegatio. Quæ Deus pro arbitrio ſuo inter homines diſtribuit, ſine reſpectu ad eorum merita. Idem eſt, quod Paulus Rom. 9, 13. ex Maleachi 1, 2. 3. de Jacobo et Eſavo dixit.

d) hebr. הַכֹּל לִפְנֵיהֶם *ſunt ante faciem ejus.*

e) לטוב quod in textu recepto legitur, non habet vocabulum quod ei opponatur. Sed hoc legiſſe videntur *οἱ ό* qui habent: *τῷ ἀγαθῷ καὶ τῷ κακῷ.* Vulgatus: *bono et malo.* Similiter Syrus et Arabs. At *Kennicottus* nullum hujus lectionis teſtem citavit. Duo vero, nempe 224. qui eſt Regiomont. poſterior et 567. edit. Venet. anni 1472. לטוב omittunt. Quia verſiones antiquæ haud dubie illud לטוב legerunt, dubitari non poteſt, quin quoque ולרע legerint; hinc litera Vau ante לטהור recte omittitur in verſione græca Cod. Alex. Vulg. Syro et ſex Codd. *Kennicotti.*

et impuri, ſacrificantis æque ac qui non ſacrificat, probi æque ac improbi, temere jurantis et ejus qui jurejurando eſt religioſus. 3. Hoc fere graviſſimum malum eſt hujus vitæ, quod eadem ſit omnium conditio. Repletus eſt animus hominum malitia. Eorum menti ineſt, dum vivunt, ſtultitia et tandem moriuntur *f*). 4. Num quis eſt qui eligatur *g*)? A vivo ſperare

f) Summam miſeriæ humanæ ſ. imperfectionis hujus vitæ breviter auctor complectitur: pravæ cupiditates animum corrumpunt, ignorantia et errores intellectum ſeducunt et tandem mors finem facit vitæ *ſic* peractæ! Animi integritas perfecta, ſive accurata rerum cognitio tam parum hominibus in hac vita tribuitur, quam immortalitas. — Hunc ſenſum et nexum horum verborum *Dœderleinius* eſſe putat.

g) Circa lectionem textualem vocis יבחר eſt varia lectio a Maſorethis quoque obſervata. Nempe alii codices habent יחבר. Quam lectionem verſiones antiquæ omnes exprimunt. *οἱ ό, τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας, quis eſt qui ſocius ſit omnium viventium?* Symmachus: *τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν, quis ſemper in hac vita perſeverat?* Vulgatus: *nemo eſt qui ſemper vivat.* Syrus peculiari ſenſu omiſſa interrogatione jungit verba cum ſequentibus: *qui ſocius eſt omnium viventium ſpem, habet.* Chaldæus ipſe verbum חבר adhibuit, ſenſum vero verborum facit more ſuo ineptum. Tandem ſeptem codices *Kennicotti* habent יחבר et ſex יחובר cum Vau ad

ſperare licet; canis vivus melior eſt, quam leo mortuus. 5. Viventes enim norunt ſe morituros eſſe; mortui vero nihil omnino norunt; nullum amplius commodum habent, cum oblivioni tradita ſit eorum memoria. 6. Amor, odium, æmulatio jam dudum illis periit, nec unquam amplius earum rerum, quæ in hoc mundo aguntur, fiunt participes. — *h*).

7. Age

ad conjugationem Pual indicandam. — Sic teſtibus pluribus probatur lectio marginalis quam textualis, quæ tamen quoque ſenſum offert non contemnendum, vel eum quem in verſione poſui, vel ex conjectura *Michaelis*, qui יבחר cum ſequenti אל conſtruit: *quis eſt quem Deus eligat?* vel ex alia *Dœderleinii* conjectura in Scholiis ad h. l. ut pro אֲשֶׁר *quis felicitatem eligat vel optet*, ſc. in hac vita conſequendam? Sed videtur ei jam quidem non multum tribuere, nam in verſione germanica lectionem textualem ſimpliciter expreſſit: *wer iſt bievon ausgeſondert?*

h) Nemo offendetur his verbis, atque accuſabit auctorem, quod neget providentiam divinam, ſive animæ immortalitatem, qui recordetur, quam præclare de his alias egerit et utrumque aſſeruerit, e. c. 8, 13. 9, 1. 11, 9. 12, 14. Sed ſiſtit h. l. homines mortuos, quales, commercio illo animam inter et corpus ſoluto, ſunt et a nobis conſpiciuntur. Quis autem neſcit, eos poſt diſceſſum ex hac vita rerum mundanarum cognitionem non amplius habere? nullam recte factorum remunerationem expectare? amorem et odium ceſſare? et rel.

7. Age igitur *i*), comede lætus panem tuum, et bibe hilari mente vinum tuum. Nam placent Deo, quæ facis. 8. Omni tempore ſint veſtes tuæ candidæ, nec deſit oleum capiti tuo. 9. Fruere vita cum uxore quam amas, quamdiu durabit vita iſta inanis, tibi in hoc mundo conceſſa, quamdiu durabit iſta vanitas. Hæc enim eſt pars tua hujus vitæ, et laboris fructus, quem in hoc mundo ſuſtines. — 10. Omnia quæ tibi agenda ſunt, alacriter perage *k*), nam nulla amplius agendi facultas, aut ſcientia, aut ſapientia eſt apud inferos, ad quos tibi abeundum eſt. 11. Porro ſæpe obſervavi, veloces in curſu et fortes in bello non ſemper felices eſſe; ſæpe victu neceſſario carere ſapientes, nec prudentes divitias, nec peritos favorem conſequi poſſe; tempus et fortunam omnibus intervenire *l*). 12. Præterea homo tempus ſuum tam

i) Sequuntur præcepta ad rectum hujus vitæ uſum. Primum eſt: labora ſine triſtitia aut animi dolore ſ. moroſitate, ſed mente hilari et fidente; nam Deus lætum rerum uſum hominibus deſtinavit.

k) Labora ſtrenue, omnibus viribus tuis. Pigritia aut negligentia ſæpe cauſæ ſunt, ob quas labores ſuſcepti minus feliciter ſuccedunt.

l) In laboribus noſtris ſemper cogitare debemus, fieri poſſe, ut non ſemper optatum ſucceſſum habeant. Non ſolum uſus mediorum conſilia noſtra adjuvat, ſed etiam con-

Digitized by Google

tam parum novit, quam piſces, qui pernicioſo reti, aut aves, quæ laqueo capiuntur. Sicuti iſtæ, ita et homines irretiuntur adverſa fortuna, caſu eos de improviſo opprimente. — *m*) 13. Attamen in eo quoque ſapientiam in mundo deprehendi, quæ magna mihi videbatur *n*). 14. Parvum oppidum, in quo pauci homines erant, aggrediebatur rex magnus, et obſedit exſtructis adverſus illud ingentibus machinis. 15. In eo reperiebatur vir pauper idemque ſapiens: is oppidum ſapientia ſua ſervavit et nemo pauperis hujus viri fuerat recordatus *o*). 16. Tunc ego dixi: præ-

concentus quidam felix caſuum fortuitorum. Ille, non hic eſt in noſtra poteſtate. Hic dependet a libero Dei arbitrio. Atque ex eo apparet, libertatem noſtram ſubjectam eſſe voluntati divinæ, qui pro ſuo arbitrio omnia in mundo diſponit et gubernat.

m) Etiam calamitates improviſæ ſæpe impediunt hominis conſilia.

n) Removetur objectio: ſi homo ſapientia et labore ſuo non ſemper optatos conſequitur ſucceſſus, melius eſſe ſe incerto rerum eventui permittere; ficta quadam hiſtoria, qua docetur: ſapientia et prudentia plus ſæpe effici, quam potentia externa, aut magno rerum apparatu.

o) ſcilicet: antea vixerat omnibus ignotus et obſcurus. Alii de ſequenti tempore explicant: nemo deinceps poſt tantum beneficium civitati exhibitum recordatus eſt viri illius pauperis, ut ei gratiam referret et beneficii magni-

præſtat ſapientia fortitudine; quanquam ſapientia pauperis contemta eſt, nec conſiliis ejus obtemperatur. — 17. Sapientum conſilia placide prolata præſtant clamoribus imperatoris ſtulti *p*). 18. Melior ſapientia eſt armis bellicis, at unus inſipiens *q*) multum boni perdit.

CAPUT X

1. Muſcæ venenatæ fœtore corrumpunt unguentum artificioſe præparatum, et parva ſtultitia virum propter ſapientiam et famam celebrem *a*). 2. Cor ſapienti

magnitudinem agnoſceret. Quem ſenſum etiam verba admittere concedo, ſed prior contextui convenientior videtur. *Michaelis* de oblivione nominis hujus viri explicat, atque exiſtimat totam hiſtoriam veram eſſe, non fictam: *Nur kein Menſch erinnert ſich des Namens dieſes armen Mannes.*

p) מֹשֵׁל בַּכְּסִילִים eſt hebraiſmus: litera Beth ſubſtantivo præmiſſa facit periphraſin adjectivi, e. c. 1 Paral. 26, 14. *Conſiliarius in intelligentia*, h. e. intelligens. Pſ. 90, 4. *cuſtodia in nocte*, h. e. nocturna. vid. *Glaſſius* p. 30.

q) hebr. חֹטֶא ex ſignificatione primaria verbi *aberrare a ſcopo* Jud. 20, 16. h. l. igitur, qui aberrat a regulis ſapientiæ, h. e. ſtultus, inſipiens.

a) Quanquam magnus eſt diſſenſus interpretum antiquorum circa lectionem et explicationem hujus verſus, de quo

pienti eſt ad dextram, ſtulto ad ſiniſtram *b*). 3. Atque

quo more ſuo accurate egit *Spohnius* in notis ad verſ. germ. hujus libri, tamen neque ei, neque *Dœderleinio*, neque *Hubigantio* aſſentiri poſſum, ſi propter conſtructionis duritiem aut inſolentiam lectionem receptam in dubium vocant, atque ex verſionibus antiquis emendant. Nam primo, ſi particulæ comparativæ ſuppleantur; deinde, ſi obſervetur in altero membro ſubjecti et prædicati eſſe transpoſitionem et tandem ſi verbum יבאיש ex priori membro repetatur ad poſterius; quæ in aliis locis ſæpe fieri poſſe et debere optimi interpretes concedunt; equidem non video neque magnam in verborum conſtructione duritiem (nam in enallage numeri *muſcæ lethales* יבאיש *fœtere facit*, nemo niſi *Hubigantius* hærere poteſt et de hebraiſmo יבאיש יביע vid. *Glaſſius* p. 272.) neque in ſententia obſcuritatem. Similis eſt ſententia Paullinæ 1 Cor. 5, 6. et Gal. 5, 9. de fermento pauculo totam maſſam corrumpente.

b) Facile apparet ſententiam non phyſice ſ. proprie eſſe accipiendam, quaſi alium ſitum cor in ventre ſapientis ac in ventre ſtulti haberet. Acumen eſt in tropica ſignificatione, primo *cordis*, quod, uti ſæpe, de omnibus mentis facultatibus dicitur; deinde *dextræ* et *ſiniſtræ*. Illa longe eſt agilior et promtior, quam hæc, ad labores recte et feliciter ſuſcipiendos. Hæc igitur ſapientis peritia et aptitudo, qua omnia tractat et in omnibus verſatur, qua vero ſtultus caret, intelligitur; quod ipſum de hoc etiam in ſequenti verſu dicitur: omnibus ſ. quavis occaſione prodit ſtultitiam ſuam.

que adeo in via, qua forte incedit, excors eſt, ſuamque omnibus prodit ſtultitiam. — 4. Si ira principis adverſus te eruperit, locum tuum ne deſeras, manſuetudo enim magna peccata retinet. 5. Malum eſt quod vidi ſub ſole, errorem iſtum inſignem ſæpe a principe commiſſum: 6. Evehitur ſtultus ad magnum faſtigium, et nobiles præſtantes in loco humili ſedent. 7. Vidi ſervos equis inſidentes, et principes ut ſervos pedibus incedentes. — 8. Qui fodit foveam, in eam incidit, et qui maceriem perrumpit, eum anguis mordebit. 9. Qui lapides devolvit, ab eis vulneratur, et qui ligna findit, periclitabitur in eis. 10. Si quis obtuſi ferri aciem non acuit, vires cogetur intendere: ſic ſapientia ad recte agendum multum prodeſt *c*). 11. Si ſerpens momorderit absque incantatione, nullum incantator habet emolumentum *d*). 12. Sermones ſapientis gratioſi ſunt, labia vero ſtulti eum perdunt. 13. Initium ſermonum ejus ſtultitia eſt, et finis verborum ejus veſania. 14. Stultus verba multiplicat, cum tamen nemo ſciat quid futurum ſit. Nam quis ei indicat, quæ poſt eum ſint even-

c) His tribus verſibus exemplis docetur, quam ſæpe noceat omiſſa cautio ſ. circumſpectio in rebus curandis, atque in hoc verſu additur, ſine juſto mediorum uſu negotia ſuſcepta minus feliciter peragi.

d) Remedia juſto tempore ſunt adhibenda.

eventura? 15. Stultum labores ſui fatigant *e*), quia non vult verſari cum aliis *f*). — 16. Væ tibi terra, cujus rex ſervus fuit *g*), ſi principes tui mane *h*) epulantur. 17. O terram felicem! cujus rex nobi-

lium

e) Duplex eſt in hoc membro anomalia quoad verborum conſtructionem. Primo ſuffixum ſingularis numeri legitur in תְּיַגְּעֶנּוּ cum plurale eſſe deberet; deinde עָמָל ſubſtantivum gen. maſc. conſtruitur cum tertia perſona fœminini generis. Quæ cum h. l. ſane durior mihi videatur, non dubitem aſſentientibus verſionibus antiquis legere הוֹגְעָם et ידעו cf. *Hubigantius* et *Spobnius*.

f) hebr. *quia non novit ſ. non curat ire ad urbem.* Senſum in verſione expreſſi ex ſententia *Dœderleinii.* Stultus, qui fugit conſuetudinem cum aliis, plus moleſtiæ ſentit in laboribus ſuſtinendis et perficiendis, quam qui aliorum conſilium et auxilium expetit. Aliter *Michaelis:* Stultus magis quam alii ſibi ſapere videtur. Propterea non vult incedere via trita; novam quærit, eventu vero parum felici. — Neque hæc contemnenda videntur. Sententia acute dicta, varium ſenſum, uti ſæpe, admittit.

g) Placet hæc explicatio *τοῦ* נַעַר quam *Dœderleinius* dedit, propter oppoſitionem in ſequenti verſu. — נער vero Hebræis quoque de *ſervis* dici, ut Græcorum *παῖς* et Latinorum *puer*, ex multis locis conſtat, e. c. Geneſ. 14, 24. 22, 3. 2 Sam. 9, 19. 16, 1. 2 Reg. 5, 20.

h) Tempus matutinum judicio habendo et rebus curandis erat deſtinatum.

lium filius, cujus principes juſto tempore cibum capiunt, virium, non potationis gratia. 18. Pigritia attenuatur contignatio, et manuum remiſſione perſtillat domus. 19. Dum lætandi cauſa convivia parantur, et vinum vitam exhilarat, pecunia omnia ſuppeditante. — *i*). 20. Ne per cogitationem quidem regi maledicas, nec in conclavi cubilis tui nobilem deteſteris, nam aves deferent vocem et aligeræ rem enunciabunt *k*).

CAPUT XI

1. Committe opes tuas mari *a*), poſt multos annos eas

i) Ut principes nimio ſ. intempeſtivo uſu bonorum ſ. divitiarum, quibus abundant, rempublicam eorum curæ commiſſam negligunt v. 16. 17. ſic privati quoque rem ſuam familiarem comeſſationibus et compotationibus nimium indulgendo perdunt v. 18. 19.

k) In ſermonibus et conſuetudine cum aliis etiam familiariſſimis ſumma cautio et prudens circumſpectio adhibenda eſt.

a) Male h. l. capita ſunt diviſa. Nam ſex priores hujus capitis verſus pertinent haud dubie ad præcedentes admonitiones de ſapientia et prudenti circumſpectione in vita noſtra adhibenda. In ſpecie ſuadet auctor v. 1. ut non præſens lucrum tantum et certum appetamus, ſed etiam futurum et incertum non negligamus; cum hac tamen

eas reperies. 2. Socios tibi fac ſeptem aut octo, neſcis enim quid mali ſit eventurum. 3. Si plenæ ſunt nubes, pluviam in terram effundunt. Arbor ſive verſus meridiem ſive verſus ſeptentrionem cadat, quo cecidit, ruit *b*). 4. Qui ventum obſervat, non ferit, et qui nubes ſpectat, non metit. 5. Quemadmodum ignoras, quænam ſit via venti, aut quomodo oſſa for-

tamen cautione v. 2. ut non omnia uni committamus, ſed cum pluribus negotia partiamur, quod fit in mercatura per navigationem. Nam de hac verba textus: *mitte panem tuum trans mare*, explicanda eſſe, contextus docet.

b) Utramque imaginem bene explicavit *Dœderleinius*. Priorem ſic: Uti nubes non ſtatim, cum apparent, imbre recreant tellurem, ſed poſtquam copioſas aquas coëgerunt: ita ſpes noſtra bonorum obtinendorum ſæpe moram patitur, dum matureſcat. Poſteriorem ſic: Incertus eventus poſtquam accidit, non poteſt immutari aut revocari. Facta infecta fieri nequeunt. — Ultimam vocem יְהוּא *Simonis* in Lexico pag. 391. dicit eſſe ſubſtantivum, *fractio*, ſc, ramorum, ab arab. وهي *raptus, laceratus fuit*. Minus recte. Eſt ab הוה ſ. היה (nam utroque modo ſcribitur) cujus ſignificatio primaria eſt *ruere, cadere*. vid. *Golius* p. 2594. Scriptio per א in fine loco ה eſt Syriaca et Arabica, nec tamen Hebræis ignota, ut Job. 37, 6. הֱוֵא. Sic h. l. tantum aliis punctis legendum eſt יֶהֱוֵא cf. *Michaelis* in notis ad paraphraſin poeticam hujus libri.

ſormentur in utero prægnante: ita Dei opus ignoras, qui facit omnia. 6. Mane ſemina ſemen tuum, et veſpere ne remitte manum tuam: neſcis enim, num hoc, an illud expediat; an utrumque æque bonum ſit *c*). — — 7. Lux dulcis eſt *d*), et ſuave oculis, videre ſolem. 8. Si vel complures annos homo vixerit,

c) Apparentes quædam difficultates nos non retinere debent ad agendum aut ſuſcipiendum, quod nobis utile eſſe poteſt. Agricola, qui nimis curioſe obſervat cæli tempeſtatem et expectare vult tempus convenientiſſimum, nunquam neque ſeret neque metet. Numquam ulla res omni caret periculo. Divinæ providentiæ fidendum, ab ea felix laborum noſtrorum ſucceſſus expectandus et expetendus.

d) Litera Vau ante מתוק prorſus otioſa eſt; neque ab antiquis interpretibus lecta. Abeſt quoque in codice 198. *Kennicotti*, qui eſt Norimbergenſis. Incipit nova pericopa, quæ usque ad verſ. 7. ſequentis capitis continuatur. Commendat auctor in ea uſum rerum ſuavium et jucundarum hujus vitæ, ſed ſub hac conditione, ne unquam vanitatis hujus vitæ, et quam caduca omnia ſint, obliviſcamur; ſemperque meminerimus rationem aliquando reddendam eſſe vitæ peractæ Deo judici. — Igitur ſub luce et ſole, cujus aſpectus dulcis eſt et ſuavis oculis, intelliguntur bona hujus vitæ. Eſt vero anacoluthon in hoc verſu, et ſupplendum: igitur utere luce, fruere dulci illo ſolis aſpectu; quod ex verſu octavo apparet, ubi dicitur: conceſſum eſſe homini, ut cum lætitia fruatur illis omnibus.

xerit, lætetur in illis omnibus: modo meminerit dierum triſtium, quorum multi eſſe poſſunt *e*): futura enim ſunt incerta. 9. Lætare, juvenis, de adoleſcentia tua, animoque hilari ſis annis tuæ juventutis. Indulge tibi omnia, quæ animus concupiſcit et oculi appetunt; ſcito tamen, tibi de iſtis omnibus rationem reddendam eſſe Deo judici. 10. Tolle ex animo tuo indignationem et remove omnem ingrati ſenſum. Juventus enim æque fugax eſt ac aurora.

CAPUT XII

1. Memento creatoris tui *a*) annis juventutis tuæ, antequam veniant mala tempora, accedantque anni, quos tibi placere negabis *b*). 2. Antequam lumen ſolis,

 lunæ

e) hebr. יִהְיֶה verto non *erunt*, ſed *eſſe poſſunt* (*Glaſſius* p. 197.) Sequitur enim: futura ſunt הָבֶל quod h. l. non de rerum vanitate, uti in antecedentibus ſæpe, explicandum puto, ſed ex propria vocis ſignificatione *vaporis*, qui nempe rerum futurarum aſpectum impedit, h. e. futura ſunt incerta.

a) In textu recepto legitur בּוֹרְאֶיךָ. Sed numerum ſingularem ſine Jod exhibent duo *Kennicotti* codices, quem etiam verſiones antiquæ exprimunt. Poteſt etiam illa lectio defendi, ut ſit pluralis ſic dictus excellentiæ.

b) Sequitur usque ad verſum octavum deſcriptio poetica, ſive potius ænigmatica, ſenectutis; in qua ingraveſcentis ætatis

lunæ et ſtellarum obſcuretur, redeantque poſt pluviam nubes *c*). 3. Tum cum domus cuſtodes *d*) trement, nutabunt viri robuſti *e*), feriabuntur ancillæ molitrices *f*), quia

ætatis moleſtiæ, animi debilitas, ſenſuum torpor, corporis imbecillitas variis imaginibus e natura et vita communi petitis exponuntur. In qua tamen, quod jam optimi interpretes obſervarunt, non eſt argutandum, aut ſingularum rerum explicatio urgenda. Sufficit, ſi notionem generalem, quæ ſub imagine lateat, dare poſſumus. Quod ipſum tamen in nonnullis ambiguum eſt, propter diverſam, quam ænigma admittit, explicationem. Hinc diſſenſus interpretum.

c) Non *animi infirmitates*, memoriæ nempe, imaginationis vel judicii debilitas innuuntur; ſed verbis tropicis dicitur, quod in antecedenti verſu propriis: Antequam *triſtis* ſenectus accedat. Sumta fortaſſe eſt metaphora a pluvia illa continua Orientis, quæ hiems eſt illarum regionum. Senſus: antequam continua calamitatum et morborum ſucceſſio te fatiget et moleſta tibi ſit.

d) *Manus* et *brachia*, quæ *domum* corporis humani (Job. 4, 19. 2 Corinth. 5, 1.) defendunt, mala irruentia propulſant, victum et alia neceſſaria acquirunt, et rel.

e) *Pedes*, molem totius corporis ſuſtinentes, qui, eorumque partes crura et tibiæ, non poſſunt amplius firmiter incedere, ſed ſeſe incurvant et vacillant.

f) *Dentes*. Non putem urgendum eſſe fœmininum, ut reſpiciatur ad ſervas ſ. ancillas infimi ordinis, quarum erat molas trudere, Exod. 11, 5. Sed ſimilitudo tantum

quia imminutæ ſunt *g*), et caligabunt ſpectantes per feneſtras *h*). 4. Tum cum claudentur fores extrinſecus *i*) propter exilem molæ ſonitum: et ſurgetur ad avis vocem *k*), omnesque puellæ cantatrices erunt inertes *l*). 5. Quando loca alta timebuntur, et terrores in via *m*). Quando amygdalus florebit,

tum eſt in eo, quod dentes præſtant cibis comminuendis idem, quod mola in frumento conterendo.

g) Verba hebræa כִּי מִעֲטוּ *Michaelis* in verſione germanica et in paraphraſi poetica vertit: *quia moluerunt, weil ſie ausgemahlen haben.* Senſus eſſet aptiſſimus. Sed dubito, an ſatis probari poſſit hæc ſignificatio verbi מעט ex obſervatione *Schultenſii* ad Prov. 10, 20. מעט primario eſſe *abradere.* Aliud enim eſt *radere*, aliud *comminuere* ſ. *conterere.* Hoc fit molæ agitatione, non illud, niſi perquam improprie.

h) h. e. quando oculi hebeſcunt.

i) *Labia*, quæ inſtar valvarum aperiuntur et clauduntur. *Clauduntur* in ſenectute propter vocis dentium beneficio formandæ difficultatem aut debilitatem.

k) *Somni* difficultas et raritas.

l) Omnes partes corporis, quæ cantui inſerviunt, v. c. pectus, et guttur. Hæ בְּנוֹת שִׁיר vocantur ex uſu vocum בַּת et בָּנוֹת notiſſimo. (*Glaſſius* p. 95.) In ſenectute autem יִשַּׁחוּ *deprimuntur*, h. e. debiles ſunt et ineptæ ad uſum cui deſtinatæ ſunt præſtandum.

m) Senex nec valet nec audet loca aſcendere altiora. In

locuſta onerabitur, et appetitus ceſſat *n*). Dum homo

via plana adeo timidiuſcule incedit, omnia offendicula anxie evitans.

n) Tria ultima membra hujus deſcriptionis ænigmaticæ omnium ſunt difficillima. Præter conjecturas nihildum ad eorum explicationem allatum eſſe video, quarum tamen nullam mihi ſatisfacere fateor. Atque haud ſcio an unquam dari poſſit interpretatio, quæ nulli dubitationi locum relinquat. Nam duorum priorum vocabulorum ænigmatice dictorum perquam dubia et vix probabilis reddi poteſt ratio; tertii autem (אֲבִיּוֹנָה) ſignificationem adeo ignoramus. — — Quam ſupra poſui verborum verſionem, ſic vulgo probatur. *Amygdalus* florem ſuum maturat, atque ſub finem anni, menſe Decembri jam floret. Poteſt igitur imago eſſe vitæ ſenis ad finem jam vergentis, ſimul cum reſpectu ad canos; dum flores amygdali ſint modice ex candido rubentes. vid. *Celſius* in Hierobot. P. I. p. 303. — Cum *locuſta* comparatur ſenex propter corpus macilentum, pedes graciles et inceſſum incurvatum ac ſi onere prematur. — Tertium vocabulum אֲבִיּוֹנָה h. l. tantum obvium, a multis interpretibus derivatur ab אבה *voluit*, *concupivit*; a quo ſubſtantivum h. l. formatum vertunt *appetitum*, quem, ut omnem rerum ſuavium et jucundarum oblectationem, in ſenibus ceſſare conſtat. Contra hanc explicationem alii urgent, nec ſine cauſa, tertium hoc vocabulum æque ac duo præcedentia ænigmaticum f. ſymbolicum eſſe debere, cum manifeſte illis

homo diſcedit in domum ſuam æternam o), et lugentes illis reſpondeat. Igitur multis non repudianda videtur verſio græca τῶν ό, διασκεδασθῇ ἡ κάππαρις, quam etiam Vulgatus, Syrus et Arabs exhibent: *et diſſipabitur capparis.* Equidem lubenter his accederem, neque dubitarem aliis punctis legere וְתֻפַּר הָאֲבִיּוֹנָה quod illa verſio requirit et vocabulum *capparis* his punctis apud Talmudicos legatur, dummodo probabilis reddi poſſit ratio comparationis. Nam quod nonnulli dicunt: capparin ſuper ſepulcris ſuccreſcere et propterea removeri ſ. auferri ſi illa eſſent aperienda: facile intelligitur quam debilis ſit illa ratio, neque verbis neque rei comparatæ applicanda. Melius noviſſimus hujus explicationis defenſor, *Michaelis* conjectat (in notis ad verſionem germanicam, nam in notis ad paraphraſin poeticam aliter h. l. explicat) gemmam capparis ruptam (das Aufblühen einer Knoſpe) fortaſſe imaginem fuiſſe vitæ futuræ, de qua etiam duo præcedentia membra explicat. — In alia omnia abit *Dœderleinius.* Is exiſtimat indicari moroſitatem ſenum, veris et renaſcentis naturæ gaudia faſtidientem. Vertit: *Spernitur* (יְנָאֵץ) *amygdalus*, quæ propter flores maturos recte veris nuntia dici poſſit, *moleſtam ſeſe facit locuſta*, quæ θέρεος προφήτης æſtatis nuntia Anacreonti dicitur, *et columba querula repudiatur.* Nimi-

o) *Sepulcrum.* Comparatio ſcriptoribus orientalibus familiaris, uti altera huic cognata, qua vitam peregrinationem, et mundum, hoſpitium ſive diverſorium eſſe dicunt. cf. *Schultenſius* ad Jobum 3, 15. 17, 13.

tes in platea circumeunt *p*). 6. Antequam auferatur funiculus argenteus, conteratur lychnus aureus, frangatur hydria ad ſcatebram, et conquaſſetur trochlea ad puteum *q*). 7. Redeatque pulvis in terram, qualis

Nimirum אביונה putat eſſe vocem compoſitam ex יונה *columba* et אבוי vel אבי *væ!* hinc *columba querula*, h. e. turtur. Hanc autem quoque ut *veris amicam* laudant veteres, coll. Cant. Cant. 2, 12. et quoad תפר Job. 15, 4. — Digna eſt explicatio ingenio Viri Celeb. Attamen de hac quoque dubitare mihi liceat, maxime de tertio membro. Nomen turturis תור Hebræis notiſſimum. Num probabile eſt poetam in uno membro vocabulum, ut ita dicam, ænigmaticum adhibuiſſe, cum in reliquis omnibus uſus ſit vocibus vulgaribus et ſignificationis minime dubiæ?

p) Ex more Orientalium, quo præfici et præficæ conductæ luctum et planctum publice edebant. cf. Jer. 9, 17.

q) Duplici ſimilitudine *mors* deſcribitur. Quæ igitur non, uti quibusdam videtur, ad præcedentem ſenectutis deſcriptionem pertinet. Altera ſumta eſt a candelabro aureo, pendente a fune argenteo, h. e. ſerico filis argenteis intertextis. Qui ſi abrumpitur, candelabrum dejicitur et frangitur. Sic corpus hominis in morte. — In hac pro lectione textuali ירחק *removetur*, marginalis habet ירתק *vincitur* ſ. *ligatur;* quam non ſolum verſiones antiquæ exhibent; οἱ ό, ἀνατραπῇ, Vulgatus: *rumpatur*, Symmachus: πριν ἢ κοπῆναι, *priusquam abſcindatur*, ſimiliter Syrus; ſed etiam duo et viginti codices *Kennicotti.*

lis fuit, et ſpiritus revertatur ad Deum, qui eum dedit *r*). — 8. O ſummam vanitatem, inquit Concionator *s*), o ſummam rerum omnium vanitatem! 9. Quo magis *t*) vero Concionator ſapientia excellebat, eo magis docuit populum ſcitu digna, atque diligenter omnia explorans multas congeſſit ſententias.

10. Stu-

nicotti. Quod tamen mirum non eſt, cum Judæi ſemper lectionem marginalem ſequantur. Lectio textuali haud dubie præferenda eſt, quoniam verbi רתק *rumpendi* ſignificatio neque ex lingua hebræa, neque ex dialectis probari poteſt. — Altera imago ſumta eſt a fonte, e quo variis machinis adhibitis aqua hauritur; quæ ſi corrumpantur, omnis earum uſus ceſſat.

r) Habes hic illuſtre teſtimonium pro immortalitate animi noſtri ante Chriſtum haud ignota, quo ſatis defenditur pius auctor contra eorum inſcitiam vel audaciam, quibus anima una cum corpore ad nihilum eſſe rediturum, credere viſus eſt. *Dœderleinius.*

s) Concluſio totius libri, in quo auctor primo repetit propoſitionem primariam, ſive id quod in toto libro probare voluit: ſummam eſſe rerum omnium vanitatem ſ. imperfectionem. Deinde addit commendationem libri ſui, epitomen eum quaſi eſſe optimarum et utiliſſimarum ſententiarum a viris ſapientibus dictarum; tandemque definit in repetitione alterius partis propoſitionis ſuæ in ipſo libro probatæ: timorem Dei ſ. religionem hominem tantum felicem reddere et beatum.

t) Sic verto יֹתֵר propter ſequens שֶׁ.

10. Studuit Concionator invenire ea quæ placerent, quæ recte ſcripta et vere eſſent enunciata: 11. Dicta ſapientum *u*), quæ tanquam ſtimuli et tanquam clavi infixa eſſent, omnia complectentia *x*), ab uno obſervata *y*). 12. Quæ præter ea circumferuntur, de his, mi

u) Non puto, quod tamen pleriſque interpretibus placet, novam periodum incipere. Facillimus nexus eſt, atque explicatio quoque facilis totius verſus alias difficillimi, ſi repetatur verbum e verſu decimo: *Studuit concionator invenire* dicta ſapientum. Nimirum commendat ſyllogen ſententiarum ſuarum ab inſigni utilitate et præſtantia, quod complectatur optima in multis aliis libris diſperſa. — Hunc ſenſum planum et facilem jam *Geierus* vidit, ut et quoad ſequentia ex parte.

x) hebr. בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת novum prædicatum eſt ſententiarum in hoc libro contentarum; eas omnia comprehendere, ut non opus ſit complures alios libros legere. Quod ne fieret, in ſequenti verſu præcipitur. Cæterum idiotiſmum linguæ in uſu latiſſimo τοῦ בַּעַל norunt vel tirones, et conferre poſſunt *Glaſſium* in Philol. S. p. 92. ſeqq.

y) hebr. מֵרֹעֶה אֶחָד. Placet explicatio τοῦ רֹעֶה quam *Michaelis* dedit in notis ad paraphraſin poeticam hujus libri, ubi tamen totum locum longe aliter vertit. In verſione vero germanica, priore illa explicatione repudiata aliam ſubſtituit, de qua tamen h. l. dicere nihil attinet. — Verbum רעה apud Arabes (*Golius* p. 1006.) ſigni-

mi fili, eſto monitus. Nam librorum componendorum modus non eſt. Sed nimia meditatio corpus fatigat. 13. Summam omnium, quæ dicta ſunt, audiamus: Deum time, et præcepta ejus ſerva. Hoc enim eſt omnium hominum. 14. Deus vera omnia opera, etiam occulta, adducet in judicium, ſive bona ſint, ſive mala.

ſignificat *accurate aliquid conſiderare et obſervare.* Igitur מרעה אחד verto: *ab obſervatore uno.* Qui eſt ipſe auctor libri; qui dicit *ſe unum* in hoc libro omnia ex pluribus congeſſiſſe et obſervaſſe; poſſe propterea lectorem ſuperſedere moleſto labore plurium librorum legendorum verſ. 12.

CAN-

CANTICUM CANTICORUM a)

a) Quanquam vereor, ne noſtris temporibus inter viros doctos et librorum ſacrorum interpretes non pauci reperiantur, qui adhucdum faveant myſticæ aut allegoricæ interpretationi hujus libri: tamen ſpero (quidni enim ſperemus, quod utique optabile eſt?) plures eſſe, qui miſſis illis et repudiatis hypotheſibus ſine ulla probabilitate fictis, atque rebus graviſſimis tali allegoria indicatis, prorſus indignis, rectius ſentiant, poſtquam *Herderus*, *Dœderleinius*, *Hufnagelius*, *Eichhornius* invictis argumentis probarunt, ſenſum myſticum aut allegoricum tribui non poſſe his carminibus, niſi quis omnem ſenſum veri et falſi, apti et inepti ſuppreſſerit. Igitur nullus dubito libere profiteri, me in judicio ſuper ſcopo et argumento hujus libri idem ſentire, quod Viri illi Doctiſſimi ſtatuunt, et quod, niſi quis opinionibus jam ante captis ad ejus lectionem acceſſerit, cuique in mentem venire debet: carmen eſſe eroticum, quo amores duorum amantium caſte et decore, ſed, quod imprimis tenendum eſt, *imaginibus apud poetas orientales in tali argumento uſitatiſſimis, a linguis vero occidentalibus alieniſſimis*, canantur. — Opinionis autem errorem et timoris vanitatem, quo multi permoti aut agitati hoc argumentum libro in ſacrum codicem relato indignum ſtatue-

ſtatuerunt atque ex eo ſenſus myſtici neceſſitatem probarunt, *Herderus* et *Dœderleinius* ſatis oſtenderunt; ille quidem in verſione germanica hujus libri, cui titulum fecit: *Lieder der Liebe, die älteſten und ſchönſten des Morgenlandes* p. 120 ſeqq. hic in præfatione ad verſ. germ. hujus libri, quæ Eccleſiaſtæ verſioni addita eſt p. 168 ſeqq. Si amor mutuus utriusque ſexus licitus eſt, et a creatore ipſo naturæ humanæ inſitus, etiam ejus adjuncta, viſendi deſiderium, oſcula, amplexus et alia hujus generis non poſſunt reprehendi aut damnari, ſi decori et honeſti limites non excedunt; juſta ſunt, non improbanda, immo appetenda, ut alia lætitiæ oblectamenta a creatore benigno hominibus conceſſa; hinc quoque laudanda et celebranda, ſive, quod idem eſt, poſſunt eſſe argumentum carminis ſacri. Porro, ſi in libris ſacris poemata extant omnium fere eventuum vitæ humanæ, lætorum et triſtium, quidni etiam poeta canat gaudia amoris caſti et honeſti cum ſuo adjuncto, deſiderio nempe ejus conſummandi amore conjugali? Sed mitto hæc, quæ pluribus diſerte expoſuit *Dœderleinius* l. l. Cujus ſententiæ etiam ſubſcribo quoad quæſtionem de auctore hujus carminis, et de univerſa ejus ſtructura. Non canit Salomo *ſuum amorem.* Multa ſunt, quæ perſonæ ejus minime conveniunt; puellæ inprimis contemtus aulæ regiæ, et comparatio ejus cum vita paſtoritia longe feliciore et beatiore, e. c. Cap. 1, 10. 3, 6. ſeqq. 6, 8. 9. Neque *aliorum amantium* rure degentium conſuetudinem ſ. conjunctionem Salomo tam vere, tam vivide, tam naturæ convenienter deſcribere potuiſſet, ejus quippe prorſus ignarus, in ſumma vitæ

 volu-

CAPUT I

1. Canticum elegantiſſimum Salomonis.
2. Oſculetur me oris ſui oſculo *b*)!
Nam amores tui vino ſunt ſuaviores.
3. Ut unguentorum tuorum præſtantiſſimorum
Unguentum liquidiſſimum eſt nomen tuum,
Propterea te amant puellæ.

4. Tra-

voluptariæ copia et abundantia vivens, eique addictus. Quid? quod ipſa lingua minus pura vocibusque peregrinis mixta prodit ſerioris ætatis ſcriptorem. vid. *Eichhornius* in Introduct. Vet. Teſt. P. III. p. 531. edit. 2dæ. Probabile igitur videtur, poetam aliquem hoc ſibi argumentum poematis ſumſiſſe, ut caneret amorem paſtoris et amicæ ſuæ, variosque fingeret duorum amantium conventus, et quæ in eis dicta et facta eſſent, vivis coloribus pingeret. Hæc pro inſtituti ratione de poematis argumento dicta ſufficiant. Plura dabunt auctores citati. Collationem verſionum antiquarum cum textu hebræo inſtituit *Hufnagelius* in Repertorio pro literatura Orient. P. VII. p. 199. VIII. p. 269. X. p. 241. XI. p. 112. ubi tanta diligentia omnia congeſſit et dijudicavit, ut vix ſpicilegium relinqueret. Quæ vero his diſquiſitionibus criticis inſerta erant ad ſenſum poematis aut ſtructuram ejus explicandam, ſeparatim edita ſunt a Viro S. R. cum verſione germanica ipſius carminis et præfatione lectu digna in libello, qui Erlangæ prodiit 1784.

b) Orditur amica colloquium cum amico ſuo, et quanti eum faciat exponit.

4. Trahe me, poſt te curremus,
Ut ſi c) rex me in conclave ſuum duceret,
Exultamus, lætamur de te.
Celebramus amores tuos magis quam vinum,
Probi te amant. —
5. Nigra ſum, ſed pulchra, puellæ Hieroſolymitanæ!
Ut tentoria Kedarena, ut aulæa Salomonis.
6. Ne me ſpectetis quod nigra ſim, ſol me aduſſit,
Fratres mei mihi infeſti *d)*.
Vineæ cuſtodem me conſtituerunt,
Sed nolo ego vineam illam cuſtodire.
7. Indica mihi, o tu mihi dilectiſſime!
Ubi paſcas, ubi ſtabules meridie,
Quid enim inter greges ſociorum tuorum oberrem *e)*?

Dd 2 8. An

c) Supplenda eſt litera Caph. Contextus enim docet, puellam comparare ſummum honorem, qui putaretur, a rege amari, cum amore amici ſui, atque hoc ſe longe feliciorem ſibi videri, quam illo, dicit.

d) Veriſimile videtur ſubeſſe carmini veram aliquam hiſtoriam, quam poeta pro arbitrio ſuo mutaret aut amplificaret. Id quidem clarum eſt, conqueri puellam de duritie fratrum ſuorum, quorum curæ pro more Hebræorum erat commiſſa. — נִחֲרוּ eſt a חרה *ira exarſit.* cf. Jeſ. 41, 11. 45, 24.

e) Pro כְּעֹטְיָה legendum putem כְּטֹעִיָה. Sic ex antiquis

8. An neſcis, mulierum pulcherrima!
Sequere modo veſtigia gregis,
Et paſce hœdos tuos juxta paſtorum attegias.
9. Equis ad quadrigas Pharaonis
Te aſſimilo, o amica mea!
10. Pulchre conſpicerentur genæ tuæ inter torques,
Collum tuum inter margaritarum ordines.
11. Faciemus tibi torques aureos,
Vermiculatos argento.

* * *

12. Dum rex in conclavi ſuo quieſcit,

Nar-

quis interpretibus legerunt Vulgatus: *ne vagari incipiam.* Syrus: *ne ſim errabunda inter greges ſodalium tuorum.* Symmachus: *ῥεμβομένη*, et Jonathan: מְטַלְטְלָה *divagans.* *Schultenſius* quidem in Animadverſſ. philol. ad h. l. explicat lectionem receptam כְּעֹטְיָה *ut operta*, tanquam *languida* et *deficiens*, ex eo quod Hebræi et Arabes verba *tegendi* uſurpent ad *animi deliquium* indicandum, ut עָלַף et עָטַף, quam ſignificationem contextui aptam putat, quoniam ſponſa quærit, ubi greges recubare faciat ſponſus circa meridiem, ſcilicet ut frigus et umbram captent. Mihi vero non ſatis hæc convenire videntur ſequentibus verbis: *apud ſ. inter greges ſociorum tuorum*, quibus notio *errandi* longe aptior eſt. Non vult puella oberrare inter paſtores ſibi ignotos, propterea ſcire cupit locum, ubi amicus meridiet, ut eo recta quoque iter ſuum intendat.

Nardus mea mihi ſuavem ſuum odorem exhalat *f*).

13. Faſciculus myrrhinus eſt amicus meus,
Ad pectus meum recumbens.

14. Uva cypria eſt amicus meus,
Ex vineis Engeddenſibus.

15. O te formoſam, amica mea!
O te formoſum columbinis ocellis *g*)!

16. O te formoſam, mi amice, o te pulcrum!
En lectum noſtrum virentem.

17. Domus noſtræ tigni ſunt cedri,
Laquearia noſtra cupreſſi *h*).

CAPUT II

1. Roſa Saronis ego ſum *a*),

 Lilium

f) *Hufnagelio* videtur hoc loco novum carmen incipere. Monologium puellæ, quo ſuos, dum de amico ſuo cogitat, affectus exprimat.

g) Verba ſunt, ex ſententia *Hufnagelii*, amici, quæ repetit puella animo ſuo ſecum, atque ſic amorem ſuum fovet et dulce illud colloquium ſibi in mentem revocat.

h) Elegantiſſimus locus. Non ægre carent duo amantes ſplendido ornatu ædium oppidanorum. Beatiores ſibi videntur, dum in arborum umbra ſedent, aut in viis ea tectis obambulant floribusque terræ odoris recreantur.

a) Nova ſcena fingitur a poeta. Puella commorans in valle amœna ſiſtit ſibi in imaginatione amicum ſuum præ-

Lilium vallium.

2. Qualis roſa eſt inter ſpinas,
Talis eſt amica mea inter puellas *b*).

3. Qualis inter arbores ſilveſtres malus,
Talis eſt amicus meus inter juvenes.
In umbra ejus ſedere cupio,
Ejus fructus dulcis eſt meo palato.

4. Ducat me ad domum convivii *c*),

Amor

præſentem. Quibus cogitationibus ſeſe oblectans ſomniare incipit 8—15. E quo ſomnio expergefacta repetit, quæ ſibi videre viſa fuerat 16. 17. Sed mox novo ſomnio conſopita quærit amicum, et invenit eum in urbe, e qua eum ſummo cum deſiderio domum deducit.

b) Iterum uti Cap. 1, 15. puella ſola ab amico ſuo ſejuncta ſiſtit ſibi animo ſuo præſentem eum quem amat, et recordatur verborum ejus blandientium, quibus reddit ideo ſtatim ſimilia. — Sic *Hufnagelius* apte, uti arbitror.

c) hebr. אֶל־בֵּית הַיָּיִן *in tabernam vinariam.* Sed abhorret a moribus cum orientis, tum a noſtris, talem locum cogitare, in quo vinum vendatur, et puellam optare, ut ab amico ſub eo ducatur! Valde laborant interpretes, etiam recentiores optimi, in ſenſu verbis ſubjiciendo modo probabili, nedum certo. *Dœderleinius* quidem *vineam* intelligit, domicilium puellæ, ad quam vereatur, ne amicus eam eo reducat. At recte objicit *Hufnagelius* (in Repert. P. VIII. p. 277.) non poſſe

pro-

Amor meus eum unice ſpectat *d*).

probari hanc explicationem ex uſu loquendi Hebræorum. Nuſpiam *vinea* hac periphraſi deſignatur. Interpretes antiqui omnes conſentiunt in verſione verborum hebræorum. Symmachus quoque habet, *εἰς τὸν οἰνῶνα*, qui clarius haud dubie vertiſſet, ſi verba illa *vineæ* notionem admitterent. Mihi quidem בֵּית הַיַּיִן idem eſſe videtur, quod alias בֵּית מִשְׁתֶּה *domus convivii*, ſc. nuptiarum, Eccleſ. 7, 2. Hunc ſenſum acute quoque divinavit *Hufnagelius*, ſic verba explicans: *Führte er mich bald ins Wonnehaus, das Feſt unſrer Liebe bey Wein und Freude zu feiern.*

d) Verba textus דִּגְלוֹ עָלַי אַהֲבָה ſunt difficillima. Verſiones antiquæ nihil nos juvant ad ea explicanda ſive intelligenda lectionis varietate, quam produnt in דִּגֵל et דִּגְלוֹ. *οἱ ό* habent: *τάξατε ἐπ᾽ ἐμὲ ἀγάπην*. Symmachus: *ἐπισωρεύσατέ μοι ἀγάπην*. Aquila: *ἔταξε ἐπ᾽ ἐμὲ ἀγ.* Vulgatus: *ordinavit in me charitatem*. Senſu ſemper obſcuro, ſive hanc, ſive illam lectionem ſequamur. Atque haud ſcio, an notio *ordinandi* verbo דגל horum interpretum auctoritate adſtrui poſſit. In lingua Syriaca et Arabica דגל ſignificat *fallere*. Hanc *Dœderleinius* his verbis ſubſtituit: *fraus ejus ſ. ſimulatio eſt amor: doch iſt Liebe ſein Trug*, pro ſenſu, quem præcedentibus verbis ſubjecit, de quo in antecedente nota dictum eſt: *Führt er mich auch zurück in meinen Weinberg.* —— Sic quoque *Hufnagelius*. — *Michaelis* ad

Lowthum

5. Reficite me herbis ſuaveolentibus,
Recreate me malis odoris,
Nam amore langueo.
6. Siniſtra ejus ſub meo capite,
Ejus dextra me ampleĉtatur!
7. Obteſtor vos, puellæ Hieroſolymitanæ!
Per dorcadas, per cervos ſilveſtres,
Ne excitetis, neve expergefaciatis dileĉtam,
Donec ipſi libuerit. —
8. En! vocem amici mei —
Hic eſt — venit *e*).

Saltat

Lowthum p. 596. ex ſignificatione vulgari *τοῦ* דָּגַל ſenſum eſſe putat: *oppugnat me ſub vexillo amoris.* At enimvero *vexillum* non adhibetur ad *oppugnandum;* ſed eſt ſignum, ad quod milites attendunt, ut eo ſe conferant, ubi illud conſpiciunt. Cum reſpeĉtu ad illum vexilli uſum dicere videtur puella: ſe, ut milites vexillum, amicum ſuum ſpeĉtare, ad eum omnem attentionem et amorem ſuum eſſe direĉtum. Priori quidem membro, quo ad gaudia convivalia ab amico deduci optat, hic ſenſus ſatis aptus eſt. Sed probe ſentio conſtruĉtionem verborum tunc eſſe paullo duriorem. *Hubigantii* conjeĉtura audacior eſt, quam quæ placere poſſit: pro דגלו legere vult יִגְדַּל *magnificavit,* quod conſtruitur ſequente עַל, hinc vertit: *præcipuum fecit erga me amorem ſuum.*

e) Somnium, in quo videt puella amicum, qui eam invi-

tat

Saltat per montes, tranſilit per colles.
9. Similis eſt amicus meus dorcadi,
Aut hinnulo cervino.
En eum! ſtat prope parietem noſtrum,
Proſpicit per feneſtras, emicat per cancellos.
10. Sic vero me alloquitur amicus meus:
Age jam, amica mea pulchra, veni!
11. Ecce enim hiems præteriit,
Imbres ceſſarunt, deſierunt.
12. Flores jam humi conſpiciuntur,
Cantandi tempus adeſt,
Vox turturis auditur in regione noſtra.
13. Ficus jam condit ſuos groſſulos,
Et vites edunt flores fragrantes.
14. Age jam amica mea pulchra, veni!
Mea columbula in petræ fiſſuris,
In locis acclivibus latentibus,
Oſtende mihi tuum vultum,
Fac ut audiam tuam vocem,
Nam ſuavis eſt tua vox, et vultus tuus amœnus.
15. Capite nobis vulpes,
Vulpeculas vinearum corruptrices.
Nam vinea noſtra jam floret. —

 16. Ami-

tat ad veris amœnitates ſecum percipiendas. Sermo totius pericopæ naturæ ſomnii eſt aptiſſimus; brevis, interruptus — affectum amoris egregie exprimens.

16. Amicus meus meus eſt, ego illius *f*).
Num paſces *g*) inter lilia,
Dum dies refrigeſcat et umbræ fugiant?
17. Redi, dilecte, ſimilis dorcadi,
Aut hinnulo cervino,
Per montes frugiferos *h*).

f) Expergefacta puella præ indignatione, quod vulpes viderat in ſomnio vites corrumpere, jam vigilans continuat illas de amico ſuo cogitationes et cum eo colloquium. Hunc nexum verſuum 16. et 17. cum antecedentibus acute detexit *Hufnagelius*, neque minus artificium poetæ bene obſervavit, qui puellam expergefactam ſic loquentem inducat, uti ſomnio ejus convenit, cum deſiderio ſcilicet, ut verà eſſent, quæ in ſomnio viderat, amicum nempe ſuum adveniſſe et cum ea per hortum et vineam obambulare: hinc illa ad ſe invitatio verſ. 16. et 17.

g) Pro הָרֹעֶה legendum puto הֲרֹעֶה interrogative, *num paſces?* Sic facillimus nexus eſt totius loci. Loquitur puella cum amico, et optat ut ſine mora veniat, nec veſperam expectet, ut properet ad ſe, ſicuti eum in ſomnio accurrentem viderat. Nam manifeſte verba verſ. 17. reſpiciunt verba verſ. 8. et 9.

h) Probabilis videtur conjectura, quam *Bochartus* attulit in Hieroz. P. I. p. 894. pro בתר legendum eſſe כֶּתֶר quam pluribus ornavit *Hufnagelius* in Repert. P. X. p. 252. alio tamen ſenſu quam *Bochartus*, qui ſervata

CAPUT III

1. In lecto meo noctu cubans *a*) quæſivi animo meo carißimum,
Quæſivi eum, ſed non inveni.
2. Age! ſurgam, urbem perluſtrabo,
In plateis, in foris quæram quem amo. —
Quæſivi eum, ſed non inveni.

3. Inci-

uſitatiore ſignificatione τοῦ כֶּתֶר *coronæ*, *montes coronæ* vocari dixerat montes, quibus Hieroſolyma tanquam *corona* cincta erat circumquaque; cui conjecturæ occaſionem dederat verſio græca, in qua pro ὄρη κοιλωμάτων *montes cavitatum* legendum videtur ὄρη κυκλωμάτων. At *Hufnagelius* illud כתר confert cum arabico كثر *multus*, *copioſus fuit*. Conſentiunt Theodotio, Syrus, Arabs, ſi non in lectione כתר, tamen in lectione diverſa a recepta. Syrus habet ܛܘܪ̈ܐ ܕܒܣܡ̈ܐ et Theodotio ἐπὶ ὄρη θυμιαμάτων, qui quoque videri poſſent legiſſe הָרֵי בְשָׂמִים coll. 8, 14. quod tamen paullo longius recedit a recepta lectione בֶּתֶר. At Arabs habet: *ſimilis es binnulo capreæ uberibus paſcuis ſuper montes gaudenti.*

a) Novum ſomnium ſive potius continuatio prioris. Cujus tamen ſcena fingitur non rure, ſed in urbe metropoli, in qua puella quærit amicum ſuum, atque eo potita ſummo cum gaudio domum deducit. Somnium eſt, ut ſomnium etiam dijudicandum.

3. Inciderunt in me cuſtodes urbem peragrantes,
An non vidiſtis, *inquiebam*, animo meo dilectiſſi-
mum?

4. Vix me ab eis verteram, inveni eum quem amo.
Prehendi eum, nec dimiſi,
Donec eum introduxerim in matris meæ domum,
In conclave genitricis meæ. —

5. Obteſtor vos, puellæ Hieroſolymitanæ!
Per dorcadas, per cervos ſilveſtres,
Ne excitetis, neve expergefaciatis dilectam,
Donec ipſi libuerit.

* * *

6. Ecquæ aſcendit e deſerto ſicuti columna fumi *b*),

E

b) Novum carmen incipere argumentum clare docet. Sed de ejus ſcopo quæritur. *Hufnagelio* videtur carmen eſſe, quod deſcribat et celebret pompam ſolemnem, qua regina aliqua ſ. concubina Salomonis ad ejus gynæceum deducta ſit, ideoque ſine connexione cum ſequentibus h. l. legatur. Mihi vero longe probabilior videtur ſententia *Dœderleinii*, totam hanc pompæ ſolennis deſcriptionem fictam eſſe a poeta tantum propter comparationem. — Ut ut pulchra ſit illa regina, ſplendida et ornata, digna quam omnes admirentur: ſuam tamen ſc. paſtoris dilectam ſibi longe pulchriorem, longe cariorem videri. — Id enim mihi prorſus eſt perſuaſum, *unum* eſſe totius carminis *argumentum*, excepta duplice

E ſuffitu *c*) myrrhæ et thuris,
Omnisque generis pulveris pigmentarii?
7. En lecticam Salomonis *d*)!
Sexaginta militibus cinctam,
E fortiſſimis Iſraelitarum.
8. Omnes gladium tenent, belli periti,
Quis-

duplice appendice in fine capitis ultimi a verſu octavo. Unius ſponſi et ſponſæ amores canuntur; ſed in diverſis locis, diverſis temporibus; quæ ſcenæ diverſæ a poeta fictæ utique partes quasdam totius carminis conſtituunt. — — Hinc eſſet contra ſtructuram totius poematis, ſi in hac ᾠδῇ insereretur deſcriptio pompæ cujusdam regiæ, nullo neque cum antecedentibus, neque cum ſequentibus nexu.

c) Pro מְקֻטֶּרֶת *ſuffumigata* legendum eſt מִקְּטֹרֶת *e ſuffitu* et referendum ad עָשָׁן. Sic quoque omnes interpretes antiqui.

d) hebr. הִנֵּה מִטָּתוֹ שֶׁלִּשְׁלֹמֹה non *lectus Salomonis*, ſc. in quo cubet et dormiat. Ad quid enim ille a tot militibus cinctus eſſet? an ſecuritatis cauſa? et cur hujus in deſcriptione pompæ ſolennis mentio fieret? *Lectica* illa eſt, quæ verſu 9. אַפִּרְיוֹן vocatur, et cujus ſtructura pretioſa verſu ſequenti pluribus deſcribitur. Hac vehitur Salomo tot militibus ſtipatus more regum orientalium ad deducendam ſponſam ſuam. Miror nonnullos interpretes hunc ſenſum non vidiſſe. Sed *Huſnagelius* locum recte intellexit.

Quisque in femore gladio ſuo accinctus,
Propter terrores nocturnos.
9. Lecticam ſibi fecit rex Salomo
E lignis Libani,
10. Columnas ejus argenteas,
Fulcrum aureum, ſedem purpuream,
Cui inſidet dilecta præ aliis puellis Hieroſolymitanis.
11. Prodite, ſpectate, Sionis puellæ, regem Salomonem,
In corona, qua eum ejus mater coronavit
Sponſaliorum die, die lætitiæ ſuæ.

* * *

CAPUT IV

1. O te formoſam, amica mea,
O te formoſam oculis columbinis pone peplum tuum.
Crines tui ſimiles ſunt caprarum gregibus,
Qui paſcunt prope montem Gilead *a*).
2. Tui dentes ad inſtar gregis tonſarum ovium,
Quæ

a) Verbum גָלַשׁ præter h. l. ſemel infra Cap. 6, 5. obvium recte confertur cum arab. جلس *conſedit, diſcubuit.* — Mem vero ſæpe per *apud*, *prope* explicandum, compluribus exemplis probari poteſt, v. c. Exod. 33, 6. Ruth. 2, 14. Hæc verbi ſignificatio aptior videtur, quam altera *aſcendendi*, quam interpretes antiqui exhibent.

Quæ a lotione aſcendunt,
Omnes gemelliparæ, nulla earum ſterilis.
3. Filum coccineum referunt labia tua,
Tuus ſermo elegans,
Genæ tuæ poſt peplum uti malum-punicum diſſectum.
4. Collum habes turris Davidicæ ſimilem
Exſtructæ ad armamentarium,
E quo pendent mille clipei et arma heroum *b*).
5. Duæ mammillæ tuæ ut duo hinnuli,
Gemelli capreolæ paſcentes inter lilia.
6. Dum dies refrigeſcit et umbræ fugiunt,
Abibo ad montem myrrhæ et collem thuriferum.
7. Tota formoſa es, amica,
Omnis maculæ expers. —
8. Mecum de Libano, ſponſa,
Mecum de Libano veniebas.
Proſpectabas ex Amani vertice,
E faſtigio Seniri et Hermonis,
Ex leonum luſtris, ex montibus tigrium *c*).
9. Tum cor mihi vulneraſti, mea ſoror ſponſa,
Cor mihi vulneraſti altero ocellorum tuorum,

Altero

b) h. e. gemmæ, uniones et ſimilia ornamenta.

c) Locus indicatur, in quo ſponſa antea degebat. Amœniſſima illa Libani montis regio. Ibi primo eam paſtor viderat ejusque pulchritudine captus fuerat.

Altero cincinnorum colli tui.

10. Quam delectat amor tuus, mea ſoror ſponſa!
Quam præſtat amor tuus vino,
Et unguentorum tuorum odor omnibus aromatibus.

11. Favum deſtillant tua labia, ſponſa,
Melle et lacte fluit lingua tua.
Odorem Libani redolent tua veſtimenta.

12. Hortus concluſus eſt, mea ſoror ſponſa,
Hortus concluſus, fons obſignatus *d*).

13. Plantationes tuæ ſunt pomaria malorum punicorum,
Cum fructibus præſtantiſſimis,
Cypriis et nardo.

14. Nardus et crocus,
Calamus et cinnamomum,
Cum omnibus lignis thuriferis.
Myrrha et agallochum,
Cum præſtantiſſimis quibusque aromatibus.

15. Puteus horti fons eſt aquæ perennis,

De-

d) Aſſentior *Dœderleinio*, qui hortum proprie dictum intelligit, non metaphorice *puellam*, ut imaginem caſtitatis, ſed locum commorationis duorum amantium, qui modo vinea, modo hortus, modo pomarium vocatur. Ad hunc invitat ſponſus ſponſam ſuam verſ. 12—15. Quæ reſpondet verſ. 16. et viciſſim amicum ſuum invitat. Qui Cap. 5, 1. ſe jam adeſſe ait et paranymphos excitat ad gaudia convivalia ſimul percipienda.

Defluentis e Libano.

16. Surge, aquilo, veni auſter,
Adfla meum hortum, fluant ejus odores!
Veniat amicus meus ad ſuum hortum
Et comedat de frugibus ejus optimis.

CAPUT V

1. Venio ad hortum meum, mea ſoror ſponſa,
Decerpo myrrham meumque balſamum,
Comedo favum meum cum melle,
Bibo vinum meum cum lacte.
Comedite, ſodales, large bibite, dilecti!

* * *

2. Ego dormio, ſed cor meum vigilat *a*).
Vox dilecti mei pulſantis:
Aperi mihi, mea ſoror, amica mea,
Mea columbula, mea optima,
Caput rore plenum, capilli ab imbre noctis madent. —
3. Exui meam tunicam, quomodo eam induam?
Lavi meos pedes, quomodo eos inquinabo?
4. Amicus immiſit manum ſuam per cancellos *b*),

Quo

a) Novum carmen. Somnium, cujus ſcena vero diverſa eſt ab eo quod Cap. 2, 8 ſeqq. a poeta fictum fuerat. Illud rure, hoc in urbe ſomniat puella. — Perit omnis carminis elegantia, ſi quis hiſtorice illud velit explicare.

b) Senſum hujus loci bene, uti arbitror, explicavit *Dæ-*

 der-

Quo facto ego vehementer ſum commota.
5. Surrexi ad aperiendum amico meo.
Tum manus meæ manabant myrrha
Et digiti myrrha optima per annulos peſſuli *c*).
6. Aperui amico meo, ſed hic diſceſſerat.

Ego

derleinius. Refert puella amicum ſuum enixiſſimis precibus flagitaſſe, ut immitteretur, (ſic שלח יד *de imploratione auxilii* alias quoque dicitur) ſibique viſam eſſe videre manum amici poſt cancellos, hinc precibus ejus commotam conſilium aperiundi fores cepiſſe.

c) Negat *Veltbuſenius* in Comment. ad verſionem ſuam hujus libri p. 398. hæc verba recte illuſtrari ab interpretibus quibusdam ex more antiquo Græcorum et Romanorum, quo juvenes amicarum ſuarum januis appendere ſolebant ſerta, aut unguentis eas conſpergere. (Ad eum comprobandum et illuſtrandum adſcribo tantum unum locum *Lucretii* IV, 1171. ſeqq. perquam clarum:

At lacrimans excluſus amator limina ſæpe
Floribus et ſertis operit, poſtesque ſuperbos
Ungit amaracino, et foribus miſer oſcula figit.

Plures ſcriptores citavit *Taubmannus* ad Plauti Curcul. Act. I, 88.) Exiſtimat Vir S. R. puellam narrare, ſuas manus maduiſſe adhuc ex unguento veſperæ præteritæ, hoc manaſſe in peſſuli anſas, ut hinc lubricæ fierent et ſe in janua aperiunda impedirent. — At nullum eſt in verbis textus indicium impedimenti objecti, parumque probabile, manus ex unctione præteriti diei adeo fuiſſe madidas, ut unguenta defluerent.

Ego eum inſecuta, quo locutus fuerat,
Quæſivi, ſed non inveni,
Vocavi eum, ſed non reſpondit.
7. Inciderunt in me cuſtodes, urbem peragrantes,
Verberarunt me et vulnerarunt,
Abſtulerunt mihi peplum murorum cuſtodes. —
8. Obteſtor vos, puellæ Hieroſolymitanæ,
Si amicum meum repereritis,
Ut ei indicetis me ægrum eſſe amore. —
9. Quanam re præſtat amicus tuus aliis, mulierum pulcherrima,
Quanam re præſtat amicus tuus, ut tu nos ſic obteſteris?
10. Amicus meus candidus eſt et rubicundus,
Inſignis inter myriades.
11. Caput habet auro optimo ſimile,
Criſpam cæſariem corvo nigriorem,
12. Oculos, ut columbæ ad aquarum rivos
In lacte lotæ, ſedentes in pleno *vultu.*
13. Genas, ſicuti areolæ balſameæ,
Sicuti viridaria odorifera,
Labia inſtar liliorum ſtillantia myrrham excellentem.
14. Manus ejus ſunt cylindri aurei, hyacinthis refertæ.
Venter ebur nitidum ſapphiris opertum.
15. Crura columnæ marmoreæ nixæ baſibus aureis,
Adſpectus Libani ſimilis, eximius ſicuti cedri.

16. Os ejus ſuaviſſimum, immo totus elegans.
Is eſt dilectus meus, is eſt meus amicus,
Puellæ Hieroſolymitanæ!

CAPUT VI

1. Quo ivit amicus tuus, mulierum pulcherrima?
Quo diſceſſit amicus tuus? quæremus eum tecum.
2. Deſcendit amicus meus in hortum ſuum,
Ad areolas odoriferas,
Paſcet in horto, colliget lilia.
3. Ego amici mei ſum, et meus amicus meus eſt,
Paſcit inter lilia. —

* * *

4. Pulchra es, amica, ſicuti Thirza a),

Magni-

a) Primo iterum ſponſus excurrit in laudes dilectæ ſuæ, et deſcribit ejus pulchritudinem eximiam. Deinde confirmat, ſe ejus amore unice delectari, neque invidere regibus ſua gynæcea pellicibus et puellis referta. — *Thirza*, ſedes olim regum quorundam Iſraeliticorum 1 Reg. 14, 17. 15, 21. 33. 16, 6. 8. 23. Audacior videri poſſet comparatio puellæ cum urbe regia, niſi ſimiles immo audaciores in hoc carmine obviæ eſſent. — Interpretes antiqui vertunt תִּרְצָה ut nomen appellativum; οἱ ό, ὡς εὐδοκία. Vulg. *ſuavis*. Syrus: ܐܝܟ ܨܒܝܢܐ Aquila: κατ' εὐδοκίαν. Symmachus: εὐδοκητή. Quinta: ὡς εὐδοκῶ. Sed cum reſpondeat in altero membro *Hieroſolymæ*, rectius haud dubie habetur pro nomine proprio.

Magnifica, uti Hieroſolyma,
Terribilis, uti acies inſtructa.
5. Averte oculos tuos a me, terrent me.
Capillus tuus ſimilis eſt gregi caprarum,
Quæ paſcunt prope montem Gilead.
6. Dentes gregi ovium, quæ a lotione aſcendunt,
Omnes gemelliparæ, nulla earum ſterilis.
7. Inſtar mali punici diſſecti
Sunt genæ tuæ poſt peplum.
8. Sint ſexaginta illæ reginæ,
Et octoginta pellices et innumeræ puellæ.
9. Una hæc mea columba, mea optima
Matri ſuæ unica, lectiſſima ſuæ genitrici.
Videbant eam puellæ et prædicabant,
Reginæ et concubinæ eam celebrabant:
10. Quænam illa, quæ inſtar auroræ proſpectat,
Pulchra ſicuti luna, pura ut ſol,
Terribilis, ut acies inſtructa *b*).

* * *

b) Hæ ſunt laudes, quæ Sulamithæ tribuebantur a reginis vel pellicibus. Alii interpretes cum hoc verſu novum carmen incipiunt. Sed facilior mihi videtur nexus et inveſtigatio ſcenæ, quæ in ſequenti carmine a poeta fingitur, ſi initium novi carminis in verſu 11. eſſe ſtatuitur; quanquam 3, 6. 8, 5. formula hæc מי זאת עלה novum carmen inchoat.

11. Ad nucum hortum deſcendi, ut viderem vallem virentem,
Ut viderem, num florerent vites et germinarent mala punica *c*),

12. Ni-

c) Ex reſponſione puellæ verſ. 11. ad ſermonem illum longum a verſ. 2. ad eam directum divinanda videtur ſcena, qua hæc acta eſſe a poeta fingantur. Nimirum narrat Sulamitha, ſe, cum ad hortum ſuum abiiſſet, incidiſſe in agmen ſ. catervam hominum aulicorum. Hos admiratos eſſe ejus pulchritudinem, eique acclamaſſe ut ſubſiſteret. Se modeſtè reſpondiſſe, non eſſe quod eam tantopere admirarentur: מַה־תֶּחֱזוּ בַּשּׁוּלַמִּית et illos regeſſiſſe: כִּמְחֹלַת הַמַּחֲנָיִם. Tum ſequuntur laudes, ſive potius adulationes ei dictæ ab uno aliquo aulicorum, uti videtur, inde a verſ. 2. Quas, cum verecundiam ejus offenderent, puella interrumpit verſ. 11. negatque ſe ullius eſſe niſi amici ſui. Magna eſt in brevi hac reſponſione energia, magnum decus et pondus. Quo facto convertit ſe Sulamitha ad amicum ſuum, eumque invitat ad loca caſto ſuo amori dicata 12·14. — *Dœderleinius* non Sulamitham, ſed ſponſum ab initio loqui exiſtimat, quoniam laudes ei tributæ majores eſſent, quam quæ a modeſta puella repeterentur. Recte quidem hoc notaretur, ſi ex noſtris moribus omnes ſermones poſſent dijudicari. Sed Vir S. R. ipſe concedit non omnia in his carminibus ad illam ſubtilitatem eſſe exigenda. Porro multa quæ ad ſcenam pingendam facerent, omittuntur a poeta. Non ſolum ſponſum neque

12. Nihil verita obſtupui
Propter currus nobilium *d*).

CAPUT VII

1. Revertere, revertere Sulamitha!
Revertere, revertere, ut te ſpectemus. —
Quid ſpectatis Sulamitham?
Choros tripudiantium caſtrorum.

2. Quam

que ſolam ſponſam adfuiſſe, apparet ex verſ. 11. et 12. ubi illa loquitur et amicum ſuum invitat, ut ſecum ad vineam abeat.

d) Minus commodam explicationem admittit lectio textus recepta נַפְשִׁי שָׂמַתְנִי מַרְכְּבוֹת עַמִּי נָדִיב *anima mea poſuit me currus populi mei nobilis*, quæ perquam coacte ſic explicantur: ego incredibili deſiderio ſponſi mei videndi ad hortum properavi ea celeritate, uti currus Amminadabi!! Veram lectionem ſervarunt haud dubie Vulgatus interpres et Symmachus. Ille vertit: *anima mea conturbavit me propter quadrigas Amminadab.* Hic: ἡ ψυχή μου ἠπόρησέ με, h. e. שַׁמֹּתִי מֵרְכְּבוֹת *obſtupui propter currus.* — Sed quid עַמִּי נָדִיב ſit, perquam obſcurum et incertum eſt. Equidem verti *nobiles* ex ſignificatione verbi ندب *egregius, nobilis fuit.* Jod vero τῷ עַמִּי adjectum redundat, neque illud legerunt Aq. Sym. et Vta; hinc עמי נדיב eſt *populus nobilium;* ſic quoque verterunt interpretes modo citati: λαοῦ ἄρχοντος et λαοῦ ἡγουμένου.

2. Quam pulchri ſunt tui greſſus in calceis, puella nobilis!

Femorum tuorum ambitus, uti monilia operis periti artificis.

3. Umbilicus tuus crater lunæ *a*),

Ne

a) Plane mihi perſuaſum eſt, ſub *umbilico* non partem corporis, quæ proprie ſic vocatur, eſſe intelligendam, quoniam, quæ de eo dicuntur, nullo modo conveniunt. Placet propterea explicatio, quam *Velthuſenius* dedit in verſ. germ. h. l. p. 93. et 482 ſeqq ſic vocari lapidem pretioſum, quem Amethyſtum eſſe vult, qui in zona muliebri ſuper ea parte corporis h. e. ſuper umbilico extiterit. Favet huic opinioni quam maxime contextus, qui totus verſatur in deſcribendo mundo muliebri. Incipit poeta a calceis verſ. 2. et pergit usque ad cincinnos capitis verſ. 6. Apte illuſtravit Vir S. R. illam umbilici ſignificationem ex uſu loquendi aliarum linguarum, in quibus ornatus aut veſtes denominantur ab eis corporis partibus, quas tegunt: e. c. in lingua germanica: ein Brüſtchen, ein Leibchen, pes, calx, ſura in calceis et ocreis; δακτύλιος, germanice antiquo nomine ein Fingerlein, pro annulo. Sic recte quoque בֶּטֶן *ventrem* in ultimo membro hujus verſus de parte tunicæ, quæ ventrem tegit, vom Bauche der Weſte, explicat. — Porro vocabulum ἅπαξ λεγ. סַהַר accipit in ea ſignificatione, quam habet in lingua Chaldaica, Syriaca et Arabica, nempe *lunæ*; hinc אַגַּן הַסַּהַר vertit *crater lunæ*. — Sed quam vellem, ut Viri Doctiſſimi ſententiam de lapide

Ne vini mixtura ei deſit!
Venter acervus tritici liliis cinctus.
4. Duæ iſtæ mammulæ,
Gemelli duo hinnuli dorcadis.
5. Collum tuum ut turris eburnea,
Oculi tui referunt piſcinas Heſbonis ad portam Bethrabbim,
Naſus formam habet turris Libani ſpectantis verſus Damaſcum.
6. Caput tuum Carmelo ſimile,
Cincinni capitis tui ut purpura regis plicaturis vincta.
7. Quam pulchra, quam formoſa es
Amore appetenda!
8. Iſta tua ſtatura palmæ ſimilis,
Et mammæ tuæ uvis.
9. Cupio illam palmam aſcendere,
Et prehendere ejus ramos *b*).
Sint tuæ mammulæ inſtar uvarum vitis,

Et

pide illo pretioſo, cui figura crateris fuerit, ejusque uſu, percipere potuiſſem! Enimvero lecto et relecto illo loco mihi idem fatendum eſt, quod *Michaeli*, (in nova Biblioth. Orient. P. IV. p. 120.) nimia rerum et verborum copia libri eruditiſſimi lectorem ita obrui, ut ſententia Viri Doctiſſimi vix poſſit extricari.

b) h. e. manus.

Et narium odor tanquam pomorum.
10. Tuum guttur tanquam vinum bonum,
Quod ad guttur meum *c*) recte defluit,
Et lente ſubrepit per labia et dentes. — *d*)

11. Ego

c) Verba textus ſunt הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים. Miror conſenſum interpretum antiquorum in lectione vocabuli לדודי quod ex meo quidem ſenſu manifeſte in mendo cubat, neque explicationem niſi perquam quæſitam admittit. Reſpondet ךְּ חִכֵּךְ in membro priori: *Tuum guttur eſt uti vinum bonum.* Igitur legendum eſt haud dubie לְחִכִּי *quod ad guttur meum* et rel. Video hanc conjecturam ſponte ſeſe offerentem etiam *Hubigantio* in mentem veniſſe. In collatione codicum hebræorum *Kennicotti* et *de Roſſi* nihil inveni obſervatum, ex quo hæc conjectura aliqua ratione poſſit probari, niſi quod in codice *Kennicotti* 175. (qui ex errore typographico a *Roſſeo* citatur 715.) לְדוֹדִי omittatur. Fortaſſe ex κρίσει ſcribæ non contemnenda, qui videbat hanc vocem ſenſum minus aptum habere. Cæterum phraſis הלך למישרים de vino etiam legitur Prov. 23, 31.

d) Lectionem receptam דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים nullus interpretum antiquorum præter Chaldæum expreſſit. Omnes legerunt שְׂפָתַי vel שְׂפָתַיִם וְשִׁנַּיִם *labia et dentes*. Nimirum οἱ ό habent: ἱκανούμενος (Alex. ἐν) χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσιν, *ſufficiens in labiis meis et dentibus.* De qua verſione recte conjectat *Dœderleinius*, interpretes legiſſe דַּב quod alias quoque e. c. Num. 16, 7. per ἱκανοῦν ab eis vertitur.

11\. Ego amici mei ſum,
Ejusque amor me tantum ſpectat.
12\. Age jam amice, exeamus rus,
Pernoctabimus in villis.
13\. Mane inviſemus vineas,
An germinaverit vitis,
An flores ſe explicaverint,
An punicæ floreant.
Ibi mihi cariſſima tibi offeram.
14\. Mandragoræ emittunt odorem,
Pro foribus noſtris ſunt omnis generis fructus optimi,
Tum recentes tum veteres, mi amice, tibi repoſui.

* * *

titur. Sed obſcure. Symm. *προστιθέμενος χείλεσι* legit דֹּבֵק. Aquila: *χείλεσι καὶ ὀδοῦσιν*, et Vulgatus: *labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Syrus: *qui commovet labia mea et dentes meos.* Hic conſenſus teſtium antiquiſſimorum in lectione faciliore duarum vocum, quæ ex recepta lectione שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים *labia dormientium* non niſi duram et valde quæſitam explicationem admittunt, ſatis probabilem, ſi non certam eam eſſe evincit. Verbum דבב ex primaria ſua ſignificatione *ſerpere* poteſt quidem retineri. Attamen Symmachi lectionem דֹּבֵק præferendam putem. Scriptio שפתי eſt fortaſſe abbreviatio *τοῦ* שפתים *labia et dentes.* Sic Aquila utrumque legit ſine affixo.

CAPUT VIII

1. Utinam eſſes frater meus,
Qui matris meæ mammas ſuxiſſes!
Tum te palam diſſuaviarer,
Non verens aliorum reprehenſionem.
2. Te introducerem in matris meæ domum,
Quæ me doceret vinum aromaticum
Et ſuccum mali punici tibi propinare. —
3. Siniſtra ejus ſub capite meo,
Ejus dextra me amplectatur. —
4. Obteſtor vos, puellæ Hieroſolymitanæ,
Ne excitetis, ne expergefaciatis dilectam,
Donec ipſi libuerit.

* * * *

5. Quæ eſt iſta quæ e deſerto venit
Amico ſuo innixa a)?
Sub malo illa te excitavi,
Ibi te mater tua peperit,
Ibi te tua genitrix eſt enixa.
6. Admove me tanquam ſigillum tuo pectori,
Tanquam ſigillum tuo brachio.
Nam potens eſt, uti mors, amor;

In-

a) Verba ſunt poetæ, uti videtur, qui his ultimam ſcenam aperit duosque amantes ſiſtit amorem ſuum ſibi declarantes et obteſtantes.

Inexorabilis, uti infernus, amoris fides;
Ardor ejus eſt ardor igneus, flamma divina.
7. Aquarum multitudo non poteſt extinguere amorem,
Flumina eum non inundant.
Si quis omnes ſuas facultates ob amorem vellet inſumere,
Contemtim eum rident. — —

* * *

8. Soror noſtra parva eſt,
Nondum mammæ ejus ſororiant.
Quid faciemus ſorori noſtræ,
Cum de ea loquentur *b*)?
9. Si murus eſt, exſtruemus in ea palatium argenteum;
Si janua, muniemus eam tabulis cedrinis *c*).

b) Hæc particula mihi non videtur partem totius carminis conſtituere, neque puella, de qua hoc loco ſermo eſt, Sulamitha, cujus amores poeta hactenus cecinit, nam deſcribitur ut nondum matura viro. Videtur eſſe appendix in eadem membrana fortaſſe ſcripta et ſervata. — Colloquium continet duorum fratrum cum ſorore ſua. Illi deliberant, quomodo caſtitati ejus tuendæ proſpicere velint, verſ. 8. 9. Hæc reſpondet et ſalſe ridet fratrum circumſpectionem parum neceſſariam, 10—13.

c) h. e. ſi difficilis eſt procis, ornabimus eam vario mundo muliebri. Sin facilem præbet aditum uti janua, arctius eam concludemus.

10. Murus ego ſum et ubera mea uti turres,
Sic me verebitur, qui me videt *d*).

11. Vineam habebat Salomo Baal Hammone,
Quam cuſtodibus elocavit,
Ut pro frugibus ejus ſolverent mille argenteos.

12. Vineam meam ego ipſa obſervo. —
Mille argentei tibi erunt, Salomo,
Et ducenti fructuum cuſtodibus. — *e*)

* * *

13. O tu quæ hortos inhabitas!
Attendunt ſocii,

Fac

d) Reſpondet ſoror indignabunda: murus ego ſum, non janua. Veſtris non egeo munitionibus, memet ipſa defendam. Poſterius membrum ad verbum ſic ſonat: *tunc ero in oculis ejus ut quæ pacem invenit.* Senſum contextui aptum, uti arbitror, in verſione indicavi: qui me aggredi audebit, hunc cogam pacem mecum facere.

e) Senſum et ſcopum hujus hiſtoriolæ ingenioſe explicavit *Herderus.* Nimirum puella addit eam per ironiam, ut doceat parum utilitatis eſſe e rebus aliorum curæ aut fidei commiſſis expectandum, cum cuſtodes ipſi, lucri cupidi, majores impenſas facerent quam eſſent neceſſariæ. Salomo ex vinea elocata accipit mille ſiclos argenteos promiſſos, ſed præter illos ducenti ſunt ſolvendi cuſtodibus. Propterea, inquit puella, ego ipſa vineam meam cuſtodiam. Sic non opus erit ut aliorum opera utar. — Acute et pro ingenio Orientalium ænigmatice.

Fac ut vocem tuam audiam.

14. Fuge, mi amice, ſimilis eſto dorcadi,
Aut hinnulo cervino, per montes odoriferos *f*).

f) Hoc quoque videtur eſſe fragmentum, quod legebatur in eadem collectione majore. Connexio cum antecedentibus, quæ apta ſit, non poteſt oſtendi. Breve colloquium continet duorum amantium. Amicus rogat amicam ſuam, ut carmen canat ſibi aliisque; hæc recuſat et fugam ſuadet.

3.91

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

COR

CORRIGENDA.

Pag. 8. lin. 7. pro: *ad condolendum* lege: *ad commiſerandam ejus fortunam et ad eum conſ.*

p. 34. in argumento Cap. VIII. lin. 6. dele *eos.*

p. 52. lin. 3. pro *percuſſis*, l. *percuſſio.*

p. 56. in notis lin. 2. pro *induitione* l. *indutu.*

p. 162. lin. 3. pro *conterreor* l. *conterrear.*

p. 172. in nota lin. 3. pro *concedendam* l. *conciliandam.*

p. 244. in nota a) lin. 3. deleatur poſt *mea*, ſoror.

p. 269. lin. 2. in textu pro *ſtudii* l. *ſtudio.*

p. 304. in nota b) lin. 5. pro *judicare* l. *indicare.*

p. 397. in nota lin. 7. poſt אֲשֶׁר adde, *legatur* אשֶׁר.

Google

3391

[illegible] Google

Digitized by Google